DIGESTO-
rum ſeu Pandectarum pars tertia.



PARISIIS.
Apud Carolam Guillard viduā Claudii Cheuallonii ſub Sole aureo, & Gulielmum desbois, ſub cruce alba. in via diui Iacobi.

Biblioth. PP. Scholar. Piar. S. Pantal. ex hered. Fran.ci de Rubeis

Pro so-

LIBER XVIII.

LIBER XIX.

A

DIGESTORVM SEV PANdectarum liber duodecimus. De rebus creditis liber primus.

SI CERTVM PETETVR, ET de condictione. Tit. I.

VLPIANVS *lib.* XXVI. *ad edictum.*

BRES T, prius quàm ad verborum interpretationem perueniamus, pauca de ſignificatione ipſius tituli referre. B Quoniam igitur multa ad contractus varios pertinentia iura ſub hoc titulo prætor inſeruit: ideo rerum creditarum titulũ præmiſit. Omnes enim contractus, quos alienam fidem ſecuti inſtituimus, complectitur. Nã (vt libro primo quæſtionum Celſus ait) credendi generalis appellatio eſt. ideo ſub hoc titulo prætor & de commodato, & de pignore edixit: nam cuicunque rei adſentimur, alienã fidem ſecuti, mox recepturi quid ex hoc contractu: credere dicimur. Rei quoque verbum, vt generale, prætor elegit.

C II. PAVLVS *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

MVtuum damus recepturi non eandem ſpeciem, quã dedimus, (alioquin commodatum erit, aut depoſitum) ſed idem genus. Nã ſi aliud genus, veluti ſi pro tritico vinum recipiamus: non erit mutuum. Mutui datio conſiſtit in his rebus, quæ pondere, numero, menſura conſtant: quoniam earum rerum datione poſſumus in creditum ire, quia in genere ſuo functionem recipiunt per ſolutionem, * quàm ſpecie. Nam in cæteris rebus ideo in creditum ire non poſſumus: quia aliud pro alio inuito creditori ſolui non poteſt. Appellata eſt autem mutui datio ab eo, quod de meo tuum fit. & ideo ſi de meo tuum non fiat: non naſcitur obligatio. Creditum ergo à mutuo differt, quã genus à ſpecie. Nam creditum conſiſtit

**figura græca ſæpe μᾶλλον & magis ſubaudiũtur, vt ſup. de iu. c.2. infi. & infra depoſ. l. ſi hominem.*

S

sistit etiam extra eas res, quæ pondere, numero, mensura continentur: sicuti & si eandem rem recepturi sumus, creditum est. Item mutuum non potest esse, nisi proficiscatur pecunia: creditum autem fit interdum, etiam si nihil proficiscatur: veluti si post nuptias dos promittatur. In mutui datione oportet dominum esse dantem. nec obest, quod filiusfamiliâs & seruus dantes peculiares numos obligant. id enim tale est, quale si voluntate mea tu des pecuniam. nam mihi actio adquiritur, licet numi mei nõ fuerint. Verbis quoque credimus, quodam actu ad obligationem comparandam interposito, veluti stipulatione. D

Quod agitur tacite, pro expresso habetur, & etiã tacite agitur vt æque bonum reddatur. Bar.

III. POMPONIVS *lib.* XXVII. *ad Sabinum.* E

CVm quid mutuum dederimus: & si non cauimus, vt æquè bonum nobis reddatur: non licet debitori deteriorem rem, quæ ex eodem genere sit, reddere: veluti vinum nouum pro vetere. Nam in contrahendo quod agitur, pro cauto habendum est. Id autem agi intelligitur, vt eiusdem generis, & eadem bonitate soluatur, qua datum est.

Si depositũ fiat gratia recipientis, ad eum spectat periculũ. Bar.

IIII. VLPIANVS *lib.* XXXIIII. *ad Sabinum.*

SI quis nec caussam nec propositum fœnerãdi habuerit, & tu empturus prædia desideraueris mutuam pecuniam, nec volueris crediti nomine, ante quàm emisses, suscipere: atque ita creditor (qui necessitatem fortè proficiscendi habebat) deposuerit apud te hanc eandem pecuniam, vt si emisses, crediti nomine obligatus esses: hoc depositum periculo eius est, qui suscepit. Nam & qui rẽ vendendam acceperit, vt precio vteretur: periculo suo rem habebit. Res pignori data, pecunia soluta, condici potest: & fructus ex iniusta caussa percepti, condicendi sunt. Nam & si colonus post lustrum completum fructus perceperit, condici eos constat: ita demum, si non ex voluntate domini percepti sunt. Nam si ex voluntate domini: procul dubio cessat condictio. Ea quæ vi fluminis importata sunt, condici possunt. F

Ad debitorẽ speciei post moram spectat periculum interitus. Bar.

V. POM-

V. POMPONIVS *lib.* XXII. *ad Sabinum.*

A QVod te mihi dare oportuerat, si id postea perierit, quàm per te factum erit, quò minus id mihi dares: tuum fore id detrimentum constat. Sed cùm quæritur, an per te factum sit: animaduerti debebit, non solùm si in potestate tua fuerit id, néene, aut dolo malo feceris, quò minus esset, vel fuerit, néene: sed etiam si aliqua iusta caussa sit, propter quam intelligere deberes, te dare oportere.

Illud est certum, quod apparet, quid, quale, quantumúe sit. Bal.

VI. PAVLVS *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

CErtum est, cuius species vel quantitas, quæ in obligatione versatur, aut nomine suo, aut ea demonstratione, quæ nominis vice fungitur, qualis quantáue sit, B ostenditur. Nam & Pedius libro primo de stipulationibus nihil referre ait: proprio nomine * res appellentur, an digito ostendantur, an vocabulis quibusdam demonstrentur, quatenus mutua vice fungantur, quæ tantundé præstent.

Mutui datio potest suspendi in euentum conditionis expressæ vel tacitæ. VII. VLPIANVS *lib.* XXVI. *ad edictum.*

OMnia, quæ inseri stipulationibus possunt, eadé possunt etiã numerationi pecuniæ. ideo & cõditiones.

VIII. POMPONIVS *lib.* VI. *ex Plautio.*

PRoinde mutui datio interdũ pendet, vt ex post facto C cõfirmetur: veluti si dé tibi mutuos numos, vt si cõditio aliqua exstiterit, tui fiant, sisq; mihi obligatus. Ité si legatã pecuniã hæres crediderit, deinde legatarius eam noluerit ad se pertinere: quia hæredis ex die aditæ hæreditatis videntur numi fuisse, vt credita pecunia peti possit. Nã & Iulianus ait, traditiones ab hærede factas ad id tempus redigi, quo hæreditas adita fuerit, cùm repudiatum sit legatum, aut adpositum.

*Quinimmo multas res alienis vocabulis rectius demonstrari, quã propriis nominibus appellari declarat Cic. li. 1. Off. & li. 9. Episto. in qua dã epist. ad Papyriũ Pætum.

Certi cõdictio cõpetit ex omni caussa, ex qua certũ petitur: siue ex cõtractu vel quasi, siue ex maleficio vel quasi vel quomõcũque. Bar.

IX. VLPIANVS *lib.* XXVI. *ad edictum.*

CErti condictio competit ex omni caussa, & ex omni obligatione, ex qua certũ petitur: siue ex certo cõtractu petatur, siue ex incerto. Licet enim nobis ex omni

contractu certum condicere, dummodo præsens sit obligatio. Cæterùm si in diem sit, vel sub conditione obligatio: ante diem, vel conditionem non potero agere. Competit hæc actio etiam ex legati caussa, & ex lege Aquilia, sed & ex caussa furtiua per hanc actionẽ condicitur. Sed & si ex senatusconsulto agetur, competit hæc actio: veluti si is, cui fiduciaria * hæreditas restituta est, agere volet. Siue autem suo nomine quis obligatus sit, siue alieno: per hanc actionem rectè conuenietur. D

** hoc loco fiduciaria pro fideicõmissaria accipitur.*

Inutilis stipulatio nõ impedit actionem oriri ex vtili numeratione. Bartolus.

Quoniam igitur ex omnibus contractibus hæc certi condictio competit: siue re fuerit contractus factus, siue verbis, siue coniunctim: referendæ sunt nobis quædam species, quæ dignum habent tractatum, an hæc actio ad petitionem earum sufficiat. Numeraui tibi decem, & hæc alij stipulatus sum. nulla est stipulatio. an condicere decem per hanc actionem possim, quasi duobus contractibus interuenientibus: vno, qui re factus est, id est, numeratione: alio qui verbis, idque inutiliter: quoniam alij stipulari non potui? & puto posse. Idem erit, si à pupillo fuero sine tutoris authoritate stipulatus, cui tutore authore credidi. Nam & tunc manebit mihi condictio ex numeratione. Idem quæri potest, etsi quod tibi numeraui, sub impossibili conditione stipuler. cùm enim nulla sit stipulatio: manebit condictio. Sed & si ei numerauero, cui postea bonis interdictum est, mox ab eo stipuler: puto pupillo eum comparandum, quoniam & ipse stipulando sibi adquirit. E F

Numerando pecuniam nostram nomine absentis & ignorantis, ei quærimus actionem. Bar.

Si numos meos tuo nomine dedero velut tuos, absente te & ignorante: Aristo scribit adquiri tibi condictionem. Iulianus quoque de hoc interrogatus libro decimo scribit, veram esse Aristonis sententiã: nec dubitari, quin si meam pecuniam tuo nomine voluntate tua dedero, tibi adquiratur obligatio: cũ quotidie credituri pecuniã mutuam, ab alio poscamus, vt nostro nomine creditor numeret futuro debitori nostro. Deposui apud te decẽ.

postea

postea permisi tibi vti. Nerua & Proculus, etiam antè q̃
A moueantur,condicere, quasi mutua tibi hæc posse aiunt. & est verum,vt & Marcello videtur.animo enim cœpisse possidere.ergo transit ad eum periculum,qui mutuam rogauit,& poterit ei condici.

X. IDEM *lib.*II.*ad edictum.*

QVod si ab initio,cùm deponerem,vti tibi (si voles) permisero: creditam non esse, antè quàm mota sit: quoniam debituiri * non est certum.

Pecunia redacta ex venditione rei meæ,de partium voluntate statim conuertitur in causam mutui,& periculum rei traditæ ad vendendum vt precio quis vtatur: pertinet ad tradentem si eam venalem habebat:aliàs ad recipientem.Alex.

*Ita olim litera.m. elisa verba coniũgebãt pro debitũ iri.

B XI. IDEM *lib.*XXIII.*ad edictum.*

ROgasti me,vt tibi pecuniam crederem. ego cùm nõ haberem,lancem tibi dedi, vel massam auri, vt eam venderes,& numis vtereris.si vendideris: puto mutuam pecuniam factam.quòd si lancem,vel massam sine tua culpa perdideris,ante quàm venderes: vtrum mihi, an tibi perierit, quæstionis est. Mihi videtur Neruæ distinctio verissima:existimantis multum interesse, venalem habui hanc lancem,vel massam,nécne:vt si venalem habui, mihi perierit, quemadmodum si alij dedissem vendendam. quòd si non fui hoc proposito,vt venderé, sed hæc caussa fuit vendendi,vt tu vtereris:tibi eam perisse,& maximè si sine vsuris credidi.
C Si tibi decem dedero, vt nouem debeas:Proculus ait, rectè non amplius te ipso iure debere,quàm nouem. Sed si decem dedero, vt vndecim debeas:putat Proculus amplius,quàm decem condici nõ posse. Si fugitiuus seru⁹ numos tibi crediderit: an cõdicere numos tibi dominus possit,quæritur.& quidem si seruus meus,cui concessa est peculij administratio, crediderit tibi:erit mutua.Fugitiuus autem, vel alius seru⁹ contra voluntatem domini credendo, non facit accipiẽtis.quid ergo?vindicari numi possunt, si existant: aut si dolo malo desinant possideri,ad exhibẽdum agi. quòd si sine dolo malo consumpti sunt:condicere tibi potero.

Licet ab initio non transferatur dominium, tamen consumptione secuta reconciliatur mutuum, & tunc quæritur certi condictio

 numeranti,

numeranti, sine sciuerit siue ignorauerit consumptionem. Alexan. de Imo. D

XII. POMPONIVS *lib.* VI. *ex Plautio.*

Cap.23.de oblig.& actio.

SI à furioso, cùm eum compotem mentis esse putares, pecuniam quasi mutuam acceperis, eaque in rem tuã versa fuerit· conditionem furioso adquiri, Iulianus ait. Nam ex quibus causis ignorantibus nobis actiones adquiruntur, ex iisdem etiam furioso adquiri. Item si is, qui seruo crediderat, furere cœperit: deinde seruus in rem domini verterit: condici nomine furiosi posse. Et si alienam pecuniam credendi caussa quis dederit: deinde furere cœperit, & consumpta sit ea pecunia: conditionem furioso adquiri.

XIII. VLPIANVS *lib.* XXVI. *ad edictum.* E

NAm & si fur numos tibi credendi animo dedit, accipientis non facit: sed consumptis eis, condictio nascitur. Vnde Papinianus libro octauo quæstionum ait. Si alienos numos mutuos tibi dedi: non antè mihi teneris, quàm si eos consumpseris. quòd si per partes eos cõsumpseris, an per partes tibi condicam, quæritur. & ait me cõdicturum: si admonitus alienos numos fuisse, ideo per partes condicam, quia nondum totos consumptos compererim. Si seruus communis decem crediderit: puto, siue administratio seruo communi concessa est, siue non, & consumantur numi: in quinum competere actionem. Nam & si communes tibi numos credidero cẽtum: posse me quinquaginta condicere, Papinianus libro octauo quæstionum scribit, etiam si singula corpora communia fuerint. F

XIIII. IDEM *lib.* XXIX. *ad edictum.*

SI filiusfamiliâs contra senatusconsultum mutuatus, pecuniam soluerit: patri numos vindicanti nulla exceptio obiicietur. Sed si fuerint consumpti numi à creditore: Marcellus ait, cessare condictionem, quoniam toties condictio datur, quoties ex ea caussa numerati sunt, ex qua actio esse potuisset, si dominium ad accipientem transtulisset. in proposito autem non esse. Denique per errorem soluti contra senatusconsultum crediti, magis est cessare repetitionem.

In mu-

In mutuo sunt quædam singularia contra regulas mutui, scilicet
A *quod iubendo debitorem tibi soluere, vel debitum à te ex vna causa in causam mutui conuertendo, mutuum contrahitur, licet vere nō fiat de meo tuum.* Bartolus.

XV. IDEM *lib.* XXXI. *ad edictum.*

SIngularia quædam præcepta sunt circa pecuniā creditam. nam si tibi debitorem meum iussero dare pecuniam: obligaris mihi, quamuis numos meos non acceperis. quod igitur in duabus personis recipitur, hoc & in eadem persona recipiendum est: vt cùm ex causa mandati pecuniam mihi debeas, & conuenerit, vt crediti nomine eam retineas: videatur mihi data pecunia, & à me ad te profecta.

B *Pecuniam meā alteri debitam possum mutuare, sed alienam non sine domini voluntate.* Bartolus.

XVI. PAVLVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

SI socius propriam pecuniam mutuam dedit: omnimodo creditam facit, licet cæteri dissenserint. Quòd si communem numerauerit: non aliâs creditam efficit, nisi cæteri quoque consentiant: quia suæ partis tantùm alienationem habuit.

XVII. VLPIANVS *lib.* I. *Disputationum.*

CVm filiusfamiliâs viaticum suum mutuum dederit, cùm studiorum caussa Romæ ageret: respōsum est à Scæuola, extraordinario iudicio esse illi subueniendū.

C *Error in specie contractus impedit contractum, & dominii translationem, quæ reconciliatur consumptione secuta. & quo ad dandam petitionem seu actionem inspicitur recipientis intentio: quo ad dandam exceptionem inspicitur animus dantis.* Bartolus.

XVIII. IDEM *lib.* VII. *Disputationum.*

SI ego pecuniam tibi quasi donaturus dedero, tu quasi mutuam accipias: Iulianus scribit, donationem nō esse. sed an mutua sit, videndum est. & puto, nec mutuam esse: magisque numos accipientis non fieri, cum alia opinione acceperit. Quare si eos consumpserit: licet condictione teneatur, tamen doli exceptione vti poterit: quia secundū voluntatem dantis numi sunt consumpti. Et si ego quasi deponens tibi dedero, tu quasi mutuum accipias: nec depositum, nec mutuū est. Idem est, & si tu qua-

ſi mutuam pecuniam dederis, ego quaſi commodatam oſtentandi gratia accepi: ſed in vtroq; caſu, conſumptis numis, condictioni ſine doli exceptione locus erit. D

Actus numerationis non operatur, vt quis obligetur vltra intentionem agentium. Bartolus.

XIX. IVLIANVS *lib.* X. *Digeſtorum.*

NOn omnis numeratio eum, qui accipit, obligat: ſed quoties idipſum agitur, vt confeſtim obligetur. Nā & is, qui pecuniam mortis cauſſa donat: numerat quidem pecuniam, ſed non aliter obligat accipientem, quàm ſi exiſtat caſus, in quem obligatio collata fuit: veluti ſi donator conualuit, aut is, qui accipiebat, prior deceſſit. & cùm pecunia datur, vt aliquid fieret: quamdiu in pēdenti eſt, an id futurum ſit, ceſſabit obligatio. Cùm verò certum eſſe cœperit, futurum id non eſſe: obligabitur, qui accepit. veluti ſi Titio decem dedero, vt Stichū intra kalendas manumittat: ante kalendas nullam actionem habebo, poſt kalēdas ita demum agere potero, ſi manumiſſus non fuerit. Si pupillus ſine tutoris authoritate crediderit, aut ſoluendi cauſſa dederit: conſumpta pecunia condictionem habet, vel liberatur: non alia ratione, quàm quod facto eius intelligitur ad eum, qui accepit, perueniſſe. quapropter ſi eādem pecuniā is, qui increditum vel inſolutum acceperat, alij porrò increditum vel inſolutum dederit: conſumpta ea, & ipſe obligatur pupillo, vel eum à ſe liberat: & eum, cui crediderit, obligatum habebit, vel ſe ab eo liberabit. nam omnino qui alienam pecuniam credendi cauſſa dat, conſumpta ea habet obligatū eum, qui accepit: item qui inſolutum dedit, liberatur ab eo, qui accepit. E F

Donatio in qua aliquod pactum apponitur: & pecunia quæ ſpōtanea voluntate non creditur, non dicitur propriè donatio, vel creditum de rigore: ſecus de æquitate. Bartolus.

XX. IDEM *lib.* XVIII. *Digeſtorum.*

SI tibi pecuniam donaſſem, vt mihi eandem crederes: an credita fieret? dixi in huiuſmodi propoſitionibus non propriis verbis nos vti. nam talem contractum, neq; donationem eſſe, neque pecuniam creditam. donationem non eſſe: quia non ea mente pecunia daretur, vt omnimodo penes

do penes accipiẽtem maneret.creditam nõ esse: quia ex-
A solvendi caussa daretur magis,quàm alterius obligandi. Igitur si is,qui pecuniam hac conditione accepit,vt mihi in creditum daret, acceptam dederit: non fore creditam. magis enim meum accepisse intelligi debeo. Sed hęc intelligenda sunt propter subtilitatem verborum. benignius tamen est,vtrunque valere.

Creditor tenetur partem debiti confessam recipere: de parte verò dubia litigare. Bartolus.

XXI. IDEM *lib.* XLVIII. *Digestorum.*

QVidam existimauerunt,neque eum,qui decem peteret,cogendũ quinque accipere,& reliqua persequi: neque eum, qui fundum suum diceret, partem
B dumtaxat iudicio persequi,sed in vtraq; caussa humanius mihi facturus videtur prætor,si actorem compulerit ad accipiẽdum id,quod offertur: cùm ad officium eius pertineat,lites deminuere.

Aestimatio vini debiti incipit crescere à tempore moræ secundum vnam lec.vel à tempore litis contestatæ secundum aliam: & habetur consideratio loci,vbi debet solui,vel vbi petitur. Bartolus.

XXII. IDEM *lib.* IIII. *ex Minutio.*

VInum,quod mutuum datum erat,per iudicem petitum est.quæsitum est,cuius temporis æstimatio fieret: vtrum cùm datum esset, an cùm lis contestata fuisset, an cùm res iudicaretur?Sabinus respondit: si dictum es-
C set,quo tempore redderetur, quanti tunc fuisset. si non: quanti tunc,cùm petitum esset. Interrogatus,cuius loci preciũ sequi oporteat?Respondi,si conuenisset, vt certo loco redderetur: quanti eo loco esset. si dictum nõ esset: quanti,vbi esset petitum.

Ille ad quem peruenit precium rei meæ, ad id restituẽdum re perempta certi condictione tenetur. Bartolus.

XXIII. AFRICANVS *lib.* II. *Quæstionum.*

SI eum seruũ,qui tibi legatus sit,quasi mihi legatũ pòssederim,& vẽdiderim: mortuo eo, posse te mihi preciũ condicere,Iulianus ait, quasi ex re tua locupletior factus sim.

Ex stipulatione continente certum,oritur certi condictio. Bar.

XXIIII. VLPIANVS *lib. singulari* πανδέκτων.

Si quis

SI quis certum stipulatus fuerit, ex stipulatu actionem non habet: sed illa cōdictitia actione id persequi debet, per quam certum petitur. D

XXV. IDEM *lib. singulari consularium.*

CReditor, qui ad restitutionem ædificiorum credidit, in pecuniam, quam credidit, priuilegium exigendi habebit.

Per procuratorem quæritur actio militi domino, sicut per tutorem & curatorem minori. Bartolus.

XXVI. IDEM *lib.* V. *Opinionum.*

SI pecuniam militis procurator eius mutuā dedit, fideiussoremq́; accepit: exēplo eo, quo si tutor pupilli, aut curator iuuenis, pecuniam alterutrius eorum creditam, stipulatus fuerit: actionem dari militi, cuius pecunia fuerit, placuit. E

Ex mutuo facto administratori ciuitatis conuenitur ciuitas: si est in vtilitatem eius conuersum: aliàs ipse administrator. Bartolus.

XXVII. IDEM. *lib.* X. *ad edictum.*

CIuitas mutui datione obligari potest, si ad vtilitatē eius pecuniæ versæ sunt. alioquin ipsi soli, qui cōtraxerunt, non ciuitas, tenebuntur.

Qui accepit pignus non idoneum, non renunciare videtur propterea personali actioni. Bartolus.

XXVIII. CAIVS *lib.* XX. *ad edictum prouinciale.*

CReditor, qui non idoneum pignus accepit: nō amittit exactionem eius debitæ quantitatis, in quam pignus non sufficit. F

Ex contractu institoris conuenitur dominus, sicut ex contractu procuratoris. Bartolus.

XXIX. PAVLVS *lib.* IIII. *ad Plautium.*

SI institorem seruum dominus habuerit: posse dici, Iulianus ait, etiam condici ei posse: quasi iussu eius contrahatur, à quo præpositus sit.

Qui spe futuræ numerationis promisit, non habet necesse recipere. Bartolus.

XXX. IDEM *lib.* V. *ad Plautium.*

QVi pecuniam creditam accepturus, spopondit creditori futuro: in potestate habet, ne accipiendo se ei obstringat.

In actio-

In actionibus stricti iuris veniunt fructus & accessiones à tempore litis contestatæ. Bartolus.

A

XXXI. IDEM *lib.* XVII. *ad Plautium.*

CVm fundus vel homo per condictioné petitus est: puto hoc nos iure vti, vt post iudiciũ acceptũ caussa omnis restituenda sit: id est omne, quod habiturus esset actor, si litis cõtestandæ tépore solutus fuisset.

Ex æquitate caussa euitandi circuitus datur condictio ei, cũ quo negocium non est gestum: & si dominus adprobat contractum serui, eius nomine tenetur insolidum. Si vero reprobat, tenetur tantum de peculio. Bartolus.

Seruum tuũ imprudens à fure bona fide emi. is ex peculio, quod ad te pertinebat, hominé parauerat, qui mihi
B traditus est. Sabinus, Cassius. posse te mihi hominé condicere: & si quid mihi abesset ex negocio, quod is gessisset, inuicé me tecum acturũ. & hoc verũ est. Sed Iulianus ait: videndũ, ne dominus integram actioné ex empto habeat, venditor auté condicere possit bonæ fidei emptori. quod ad peculiares numos attinet, si exstant, vindicare eos dominus potest: sed actione de peculio tenetur vénditori, vt preciũ soluat, si cõsumpti sunt: actio de peculio euanescit. sed adiicere debuit Iulianus, nó aliter domino serui venditorem ex empto teneri, quàm si ei preciũ solidum, & quæcunq; (si cum libero cõtraxisset) deberentur, dominus serui præstaret. idem dici debet, si bonæ fi-
C dei possessori soluisset: si tamen actiones, quas aduersus eum habet, præstare domino paratus sit.

Si res mea ad te peruenit: nec est caussa quare apud te debeat remanere: eam certi condictione vel sine caussa condicam. Bar.

XXXII. CELSVS *lib.* V. *Digestorum.*

SI me & Titium mutuam pecuniam rogaueris, & ego meum debitoré tibi promittere iusserim: tu stipulatus sis, cũ putares eum Titij debitorem esse: an mihi obligaris, subsisto. Siquidem nullum negocium mecum cõtraxisti: sed propius est, vt obligari te existimem: nó quia pecuniam tibi credidi (hoc enim, nisi inter cõsentientes, fieri non potest) sed quia pecunia mea ad te peruenit, eam à te mihi reddi, bonum & æquum est.

Officiales non possunt contrahere cum subditis, nisi sint perpetui

vel

vel ad eorum vtilitatem. Bartolus.

XXXIII. MODESTINVS *lib.* X. πανδεκτῶν. D

†*Huc pertinet Thebanorũ lex de qua Ariſt. li. 3. Politic. ca. 3.*

PRincipalibus † conſtitutionibus cauetur: ne hi, qui prouinciã regunt, quíve circa eos ſunt, negocientur, mutuam pecuniam dent, fœnúſve exerceant.

XXXIIII. PAVLVS *lib.* II. *Sententiarum.*

PRæſidis prouinciæ officiales, qui perpetui ſunt, mutuam pecuniam dare, & fœnebrem exercere poſſunt. Præſes prouinciæ mutuam pecuniam fœnebrem ſumere non prohibetur.

XXXV. MODESTINVS *lib.* III. *Reſponſorum.*

PEriculum nominum ad eum, cuius culpa deterius factum probari poteſt, pertinet.

Stipulatio conditionalis obligationem præcedentem puram ſuſpendit, & eam nouat in conditionis euentum. Bartolus. E

XXXVI. IABOLENVS *lib.* I. ἐπιςολῶν.

PEcuniam, quam mihi ſine conditione debebas, iuſſu meo promiſiſti Attio ſub conditione. cùm pendente cõditione in eodem ſtatu ſit obligatio tua aduerſum me, tanquam ſi ſub contraria conditione eam mihi ſpopondiſſes: ſi pendente conditione petã, an nihil acturus ſim? Reſpondi. non dubito, quin ea pecunia, quam ipſe ſine conditione ſtipulatus ſum (etiam ſi conditio in perſona Attii, qui ex mea voluntate eandem pecuniam ſub conditione ſtipulatus eſt, non extiterit) credita eſſe permaneat. perinde eſt enim, ac ſi nulla ſtipulatio interueniſſet. pendente autem cauſſa conditionis, idem petere non poſſum: F quoniam cùm incertum ſit, an ex ea ſtipulatione deberi poſſit, ante tempus petere videor.

Conditio de præſenti vel præterito non ſuſpendit. ſecus in conditione de futuro. Bartolus.

XXXVII. PAPINIANVS *lib.* I. *Definitionum.*

CVm ad præſens tempus conditio confertur, ſtipulatio non ſuſpenditur. & ſi conditio vera ſit: ſtipulatio tenet, quamuis tenere contrahentes cõditionem ignorent: veluti ſi rex Parthorum viuit, centum dare ſpondes? Eadem ſunt, & cùm in præteritum conditio confertur.

XXXVIII. SCAEVOLA *lib.* I. *Quæſtionum.*

REſpiciendum enim eſt, an quantum in natura hominum ſit,

num sit, possit sciri debituiri.

A XXXIX. PAPINIANVS *lib. I. Definitionum.*

ITaque tunc potestatem conditionis obtinet, cùm in futurum confertur.

Etiam in cōtractibus stricti iuris pacta incontinenti apposita insunt vt nouam pariant, & veterem informent actionem: & vi exceptionis impediunt moram, & stipulationem vsurarum propter moram: secus in stipulatione vsurarum propter stipulationem. Bartolus.

XL. PAVLVS *lib. I. Quæstionum.*

LEcta est in auditorio Aemilij Papiniani præfecti prętorio iurisconsulti cautio huiusmodi. LVCIVS TITIVS SCRIPSI ME ACCEPISSE À PVBLIO MAEVIO QVINDECIM MVTVA NVB MERATA MIHI DE DOMO. ET HAEC QVINDECIM PROBA RECTÈ DARI KALENDIS FVTVRIS, STIPVLATVS EST PVBLIVS MAEVIVS, SPOPONDI EGO LVCIVS TITIVS. SI EA DIE SVPRADICTA SVMMA PVBLIO MAEVIO, EÍVE, AD QVEM EA RES PERTINEBIT, DATA, SOLVTA, SATÍSVE EO NOMINE FACTVM NON ERIT: TVNC EO AMPLIVS, QVO POST SOLVAM, POENAE NOMINE IN DIES TRIGINTA, ÍNQVE DENARIOS CENTENOS, DENARIOS SINGVLOS DARI STIPVLATVS EST PVC BLIVS MAEVIVS, SPOPONDI EGO LVCIVS TITIVS. CONVENÍTQVE INTER NOS, VTI PVBLIO MAEVIO EX SVMMA SVPRÀDICTA MENSTRVOS REFVNDERE DEBEAM DENARIOS TRECENOS EX OMNI SVMMA EI, HAEREDÍVE EIVS. quæsitum est de obligatione vsurarum: quoniã numerus mensium, qui solutioni competebat, transierat. Dicebam. quia pacta incontinenti facta stipulationi inesse creduntur: perinde esse, ac si per singulos mẽses certam pecuniã stipulatus, quo tardius soluta esset, vsuras adiecisset. igitur finito primo mense, primæ pẽsionis vsuras currere. & similiter post secundum & tertium tractum vsuras non solutæ pensionis crescere; nec antè sortis non solutæ vsuras peti posse, quàm

quàm ipsa sors peti potuerat. Pactum aũt, quod subiectũ esset, quidã dicebat ad sortis solutionẽ tãtum pertinere: non etiam ad vsurarũ, quæ priore parte simpliciter in stipulationem venissent: pactúmq; id tantũ ad exceptionem prodesse. & ideo non soluta pecunia statutis pensionibus ex die stipulationis vsuras deberi, atque si id nominatim expressum esset. Sed cùm sortis petitio dilata sit: consequens est, vt etiam vsuræ ex eo tempore, quo moram fecit, accedant: & si (vt ille putabat) ad exceptionem tãtum prodesset pactum (quamuis sentẽtia diuersa obtinuerit) tamen vsurarum obligatio ipso iure non committeretur. Non enim in mora est is, à quo pecunia propter exceptionem peti non potest. Sed si quantitatem, quæ medio tempore colligatur, stipulemur, cùm conditio exstiterit: sicut est in fructibus, idem & in vsuris potest exprimi: vt ad diem non soluta pecunia, quod competit vsurarũ nomine, præstetur ex die interpositæ stipulationis. D E

Morte domini, & mutatione status gestoris, mandatum reuocatur: tamen debitores ignorantes reuocationem, sibi soluentes liberantur: & illud quod quis facit non vt hæres, non venit in actione familiæ erciscundæ, & dominium in accipientem non transfertur: non contrahitur mutuum, nec pignoris obligatio: & si stipulatio confertur nominatim in personam domini, qui tunc defunctus erat, est nulla. Si verò in personam ipsius gestoris conferatur: tunc si hæreditas non est adita, hæreditati iacenti adquiritur actio ex stipulatione. Si verò erat adita: tunc si hæredes erant bonæ fidei, quia ignorabãt illum esse effectum liberum, adquiritur omnibus hæredibus: secus si erant malæ fidei. Alexander de Imo. F

XLI. AFRICANVS *lib. VII. Quæstionum.*

EIus, qui in prouincia Stichum seruũ kalendario præposuerat, Romæ testamentum recitatum est: quo idem Stichus liber, & ex parte heres erat scriptus. qui status sui ignarus, pecunias defuncti aut exegit, aut credidit: vt interdum & stipularetur, & pignora acciperet. consulebatur, quid de his iuris esset? Placebat debitores quidem, qui ei soluissent, liberatos esse: si modò ipsi quoque dominum decessisse ignorassent. earum autem summarum nomine, quæ ad Stichum peruenissent, familiæ erciscundæ quidem actionem non competere cohæredibus,

bus, sed negociorum gestorum dari debere. Quas verò
A pecunias ipse credidisset: eas non ex maiore parte, quàm ex qua ipse hæres esset, alienatas esse. Nã & si tibi in hoc dederim numos, vt eos Sticho credas: deinde mortuo me ignorans dederis: accipientis non facies. neque enim sicut illud receptum est, vt debitores soluentes ei liberentur: ita hoc quoque receptum, vt credendo numos alienet. Quare si nulla stipulatio interuenisset: neque creditam pecuniam pro parte cohæredis peti posse, neq; pignora teneri. Quòd si stipulatus quoque esset: referre, quemadmodum stipulatus esset. Nam si nominatim, fortè Titio domino suo mortuo iam, dari stipulatus esset: proculdubiò inutiliter esse stipulatum. quod si sibi dari stipulatus esset: dicendum, hęreditati eum adquisiisse.
B sicut enim nobismetipsis ex re nostra per eos, qui liberi vel alieni serui bona fide seruiunt, adquiritur: ita hæreditati quoq; ex re hæreditaria adquiri. post aditã verò à cohæredibus hæreditatem non æquè idem dici: vtique si scierint eum sibi cohæredem datum: quoniam tunc non possent videri possessores bonę fidei esse, qui nec possidendi animum haberent. Quòd si proponatur cohæredes eius id ignorasse (quod fortè ipsi quoque ex necessariis fuerint) potest adhuc idem responderi, quæ quidem casu & illud euenturum: vt si suæ cõditionis cohæredes iste seruus habeat: inuicem bona fide seruire videantur.

C *Qui in defectum alterius soluere promisit, petitione aduersus illum primum facta non liberatur: sed facta exactione sic, & idem econtrà si accipiatur à secundo. Alexan. de Imo.*

XLII. CELSVS *lib.* VI. *Digestorum.*

SI ego decẽ stipulatus à Titio, deinceps stipuler à Seio, quanto minus à Titio consequi possim: si decem petiero à Titio, non liberatur Seius. alioquin ne quidquam mihi caueatur. At si iudicatum fecerit Titius: nihil vltra Seius tenebitur. Sed & si cum Seio egero: quantumcunque est, quò minus à Titio exigere potero eo tempore, quo iudicium inter me & Seium acceptum est: tanto minus postea à Titio petere possum.

Impersonalitas circa verbum executiuum obligationem non vitiat, & tunc dando fideiussorem idoneum liberatur. Bartolus.

Labeo

Labeo ait, cùm decem dari curari ſtipulatus ſis: ideo non poſſe te præciſè decem dari oportere intédere, quia etiam reum locupletem dando promiſſor liberari poſſit. quo ſcilicet ſignificat: non eſſe cogendum eum accipere iudicium, ſi reum locupletem offerat. D

† Iuſiurandũ eſt affirmatio religioſa. Cic. li.3. Offic.

† Idẽ Paulus ad Hebræos. c.6.

DE IVREIVRANDO † SIVE VOluntario, ſiue neceſſario, ſiue iudiciali.

Titulus II.

CAIVS *lib.* V. *ad edictum prouinciale.*

MAximum remedium expediendarum litiũ in vſum venit iuriſiurãdi religio: † qua vel ex pactione ipſorum litigatorum, vel ex authoritate iudicis deciduntur controuerſiæ. E

II. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

IVſiurandum ſpeciem cõtinet tranſactionis: maiorémque habet authoritatem, quàm res iudicata.

Iuramento præſtito aduerſario deferente, ſtandum eſt in omnib° quo ad ipſos litigantes: ſecus quo ad extraneos. Bartolus.

III. VLPIANVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

AIt prętor. SI IS, CVM QVO AGETVR, CONDITIONE DELATA, IVRAVERIT. Eum CVM QVO AGETVR accipere debemus ipſum reũ: nec fruſtra adiicitur, CONDITIONE DELATA. Nam ſi reus iurauerit, nemine ei iuſiurandum deferente: prætor id iuſiurandum non tuebitur. ſibi enim iurauit. F Alioquin facillimè quiſque ad iuſiurandum decurrens, nemine ſibi deferente iuſiurãdum, oneribus actionum ſe liberabit. Quacunque autem actione quis cõueniatur, ſi iurauerit, proficiet ei iuſiurandum: ſiue in perſonam, ſiue in rem, ſiue in factum, ſiue pœnali actione, vel quauis alia agatur, ſiue de interdicto. ſed & ſi de conditione perſonæ fuerit iuratum, prætor iuſiurãdum tuebitur. vt puta. detuli tibi iuſiurandũ: & iuraſti, te in poteſtate mea non eſſe. tuendum erit iuſiurãdum. Vnde Marcellus ſcribit, etiam de eo iurari poſſe, an prægnans ſit mulier, vel nõ ſit: & iuriiurãdo ſtandum. denique ait, ſi de poſſeſſione erat quæſtio, ſeruari oportere: ſi fortè quaſi prægnans ire in

ire in possessionem volebat,& cùm ei cõtradiceretur,vel
A ipsa iurauit se prægnantem, vel contra eam iuratum est.
Nam si ipsa:ibit in possessionem sine metu.si contra eam:
non ibit,quamuis verè prægnans fuerit:proderitque(in-
quit Marcellus) mulieri iuranti iusiurandum, ne conue-
niatur quasi calũniæ caussa ventris nomine fuerit in pos
sessione,néve vim patiatur in possessione. sed an iusiuran
dum eousq; prosit, vt post editũ partum nõ quæratur, ex
eo editus sit,an non sit, cuius esse dicitur, Marcellus tra-
ctat. & ait,veritatem esse quærendam: quia iusiurandum
alteri neque prodest,neque nocet.matris igitur iusiuran-
dum partui non proficiet,nec nocebit:& si mater detule-
rit,& iuretur ex eo prægnans non esse. Iurari autem o-
B portet,vt delatum est iusiurandum.cæterùm si ego detu-
li,vt per deum iurares,tu per caput tuum iurasti,

IIII. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

VEl filiorum tuorum:

V. VLPIANVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

NOn erit ratum habendum iusiurandũ.quod si exegi,
vt per salutẽ tuã iurares,& iurasti: stabitur.† Omne
enim omnino licitũ iusiurandũ, per quod voluit quis si-
bi iurari, idoneũ est: & si ex eo fuerit iuratum,prætor id
tuebitur. Diuus Pius iuriiurando,quod propria super-
stitione iuratũ est,standũ rescripsit. Dato iureiurando,
non aliud quæritur,quàm an iuratũ sit, remissa quæstio-
C ne AN DEBEATVR: quasi satis probatum sit iureiu-
rando.Sed si quis illicitum iusiurandum detulerit,scili-
cet improbatæ publicæ religionis : videamus, an pro eo
habeatur,atque si iuratum nõ esset. quod magis existimo
dicẽdum. Si neque iuratum est,neque remissum iusiuran
dum : pro eo debet haberi , atque si res in iusiurandum
admissa non esset. proinde si postea iurare paratus sit, ni-
hil ei hoc iusiurandum proficiet: quia ex eo, quod dela-
tum est,iuratum non est.

†Quã variũ et multiplex iusiurandum apud diuersas gentes fuerit, Alexã. ab Alexã. Genia. dierum. li. 5. ca. 10.

VI. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

REmittit iusiurandum,qui deferente se, cùm paratus
esset aduersarius iurare, gratiam ei facit, contentus
voluntate suscepti iurisiurãdi. Quòd si non susceperit
iusiurandum : licet postea parato iurare , actor nolit de-

T ferre:

ferre: nõ videtur remissum. Nam quod susceptum est, remitti debet. D

Ex iuramento oritur exceptio reo & eius successori, etiam in rem quæ exceptionem litis contestatæ impedit, nisi altiorem requirat indaginem. Bartolus.

VII. VLPIANVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

Ait prætor. EIVS REI, DE QVA IVSIVRANDVM DELATVM FVERIT: NEQVE IN IPSVM, NEQVE IN EVM, AD QVEM EA RES PERTINET, ACTIONEM DABO. EIVS REI sic erit accipiẽdum: siue de tota re, siue de parte sit iuratum. Nam de eo, quod iuratum est, pollicetur se actionem non daturum: neque in eum, qui iurauit, neque in eum, qui in locum eius, cui iusiurandum delatum est, E succedit:

VIII. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

Etiam si in rem successit.

IX. VLPIANVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

Nam postea, quàm iuratum est, denegatur actio: aut si controuersia erit, id est, si ambigitur: an iusiurandũ datum sit: exceptioni locus est. Iureiurando dato vel remisso, reus quidem adquirit exceptionem sibi aliisque: actor verò actionem adquirit, in qua hoc solum quæritur, an iurauerit dari sibi oportere: vel cùm iurare paratus esset, iusiurandum ei remissum sit. Si damnetur quis post iusiurandum ex famoso iudicio: famosum esse, magis est. F Si is, qui temporaria actione mihi obligatus erat, detulerit iusiurandum, vt iurem eum dare oportere, egóque iurauero: tempore non liberatur: quia post litem cum eo contestatam perpetuatur aduersus eum obligatio. Si minor vigintiquinq; annis detulerit, & hoc ipso captum se dicat, aduersus exceptionem iurisiurãdi debebit id replicari, vt Pomponius ait. Ego autẽ puto hanc replicationem non semper esse dandam: sed plerunque ipsum prætorem debere cognoscere, an captus sit: & sic in integrũ restituere. nec enim vt quisq; minor est, statim & circunscriptum se docuit. Propterea exceptio ista siue cognitio statutum tempus post annum vicesimumquintum non debet egredi. Sed & si quis iusiurandũ in frau-

dem

dem creditorum detulerit debitori : aduersus exceptionem iurisiurãdi,replicatio fraudis creditoribus dari
A debet. Præterea si fraudator detulerit iusiurãdũ creditori, vt iuraret decẽ sibi dari oportere:mox bonis ei⁹ vẽditis, experiri volet: aut denegari debet actio,aut exceptio op ponitur fraudatorũ creditorum. Iusiurãdum defensoris vel procuratoris ei ab aduersario delatum prodesse, exceptionẽmque domino párere, Iulianus scribit. Idem ergo dicendum erit,& si datus ad petendum procurator, reo deferẽte,iurauerit dari mihi oportere.nam actionem mihi parit.quæ sententia habet rationem.

Actori super actione reali iuranti rem esse suam,datur cõtra deferentem actio, non contra alium: sed possessori iuranti rem actoris
B *non esse,datur contra deferentem exceptio, non autem actio: secus si iurauit rem suam esse:quia tunc etiam datur actio,si ad deferentem peruenit possessio.Alexan.*

Si petitor iurauit, possessore deferente, rem suam esse, actori dabitur actio: sed hoc dũtaxat aduersus eum, qui iusiurandum detulit,eósque,qui in eius locum successerũt.Cæterùm si aduersus alium velit prærogatiua iurisiurandi vti:nihil ei prodetit.

X. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

QVia nõ debet alij nocere, quod inter alios actũ est.

XI. VLPIANVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

SEd& si possessori fuerit iusiurandum delatùm,iuraue
C ritq́ue rem petitoris non esse:quàm diu quidem possidet,aduersus eum,qui detulit iusiurandũ,si petat,excẽptione iurisiurandi vtetur. Si verò amiserit possessionẽ: actionem non habebit, nec quidem etiam si is possideat, qui ei iusiurandum detulit.non enim rem suam esse iurauit,sed eius non esse. Proinde si cùm possideret,deferente petitore, rem suam esse iurauit: cõsequenter dicemus, amissa quoque possessione,si is,qui detulit iusiurãdum, nactus sit possessionem : actionem in factum ei dandam. fructus etiam perceptos ex re,quam meam esse iuraui,restitui mihi placuit. sed & partum editum, fœtúsque pecorum restituendos constat post iusiurandum delatum.

Verba iuramenti si non possunt stare secundum propriam significationem: intelliguntur secundum impropriam. Bartolus.

Item si iurauero vsumfructum alicuius rei vel meum esse, vel mihi dari oportere: eatenus mihi competit actio, quatenus si verè vsumfructum haberem, duraret. quibus verò casibus amitteretur, non competit mihi actio. Sed & si rerum, in quibus vsusfructus propter abusum constitui non potest, iurauerit vsumfructum se habere, vel sibi deberi: effectum iurisiurandi sequendum arbitror. Ideóque tunc quoque videri eum rectè iurasse puto: & ex eo iureiurando posse petere vsumfructum, cautione oblata. D

Iuramentum habet vim probationis & sententiæ inter easdem personas, non inter alias. Alexan.

Si cùm de hereditate inter me & te controuersia esset, iurauero hæreditaté meam esse: id cósequi debebo, quod haberem, si secundum me de hæreditate pronunciatum esset. & non solùm eas res restituere debebis, quas tunc possidebas: sed & si quas postea cœpisses possidere: perindéque haberi, quod iuratum est, atque si probatum esset. Idcirco vtilis actio mihi competit. Quod si ego ex eadem hæreditate possiderem, túque cœpisses petere à me: cùm aduersus te iurassem, exceptione me vti debere iurisiurandi. Planè si alius à me petere hæreditatem cœperit: dubium non erit (vt & Iulianus scribit) nihil mihi iusiurandum prodesse. E

XII. IVLIANVS *lib. X. Digestorum.*

IDem est, & si ego quolibet alio possidente res hæreditarias petere velim: quia & si petiissem à te hæreditaté, probassémque meam esse: nihilominus ab altero petédo, idipsum probare necesse haberem. F

Si alter ex patronis excludatur à iure patronatus per iuramentum liberti delatum ab ipso, portio sua alteri non accrescit: sed hac exclusio benefacit præsumptioné aliqualem pro altero vt ipse sit insolidum patronus, si hoc ipse patronus asserat, licet libertus neget, & constet ipsum esse patronum, non tamen constet quod sit insolidum. Alexander.

XIII. VLPIANVS *lib. XXII. ad edictum.*

SI duo patroni essent, & libert⁹ altero deferéte iurasset, se libertum eius nó esse: vtrum alteri debitæ sibi portionis, an verò dimidiæ debitæ ei & suæ partis bono-

rum

rum possessio competeret: Iulianus quærit? & ait, si is, cui
A iuratum est, patronus fuisset: alteri suæ partis bonorum possessionem competere. nec ei prodesse, quod aduersus alterum libertus iurasset. multum tamen fidei & authoritatis apud iudicem patronum habiturum, quò magis solum patronũ se probaret, quod libertus iurasset alterum patronũ nõ esse. Iulianus ait eum, qui iurauit fundum suum esse, post longi temporis præscriptionem etiam vtilem actionem habere debere.

Quando iuratur super facto, tollitur omnis actio, quæ potest oriri ex alio facto. Item iudex non debet admittere impertinentes articulos. Bartolus.

Item Iulianus scribit eum, qui iurauit, se furtum non
B fecisse, videri de toto iurasse: atque ideo neque furti, neque condictitia teneri: quia condictitia (inquit) solus fur tenetur. Nunquid ergo qui iurauit furtum se non fecisse hoc solo nomine, condictione si conueniatur, exceptione vtetur? Cæterùm si contendat, qui condicit quasi cum hærede se furis agere: non debet repelli? & quasi μονομερὴς condictio ei dari debet aduersus hæredem furis: nec pati eum iudex debet, si cœperit tentare furem probare.

Ex iuramento præstito formiter datur actio, vtilis ex eo contractu cuius forma continet iuramentum. Bartolus.

Si quis iurauerit me ei vendidisse rem centum: ex empto
C agere poterit, vt ei cætera præstentur: id est, vt res tradatur, & de euictione caueatur: an tamen ad precium consequendum ex vendito cõueniri possit, videndum. & siquidem de hoc ipso iuratũ est, & quod precium solutum est: nulla pro precio actio superest. Si verò hoc non fuerit iuratum: tunc consequens est, de precio eum teneri. Idem dicemus, & si quis societatẽ fecisse iurauerit. Nam & is pro socio poterit conueniri.

Quando iuratur super contractu: competit vtilis ex eo contractu, tunc quando competeret si verè contractus intercessisset. Bartolus.

Marcellus etiam scribit, si quis iurauerit ob decem pignori dedisse fundum: non aliâs eum pignoraticia agere posse, quàm si decem soluerit. sed & illud adiicit, fortassis eum etiam in decem ex iureiurando suo posse conueniri.

niri. quod magis probat. cui Quintus Saturninus consen sit: argumentoque hic vtitur eius, qui iurauit eam, quæ vxor sua fuerat, rem sibi in dotem dedisse. nam & hic vxo ri ait vtilem de dote actionem dandam. quæ non esse ex- tra æquitatem posita nõ negauerim. Si quis iurauerit† in re pecuniaria per genium principis, dare se non opor- tere, & peierauit: vel dari sibi oportere, vel intra certum tempus iurauerit se soluturum, nec soluit: Imperator no ster cum patre rescripsit, fustibus eum castigatum dimit- ti, & ita ei superindici, προπετῶς μὴ ὄμνυε. D

†De periurii pœna Cic. lib. 3. Offi. in fine. vbi & alia multa quæ ad iusiurandum pertinẽt, copiosè disserit. Gell. li. 7. no. at. ca. 18.

XIIII. PAVLVS *lib. I. ad edictum.*

QVoties propter rem iuratur: nec parenti, nec patro- no remittitur iusiurandum. propter rem autẽ iusiu randũ exigitur (veluti de pecunia credita) cùm iurat actor sibi dari oportere, vel re' se dare nõ oportere. idem est, cùm de pecunia constituta iusiurandũ exigitur. E

XV. IDEM *lib. VI. ad edictum.*

AD personas egregias, eósque, qui veletudine impe- diuntur, domum mitti oportet ad iusiurandum.

Non cogitur quis iurare super actione, quæ cõtra eum proponi non potest: & patrono remittitur iuramentum calumniæ. Bartolus.

XVI. VLPIANVS *lib. X. ad edictum.*

SI patronus libertam suam duxerit vxorem: non com- pellitur iurare de rerum amotarum iudicio. sed & si ipse deferat iusiurandum libertæ suæ, de calũnia non de- bet ipse iurare. F

XVII. PAVLVS *lib. XVIII. ad edictum.*

IVsiurandum, quod ex conuentione extra iudicium de- fertur, referri non potest. Pupillus tutore authore iusiurandum deferre debet. Quod si sine tutoris autho- ritate detulerit: exceptio quidem obstabit, sed replica- bitur: quia rerum administrandarum ius ei non compe- tit. Si tutor, qui tutelam gerit, aut curator furiosi pro- digíve iusiurandum detulerit: ratum id haberi debet. Nam & alienare res, & solui eis potest, & agendo rem in iudicium deducunt.

Procurator potest iuramentum deferre, si habet generale cum libera, vel speciale mandatum, vel est in rem suam. aliàs secus, etiam si caueret de rato propter dubium de mandato. Bartolus.

Procurator

Procurator quoque quod detulit, ratum habendũ est:
A scilicet si aut vniuersorum bonorum administrationem sustineat, aut si idipsum nominatim mãdatum sit, aut si in rem suam procurator sit.

XVIII. VLPIANVS *lib.* XXVI. *ad edictum.*

ALiâs autem procuratorem deferentem iusiurandum nõ esse audiendum, Iulianus libro decimo Digestorum scribit: ne postea reus, qui semel iurauit, à domino conueniatur. nec multum ei proficere, si fuerit ei de rato cautum. siue enim dominus petat, cogetur reus docere liquidò se iurasse, posita scilicet exceptione: siue ex stipulatione de rato agat, necesse habebit ipse de periuriò suo docere.

B XIX. IDEM *lib.* XXII. *ad edictum.*

SI itaque mandatum fuit procuratori, vt petat, ille autem iusiurandum detulit: aliud fecit, quàm quod mãdatum est.

Seruus & filiusfamiliâs aduersario deferente iurantes, actionẽ & exceptionem patri & domino quærũt etiam extra caussam peculiarem. ipsi verò si deferant, nocent patri & domino in causa peculiari, in qua liberam administrationem habent. Alexand.

XX. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

SEruus quod detulit, vel iurauit, seruatur, si peculij administrationem habuit.

XXI. CAIVS *lib.* V. *ad edictum prouinciale.*

C HVic enim solui quoque rectè potest, & nouandæ obligationis ius habuit.

XXII. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

QVidam putant & de peculio actionem in dominum dandam, si actori seruus detulerit iusiurandum. eadem & in filiofamiliâs dicenda sunt.

XXIII. VLPIANVS *lib.* XXVI. *ad edictum.*

SI seruus iurauerit dominum dare non oportere: exceptio domino indulgenda est, sibique aduersarius imputabit, qui seruo detulit iusiurandum.

XXIIII. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

MVltò magis proderit patri religio filij, cum quo etiam iudicium consistere poterit. ipsi autem referentes, conditionem eorum, quibus subiecti sunt, non

faciunt deteriorem.

XXV. VLPIANVS *lib.* XXVI. *ad edictum.*

Sed & si seruus meus delato vel relato iureiurando, iurarit rem domini esse, vel dari oportere: puto dandam mihi actionem, vel pacti exceptionem propter religionem & conuentionem. D

Iuramentum etiam pupilli & mulieris tuendum est quo ad commodum iurantis: & in pupillo non cadit periurium. Alexand.

XXVI. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

Qui iurasse dicitur, nihil refert, cuius sexus ætatisue sit. omni enim modo custodiri debet iusiurandum aduersus eum, qui contentus eo, dum deferret, fuit. quãuis pupillus nõ videatur peierare, quia sciẽs fallere non videatur. Si pater filium dare non oportere iurauerit: Cassius respondit, & patri & filio dandam exceptionem iurisiurandi. Si pater iurauerit in peculio nihil esse: filius conueniri poterit. sed & pater ita conuenietur, vt pôst adquisiti peculij ratio habeatur. Iurisiurandi conditio ex numero esse videri potest nouãdi delegandiúe: quia proficiscitur ex conuentione, quamuis habeat & instar iudicij. E

XXVII. CAIVS *lib.* V. *ad edictum prouinciale.*

Iusiurandum etiam loco solutionis cedit.

XXVIII. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

In duobus reis stipulandi ab altero delatum iusiurandum etiam alteri nocebit. Quòd si reus iurauit, etiã fideiussori proficit. Item à fideiussore exactum iusiurandum, prodesse etiam reo Cassius & Iulianus aiunt. Nam quod in locum solutionis succedit, hoc quoque eodem loco habendum est: si modò ideo interpositum est iusiurandum, vt de ipso contractu, & de re, non & de persona iurantis ageretur. Si ei, qui debitorem meum in iudicium exhibere promiserit, iusiurandum detulerim: isque iurauerit, se omnino exhibitionem eius non promisisse: prodesse id debitori meo non debet. si verò iurauerit se nihil mihi præstare oportere: distinguendum est, & replicatione emendandum, vtrũ ideo iurauerit, quia post promissionem exhibuerit: an verò, quia soluerit. quod eodẽ modo & in fideiussore debiti distinguẽdũ est. Ex duobus reis. F

bus reis promittendi eiusdem pecuniæ, si alter iurauit, al
A teri quoque prodesse debebit.

Sublata actione speciali per iuramentũ, tollitur generalis descẽdens ex eadem, & ad idem, & per eadẽ media: sed sublata qualitate facti nõ tollitur factũ simplex: & sublato facto tolluntur omnes actiones ex eo facto descendentes: non autẽ tollitur aliud factũ, vel caussa nõ dependens ab illa super qua iuratum est. secus si pendeat.

Exceptio iurisiurandi non tantùm si ea actione quis vtatur, cuius nomine exegit iusiurandum, opponi debet, sed etiam si alia: si modò eadem quæstio in iudicium deducatur: fortè si ob actionem mandati, negociorum gestorum, societatis, cæterasque similes iusiurandum exactum sit, deinde ex iisdem caussis certum cõdicatur: quia
B per alteram actioné altera quoque cõsumitur. Si quis iurauerit se non rapuisse: non debet adiuuari hoc iureiurando, & in actione furti, & condictione: quia aliud est furtum fecisse, quod vel clam fieri potuit. Colonus, cũ quo propter succísas fortè arbores agebatur ex locato, si iurauerit se non succidisse: siue è lege duodecim tabularum de arborib⁹ succísis, siue ex lege Aquilia damni iniuriæ, siue interdicto QVOD VI AVT CLAM postea conuenietur: per exceptionem iurisiurandi defendi poterit. Quæ iurauit diuortij caussa rem se non amouisse: non debet defendi per exceptionem, si cum ea in ré agatur. & si contendat suã esse: alio iureiurando opus est.
C cõtrà si iurauerit suam esse: debet in actione rerum amotarum defendi. & omnino hoc obseruandum est (licet per aliam actionem eadem quæstio moueatur) vt exceptio iurisiurandi locum habeat. Igitur si quis iurauit se non esse condénatum: etiam si ex stipulatu IVDICATVM SOLVI ob rem iudicatam conueniatur, defendetur per exceptionem. Contrà si cũ ex stipulatu IVDICATVM SOLVI conueniretur, iurauit se dare non oportere: agenti iudicati non vtique obstabit exceptio. potest enim fieri, vt non sit commissa stipulatio, licet res iudicata sit: nisi ideo iurarit quod nec damnatũ se esse diceret. Ité Pomponius ait eum, qui furtum sibi alicuius rei factum iurauerit, non statim etiam condictionis caussam nancisci. Item cùm ex hac parte iusiurandum & actionem & exceptio-

exceptionem inducat:si fortè reus extra iudicium, actore inferente, iurauerit se dare non oportere, & actor reo referente dari sibi oportere, vel contrà: posterior caussa iurisiurandi potior habebitur. nec tantum præiudicium periurio alterius fiet: quia non quæretur, an dare eum oporteat, sed an actor iurauerit. D

XXIX. TRIPHONINVS *lib.* VI. *Disputationum.*

QVòd si iuraui te deferente, non iurasse te dari tibi oportere: aduersus vtilem actionem, qua hoc quæretur, an iuraueris tibi dari oportere, opponéda est exceptio iurisiurandi, perimentis quæstionem actione comprehensam.

Quando grauamen vnum est caussa alicuius commodi, sublato grauamine cessat commodum. Alexand. E

XXX. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

EVm, qui iurauit ex ea actione, quæ inficiando crescit, aliquid sibi deberi: simpli, non dupli persecutionem sibi adquirere, Pedius ait. abundè enim sufficere, exonerare petitorem probandi necessitate: cùm omissa hac parte edicti, dupli actio integra maneat. & potest dici hoc iudicio non principalem caussam exerceri, sed iusiurandũ actoris conseruari. Si iurauero te Stichum mihi dare oportere, qui non sit in rerum natura: nec æstimationem mihi præstare reus debet, nisi ex caussa furtiua, vel propter moram. tunc enim etiam post mortem serui æstimatio præstatur. Si mulier iurauerit decem dotis sibi deberi: tota ea summa præstanda est. sed si iurauit se decem dedisse in dotem: hoc solum non erit quærendum, an data sint: sed quasi data sint, quod ex eo reddi oportet, præstandum erit. In popularibus actionibus iusiurandum exactum, ita demum aduersus alios proderit, si bona fide exactum fuerit. nam & si quis egerit; ita demum consumit publicam actionem, si nõ per collusionem actum sit. F

Si libertus deferente patrono iurauit se libertum non esse: ratum habendum est iusiurandum, vt nec operarum petitio, nec bonorũ possessio contra tabulas dari debeat.

Si iurauero vsumfructum mihi dari oportere: non aliter dari debet, quàm si caueam boni viri arbitratu me vsurum, & finito vsufructu restituturum.

XXXI.

XXXI. CAIVS *lib.* XXX. *ad edictum prouinciale.*

A ADmonendi sumus, interdum etiam post iusiurãdum exactum, permitti cõstitutionibus principum ex integro caussam agere: si quis noua instrumenta se inuenisse dicat, quibus nunc solùm vsurus sit. sed hæ constitutiones tunc videntur locum habere, cùm à iudice aliquis absolutus fuerit. solent enim sæpe iudices in dubiis caussis, exacto iureiurando secundum eum iudicare, qui iurauit. Quod si aliâs inter ipsos iureiurando transactum sit negocium: non cõceditur eandem caussam retractare.

XXXII. MODESTINVS *lib.* III. *Differentiarum.*

B IVrisiurandi gratiam facere pupillus non potest.

XXXIII. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad Sabinũ.*

QVi per salutem suam iurat, licet per deum iurare videatur (respectu enim diuini numinis ita iurat) attamen si non ita specialiter iusiurandum ei delatum est: iurasse non videtur. & ideo ex integro solẽniter iurandum est.

XXXIIII. IDEM *lib.* XXVI. *ad edictum.*

IVsiurandum & ad pecunias, & ad omnes res locum habet. etiam de operis iusiurandum deferri potest: nec de iniuria queri aduersarius potest, cùm possit iusiurandum referre. Quid tamen si ideo dicat reus se liberatum, quoniam Stichum, quem promiserat, putat C decessisse? non erit tutus per relationem. & ideo ex hac caussa putat Marcellus (& rectè) aut remittendum ei iusiurandum, aut spacium dandum, vt certioretur, & sic iuret. Defensor municipum, vel cuiusuis corporis, iusiurandum deferre potest, si super hoc mandatum habeat. Pupillo non defertur iusiurandum. Procurator non compellitur iurare, nec defensor: & ita Iulianus scribit libro decimo Digestorum, defensorem iurare non compelli: sufficereq́ue ad plenam defensionem, si paratus sit iudicium accipere. Qui iusiurandũ defert, prior de calũnia iurare debet, si hoc exigatur: deinde sic ei iurabitur. hoc iusiurandũ de calũnia æquè patrono & parẽtibus remittitur. Si de qualitate iuramẽti fuerit inter par-

ter partes dubitatum: conceptio eius in arbitrio iudicantis est. D

Si is, cui defertur iuramentum, non iurat, nec refert: cogitur soluere: nisi ex caussa recuset. Bar.

Ait Prætor. EVM, A QVO IVSIVRANDVM PETETVR, SOLVERE AVT IVRARE COGAM. alterum itaque eligat reus, aut soluat, aut iuret. si non iurat: soluere cogẽdus erit à prætore. Datur autem & alia facultas reo, vt si malit, referat iusiurandum. & si is, qui petet, conditione iurisiurandi non vtetur: iudicium ei prætor non dabit. Aequissimè enim hoc facit: cũ non debeat displicere cõditio iurisiurãdi ei, qui detulit. sed nec iusiurandum de calumnia referenti dabitur: quia non est ferendus actor, si conditioni, quam ipse detulit, de calumnia velit iurari. E Non semper autem consonans est, per omnia referri iusiurandum, quale defertur: forsitan ex diuersitate rerum vel personarum quibusdam emergentibus, quæ varietatem inducunt. ideoq́ue si quid tale inciderit: officio iudicis conceptio huius iurisiurandi terminetur. Cùm res in iusiurãdum demissa est: iudex iurãtem absoluet, & referentem audiet. & si actor iuret: condẽnet reum. nolenté autem iurare reũ, si soluat, absoluet. non soluentem condemnet. vel ex relatione non iurante actore, absoluet reum.

XXXV. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

TVtor pupilli, omnibus probationibus aliis deficiẽtibus, iusiurandum deferens, audiendus est: quandoq; enim pupillo denegabitur actio. F Prodigus si deferat iusiurandum, audiendus non est. Idemque in cæteris similibus ei dicendum est. Nam siue pro pacto conuento, siue pro solutione, siue pro iudicio hoc iusiurandum cedit: non ab aliis delatum probari debet, quàm qui ad hæc habiles sunt. Qui non compelluntur Romæ iudicium accipere, nec iurare compellendi sunt: vt legati prouinciales.

Iuramẽtum restringitur ad eam caussam, super qua iuratur: nec ad aliam porrigitur. Bartolus.

XXXVI. VLPIANVS *lib.* XXVI. *ad edictum.*

SI actor deferat iusiurandum de sola constituta pecunia, &

nia,& reus iurauerit: exceptione vtetur, si de constituta
A conueniatur. sed si de sorte, id est, de priore obligatione conueniatur: exceptio cessabit, nisi de hac quoque iurauerit, aduersario deferente.

Deferens qui nō vult iurare de calumnia, remittēti similis est. B.

XXXVII. IDEM *lib.* XXXIII. *ad edictum.*

SI non fuerit remissum iusiurādum ab eo, qui detulit, nec de calumnia iuretur: cōsequens est, vt debeat denegari actio. Sibi enim imputet, qui processit ad delationem iurisiurādi, nec prius de calumnia iurauit: vt sit iste remittenti similis.

XXXVIII. PAVLVS *lib.* XXXVII. *ad edictum.*

MAnifestæ† turpitudinis est & cōfessionis, nolle nec
B iurare, nec iusiurandum referre.

Ex pacto collato in conditionem iuramenti: secuto iuramento, oritur exceptio. Bartolus.

†*Plato tamen dial. 12. de leg. turpe esse cēsuit iusiurādum exigere & omnino vsum iurisiurādi p̄hibuit,*

XXXIX. IVLIANVS *lib.* X. *Digestorum.*

SI quis cū debitore suo pepigerit, ne ab eo pecunia peteretur, si iurasset se capitolium non ascendisse, vel aliud quodlibet fecisse, vel non fecisse, isq́ue iurauerit: & exceptio iurisiurandi dari debebit, & solutū repeti poterit. est enim iusta conuentio, si quælibet caussa in conditione iurisiurandi deducta fuerit.

Si iuratur super debito, liberatur pignus, & contra actionem ad pœnam paratur exceptio: & soluti postea datur repetitio. Bar.

C XL. IDEM *lib.* XIII. *Digestorum.*

IVsiurandum à debitore exactum efficit, vt pignus liberetur. est enim hoc acceptilationi simile. perpetuam certè exceptionem parit. idcirco pœnam quoque petentem creditorem exceptione submoueri oportet, & solutum repeti potest: vtpote cùm interposito eo, ab omni controuersia discedatur.

XLI. POMPONIVS *lib. singulari Regularum.*

LAbeo etiam absenti & ignoranti iurisiurandi gratiam fieri posse respondit. sed & per epistolam iurisiurandi gratia fieri potest.

Si debitor iurat ex caussa, quæ personam tantùm ab obligatione eximit, fideiussori non proderit. secus si iurat super contractu: quod facere videtur in dubio. Bartolus.

XLII.

XLII. IDEM *lib.* XVIII. ἐπιστολῶν.

Creditore, qui de mutua pecunia contra pupillum contendebat, iusiurandum deferente: pupillus iurauit se dare non oportere. eandem pecuniam à fideiussore eius petit. an excludendus sit exceptione iurisiurandi? quid tibi placeat, rescribe mihi. Eãdem rem apertius explicat Iulianus. Nam si controuersia inter creditorem & pupillum fuerit, an omnino pecuniam mutuam accepisset: & conuenerit, vt ab omni conditione discederetur, si pupillus iurasset: isque iurauerit se dare non oportere: naturalis obligatio hac exceptione tolletur, & soluta pecunia repeti poterit. Sin verò creditor quidem se mutuam dedisse contendat, pupillus autem hoc solo defendatur, quod tutor eius non interuenit, & hoc tale iusiurãdum interpositum est: hoc casu fideiussorem prętor non tuebitur. Si autem liquidò adprobari non potest, quid actum sit: & in obscuro erit (vt plerumque) de facto, an de iure inter creditorem & pupillum controuersia fuerit: tantumque deferente creditore, pupillum iurasse: intelligere debemus, actum inter eos, vt si iurasset dari non oportere, ab omni conditione discederetur. Atque ita & solutam pecuniam repeti posse, & fideiussoribus exceptionem dari debere existimabimus. Si fideiussor iurauerit se dare non oportere: exceptione iurisiurandi reus promittendi tutus est. At quin si, quasi omnino idem non fideiussisset, iurauit: nõ debet hoc iusiurandum reo promittendi prodesse. Sed & si actore deferente, defensor absentis vel præsentis iurauit eum, quem defendit, dare nõ oportere: exceptio iurisiurandi ei, cuius nomine iuratum fuerit, dari debebit. Eadem ratio est, & si fideiussoris defensor iurauerit. reo enim datur exceptio. Item si reus iurauerit, fideiussor tutus sit: quia & res iudicata secundum alterutrum eorum vtrique proficiet.

D E F

DE IN LITEM IVRANDO. Tit. III.

VLPIANVS *lib.* XXVII. *ad Sabinum.*

Rem

A Rem in iudicio deductam non idcirco pluris esse opinamur, quia crescere poterit ex cõtumacia non restituentis, per iusiurandum in litem. Non enim res pluris fit per hoc, sed cõtumacia æstimatur vltra rei precium.

II. PAVLVS. *lib.* XIII. *ad Sabinum.*

Siue nostrum quid petamus, siue ad exhibendam agatur. Interdum quod interfit agentis solum æstimatur: veluti cùm culpa punitur non restituentis, vel non exhibentis. Cùm verò dolus punitur, aut contumacia non restituentis, vel non exhibentis: quanti in litem iurauerit actor.

In iis, in quibus nõ cadit affectio, non defertur iuramentũ in litem ad probandum verum interesse, etiam extra rem: quod circa B *rem non cadit. Bartolus.*

III. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

Nummis depositis, iudicem non oportet in litem iusiurandum deferre, vt iuret quis quod sua interfuit, cũ certa sit numorum æstimatio: nisi fortè de eo quis iuret, quod sua interfuisset numos sibi sua die redditos esse. Quid enim si sub pœna pecuniam debuit, aut sub pignore, quod (quia deposita ei pecunia denegata est) distractum sit?

In caussa quæ per tutorem agitatur, pupillus vel mater eius ad iurandum de affectione non admittitur: tutor & curator non cogi- C *tur, sed volens admittitur. adultus etiam admittitur. Bar.*

IIII. IDEM *lib.* XXXVI. *ad edictum.*

Videamus in tutelari caussa quis iurare, & aduersus quẽ possit. & quidẽ ipse pupillus, si impubes est, nõ potest. hoc enim sæpissimè rescriptũ est. Sed nec tutorem cogendum, nec matrem pupilli admittendam, & si parata esset iurare, diui fratres rescripserunt. Graue enim videbatur, & ignorantes & inuitos tutores, sub alieni cõpendij emolumento, etiam periurium anceps subire. Curatores quoque pupilli vel adolescentis non esse cogendos in litem iurare, rescriptis Imperatoris nostri & diui patris eius continetur. Si tamen affectionem tantam pupillo suo vel adolescenti tutores vel curatores præstare volent: authoritas iuris non refragabitur, quin iudicio,

quod inter ipsos acceptum est, finis eiusmodi possit adhiberi. Non enim ad suam vtilitatem iurisiurandi referenda æstimatio est, sed ad domini, cuius nomine tutelæ ratio postulat. Adolescés verò, si velit, iurare potest. D

Solus iudex potest iuramentum in litem deferre, & in infinitum potest iurari: debet tamen iudex certam quātitatem taxare, in quā iuretur: non tamen præstitum iuramentum cogitur iudex omnino sequi, si tale iuramentum ob culpam non defertur. Alex.

Deferre autem iusiurādum iudicem oportet. Cæterùm si alius detulerit iusiurandum, vel eo non delato, iuratum sit: nulla erit religio: nec vllum iusiurandum. & ita constitutionibus expressum est Imperatoris nostri & diui patris eius. Iurare autem in infinitum licet. Sed an iudex modum iuriiurando statuere possit, vt intra certam quātitatem iuretur: ne arrepta occasione, in immensum iuretur, quæro? Et quidem in arbitrio esse iudicis, deferre iusiurandùm, nécne velit, constat. An igitur is, qui possit iusiurandum non deferre, idem possit & taxationem iuriiurando dicere, quæritur? Arbitrio sanè iudicis bonæ fidei & hoc congruit. Item vidēdum, an possit iudex, qui detulit iusiurandum, non sequi id: sed vel prorsus absoluere, vel etiam minoris condemnare, quàm iuratum est. Et magis est, vt ex magna caussa, & postea repertis probationibus, possit. Ex culpa autem non esse iusiurandum deferendum constat: sed æstimationem à iudice faciendam. E F

In actionibus in rem arbitrariis, & bonæ fidei, iuratur in litē secundum taxationem iudicis ob dolum tantum. in aliis autem actionibus stricti iuris non iuratur in litem, nisi quando alia vera æstimatio probari non potest. Bartolus.

V. MARTIANVS *lib.* IIII. *Regularum.*

IN actionibus in rem, & in ad exhibendum, & in bonæ fidei iudiciis, in litem iuratur: sed iudex potest præfinire certam summam, ad quam vsque iuretur. licuit enim ei à principio nec deferre. Item & si iuratum fuerit: licet iudici vel absoluere, vel minoris condemnare. Sed in his omnibus ob dolum solum in litem iuratur, non etiam ob culpam. hæc enim iudex æstimat. Planè interdum & in actione stricti iudicij in litem iurandum est: veluti si promissor.

missor Stichi moram fecerit, & Stichus decesserit: quia
A iudex æstimare sine delatione iurisiurãdi nõ potest rem,
quæ non exstat.

VI. PAVLVS *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

ALiàs si ex stipulatu, vel ex testamento agatur, nõ solet in litem iurari.

VII. VLPIANVS *lib.* VIII. *ad edictum.*

VVlgo præsumitur, alium in litem non debere iurare, quàm dominum litis. Denique Papinianus ait, alium non posse iurare, quàm eum, qui litem suo nomine contestatus est.

In actione tutelæ, quia est bonæ fidei, iuratur in litem. Bar.

VIII. MARCELLVS *lib.* XVIII. *Digestorum.*

B TVtor rem adulti, quã possidet, restituere ei nõ vult. Quæro, vtrum quanti res est, an quanti in litem iuratum fuerit, condemnari debeat? Respondi, non æquum esse precio, id est, quanti res est, litem æstimari: cùm & cõtumacia punienda sit, & arbitrio potius domini rei precium statuendum sit, potestate petitori in litem iurandi concessa.

IX. IABOLENVS *lib.* XV. *ex Cassio.*

CVm furti agitur, iurare ita oportet: tanti rem fuisse, cùm furtum factum sit, nõ adiici, EO PLVRISVE: quia quæ res pluris est, vtique tanti est.

X. CALLISTRATVS *lib.* I. *Quæstionum.*

C IN instrumentis, quæ quis non exhibet actori: permittitur in litem iurare, quanti sua interest ea proferri, vt tanti condemnaretur reus: idemq; etiam diuus Commodus rescripsit.

XI. PAVLVS *lib.* III. *Responsorum.*

DE periurio eius, qui ex necessitate iuris in litem iurauit, quæri facilè non solere.

DE CONDICTIONE CAVSSA *data, caussa non secuta,* Tit. IIII.

Dati ob caussam caussa secuta, cessat repetitio: secus si caussa non sit secuta: siue fuerit expressa, siue ab vtraque parte tacite intellecta. Bartolus.

VLPIANVS *lib.* XXVI. *ad edictum.*

SI ob rem non inhoneſtam data ſit pecunia: puta vt filius emanciparetur, vel ſeruus manumitteretur, vel à lite diſcederetur: cauſſa ſecuta, repetitio ceſſat. Si parendi conditioni cauſſa tibi decem dedero, & mox repudiauero hæreditatẽ, vel legatum: poſſum condicere. D

II. HERMOGENIANVS. *lib.* V. *iuris* ἐπιτομῶν.

SEd & ſi falſum teſtamẽtum ſine ſcelere eius, qui decem dedit, vel inofficioſum pronũcietur: veluti cauſſa non ſecuta, decem repetentur.

Si pecunia datur, ne quis ad iudicem euocetur, non poteſt repeti, licet de non vocando non caueatur: ſecus ſi ad iudicem quis vocetur. Bartolus. E

III. VLPIANVS *lib.* XXVI. *ad edictum.*

DEdi tibi pecuniam meam, ne ad iudicem iretur, quaſi decidi. an poſſim condicere, ſi mihi non caueatur, ad iudicem non iri? & eſt verum, multum intereſſe: vtrum ob hoc ſolum dedi, ne eatur: an vt & mihi repromittatur non iri. ſi ob hoc, vt repromittatur: condici poterit, ſi non repromittatur. ſi vt non eatur: condictio ceſſat, quamdiu nõ itur. Idem eſt, & ſi tibi dedero, vt Stichum manumittas. Nam ſecundum diſtinctionem ſuprà dictam, aut admittenda erit repetitio, aut inhibenda. Planè ſi tibi dedero, vt Stichum manumittas: ſi non facis, aut ſi me pœniteat, condicere poſſum. Quid ſi ita dedi, vt intra certum tempus manumittas? ſi nondum tempus præteriit, inhibenda erit repetitio, niſi me pœniteat. quod ſi præteriit: condici poterit. ſed ſi Stichus deceſſerit: an repeti, quod datũ eſt, poſſit? Proculus ait; ſi poſt id temporis deceſſerit, quo manumitti potuit: repetitionem eſſe. ſi minus: ceſſare. quinimò & ſi nihil tibi dedi, vt manumitteres, placuerat tamen, vt darem: vltro tibi competere actionem, quæ ex hoc contractu naſcitur, id eſt, condictionem, defuncto quoque eo. F

Si cauſſa, ob quam datur ſequatur, de facto non de iure competit repetitio: nec diſtinguitur ſciens, an ignorans quis receperit. Bartolus.

Si liber homo, qui bona fide ſeruiebat, mihi pecuniam dederit,

dederit, vt eum manumittam, & fecero: postea liber probatus, an mihi condicere possit, quæritur? & Iulianus
A libro decimo Digestorum scribit, competere manumisso repetitionem. Neratius etiam libris Membranarum refert, Paridem pantomimum à Domicia Neronis filia decem, quæ ei pro libertate dederat, repetisse per iudicem: nec fuisse quæsitū, an Domicia sciens liberū, accepisset.

Si pecunia datur, vt aliquid ex certa caussa sequatur: si illud postea sequitur, non tamen ex eadem caussa: competit repetitio. Item defectus caussæ à dante tantum in mente retentus hanc condictionem non parit.

Si quis quasi statuliber mihi decem dederit, cùm dare iussus non esset: condicere eum decem, Celsus scribit.

B Sed & si seruus, qui testamento hæredi iussus erat decem dare, & liber esse, codicillis purè libertatem acceperit: & id ignorās, dederit hæredi decem: an repetere possit? & refert patrem suum Celsum existimasse, repetere eum non posse. sed ipse Celsus naturali æquitate motus, putat repeti posse. quæ sententia verior est. quanquā constet (vt & ipse ait) eum, qui dedit ea spe, quod se ab eo, qui accepit, remunerari existimaret, vel amiciorem eum sibi esse futurum: repetere non posse, opinione falsa deceptum.

Si quod meum est, tibi trado tanquam tuum, non transfero dominium. Bartolus.

C Subtilius quoque illud tractat, an ille, qui se statuliberum putauit: nec fecerit numos accipientis, quoniam hæredi dedit, quasi ipsius hæredis numos daturus, non quasi suos: qui vtique ipsius fuerunt, adquisiti scilicet post libertatem ei ex testamento competentem. & puto, si hoc animo dedit, non fieri ipsius. Nam & cum tibi numos meos, quasi tuos do, non facio tuos. Quid ergo si hic non hæredi, sed alij dedit, cui putabat se iussum dare: siquidem peculiares dedit, nec fecit accipientis. Si autem alius pro eo dedit, aut ipse dedit iam liber factus: facit accipientis.

Habetur conditio pro impleta, quādo is qui implere debet, impeditur facto eius, qui ex implemento tenetur. Bartolus.

Quanquam permissum est statulibero, etiā de peculio

dare implendæ conditionis cauſſa: ſi tamen vult hæres numos ſaluos facere, poteſt eum vetare dare. ſic enim fiet, vt ſtatuliber perueniat ad libertatem, quaſi impleta conditione, cui parêre prohibitus eſt: & numi non peribunt. ſed is, quẽ teſtator accipere voluit, aduerſus hæredem in factũ actione agere poteſt, vt teſtatori pareatur. D

Si cauſſa propter quam debitor liberatur, non impletur: agitur, vt in priſtinam obligationem reponatur. Bartolus.

IIII. IDEM *lib.* XXXVIII. *ad edictum.*

SI quis acceptò tulerit debitori ſuo, cùm conueniret, vt expromiſſorem daret, nec ille det: poteſt dici condici poſſe ei, qui acceptò ſit liberatus.

In contractibus innominatis, puta do vt facias: ſi tu non es in mora faciendi, non poſſum repetere per condictionem ob cauſſam ex capite cauſſæ non ſecutæ, ſed ex capite pœnitentiæ, ſic ſi res omnino erat integra: ſecus ſi non eſt integra: quia non poſſum repetere, niſi te conſeruem indemnem de eo, quod feciſti. Bartolus. E

V. IDEM *lib.* II. *Diſputationum.*

SI pecuniam ideo acceperis, vt Capuam eas: deinde parato tibi ad proficiſcendum, conditio temporis vel valetudinis impedimẽto fuerit, quò minus proficiſcereris: an condici poſſit, videndum. & cùm per te non ſteterit: poteſt dici, repetitionem ceſſare. Sed cùm liceat pœnitere ei, qui dedit: procul dubio repetetur id, quod datum eſt: niſi fortè tua interſit, non accepiſſe te ob hanc cauſſam pecuniam. Nam ſi ita res ſe habeat, vt licet nondum profectus ſis, ita tamẽ rem compoſueris, vt neceſſe habeas proficiſci: vel ſumptus, qui neceſſarij ſint ad profectionem, iam feciſti, vt manifeſtũ ſit plus fortè, quàm acceperis, te erogaſſe: cõdictio ceſſabit. Sed ſi minus erogatum ſit: condictio locum habebit: ita tamen, vt indemnitas tibi præſtetur eius, quod expendiſti. F

In cõtractibus innominatis ſi res eſt integra: ſiue aliquid cœptum ſit, vel deſierit poſtea fieri facto tertii, vel caſu: ex pœnitentia datur cõdictio ei, qui ex parte ſua impleuit, dũmodo indẽnitati aduerſarii conſulatur, ſi quod dãnum occaſione illius cõtractus incurrit. Bar.

Si ſeruum quis tradiderit alicui ita, vt ab eo intra certum tempus manumitteretur: ſi pœnituerit eum, qui tradidit, & ſuper hoc eum certiorauerit, & fuerit manu-

miſſus

missus post pœnitentiam: attamen actio propter pœnitentiam competit ei, qui dedit. planè si non manumisit: constitutio succedit, facitque eum liberum, si nondum pœniteat eum, qui in hoc dedit. Item si quis dederit Titio decem, vt seruum emat, & manumittat, deinde pœniteat: siquidem nondum emptus est: pœnitentia dabit condictionem, si hoc ei manifestum fecerit: ne si postea emat, damno adficiatur. Si verò iam emptus sit: pœnitentia non facit iniuriam ei, qui redemit: sed pro decem, quæ accepit, ipsum seruum, quem emit, restituet. aut si antè decessisse proponatur: nihil præstabit, si modò per eum factum non est. Quòd si fugit, nec culpa eius contigit, qui redemit: nihil præstabit. Planè repromittere eum oportet, si in potestatem suã peruenerit, * restituiri. Sed si acceperit pecuniam, vt seruum manumittat, isque fugerit prius, quàm manumittatur: videndum, an condici possit, quod accepit. Etsi quidem distracturus erat hũc seruũ, & ꝓpter hoc nõ distraxit, quod acceperat, vt manumittatur: non oportet ei condici. Plane cauebit, vt si in potestatem suam peruenerit seruus, restituat id, quod accepit: & eo minus, quo vilior seruus factus est propter fugã. Planè si adhuc eum manumitti velit is, qui dedit, ille verò manumittere nolit propter fugam offensus: totum, quod accepit, restituere eum oportet. Sed si eligat is, qui decem dedit, ipsum seruum consequi: necesse est, aut ipsum ei dari, aut quod dedit, restitui. Quod si distracturus non erat eum: oportet id, quod accepit, restitui: nisi forte diligentius cum habiturus esset, si non accepisset, vt manumitteret. tunc enim non est æquum, eum & seruo & toto precio carere. Sed si vbi accepit, vt manumitteret, deinde seruus decesserit: siquidem moram fecit manumissioni: consequens est, vt dicamus eum refundere, quod accepit. Quod si moram non fecit, sed cùm profectus esset ad præsidem, vel apud quem manumittere posset, seruus in itinere decessit: verius est, siue distracturus erat, siue eo quoque ipse vsurus: oportere dici, nihil eum refundere debere. Enimuero si nihil eorum facturus erat: ipsi adhuc seruum obiisse. decederet enim, & si non accepisset, vt manumitteret: nisi fortè

*Ita olim sæpenũero, nõ literas modo, sed & syllabas elidebant pro restitutum iri.

profectio manumissionis gratia mortis caussam præbuit: vt si vel à latronibus interfectus sit, vel à ruina in stabulo oppressus, vel vehiculo obtritus, vel alio quo modo: quo non perisset, nisi manumissionis caussa proficisceretur. D

Casus omissus remanet in dispositione iuris communis. Bartolus.

VI. IDEM *lib.* III. *Disputationum.*

SI extraneus pro muliere dotem dedisset, & pactus esset, vt quoquo modo finitum esset matrimonium, dos ei redderetur: nec fuerint nuptiæ secutæ: quia de his casibus solummodo fuit conuentum, qui matrimonium sequuntur, nuptiæ autem secutæ non sunt: quærendum erit, vtrum mulieri condictio, an ei, qui dotem dedit, cõpetat? & verisimile est, in hũc quoq; casum eum, qui dat, sibi prospicere. nam quasi caussa non secuta, habere potest condictionem, qui ob matrimonium dedit, matrimonio non copulato: nisi fortè euidentissimis probationibus mulier ostenderit, hoc eũ ideo fecisse, vt ipsi mulieri magis, q̃ sibi prospiceret. Sed & si pater pro filia det, & ita conuenit: (nisi euidenter aliud actum sit) condictionem patri competere, Marcellus ait. E

Si debitor putatiuus pro muliere dotẽ promittat, & soluit ignoranter matrimonio non secuto: ipsi condictio competit. si scienter, cõpetit mulieri. sed debitor verus indistinctè condictionem habebit: sed eam mulieri cedendo liberabitur. Bartolus.

VII. IVLIANVS *lib.* XVI. *Digestorum.* F

QVi se debere pecuniam mulieri putabat, iussu eius dotis nomine promisit sponso, & soluit. nuptiæ deinde non intercesserunt. quæsitum est, vtrum ipse possit repetere, qui pecuniã dedisset, an mulier? Nerua & Atilicinus responderunt: quoniã putasset quidem debere pecuniã, sed exceptione doli mali tueri se potuisset: ipsum repetiturũ. Sed si cùm sciret se nihil mulieri debere, promisisset: mulieris esse actioné, quoniam pecunia ad eam pertineret. Sin autem verè debitor fuisset, & ante nuptias soluisset, & nuptiæ secutæ nõ fuissent: ipsum posse cõdicere, caussa debiti integra mulieri ad hoc solum manente, vt ad nihil aliud debitor cõpellatur, nisi vt cedat ei condicticia actione. Fundus dotis nomine traditus

traditus, si nuptiæ secutę non fuerint, conditione repeti A potest. fructus quoque poterunt. idem iuris est de ancilla & partu eius.

Datum caussa dotis non repetitur, donec matrimonium putatur subesse, vel spes est, quod contrahatur. Bartolus.

VIII. NERATIVS *lib.* II. *Membranarum.*

QVod Seruius in libro de dotibus scripsit: si inter eas personas, quarum altera nondum iustam ætatem habeat, nuptiæ factæ sint, quod dotis nomine interim datum sit, repeti posse: sic intelligendum est, vt si diuortium intercesserit prius, quàm vtraque persona iustam ætatem habeat: sit eius pecuniæ repetitio. donec autem in eodem habitu matrimonij permaneant: non magis B id repeti possit, quàm quod sponsa sponso dotis nomine dederit, donec maneat inter eos adfinitas. quod enim ex ea caussa nōdum coito matrimonio datur: cùm sic detur, tanquam in dotem peruenturum: quamdiu peruenire potest, repetitio eius non est.

Datum ob caussam futuri matrimonii per extraneum volentem simpliciter donare mulieri: siue sequatur matrimonium, siue non: per ipsum dantem non repetitur, sed per mulierem. Sed si voluerit donare solum eo casu, quo matrimonium contraheretur, tunc si non contrahitur, ipse repetit. Bartolus.

IX. PAVLVS *lib.* XVII. *ad Plautium.*

SI donaturus mulieri, iussu eius sponso numeraui, nec C nuptiæ secutæ sunt: id mulier cōdicet. Sed si ego cōtraxi cum sponso, & pecuniam in hoc dedi, vt si nuptiæ secutæ essent, mulieri dos adquireretur: si non essent secutę, mihi redderetur: quasi ob rem datum, & re nō secuta, ego à sponso condicam.

Exceptio doli, quæ obstat delegandi, non obstat ei, cui facta est delegatio ex caussa onerosa, nisi quatenus ad delegantem res est reuersura: sed delegato contra delegantem succurritur. Bartolus.

Si quis indebitam pecuniam per errorem iussu mulieris sponso eius promisisset, & nuptiæ secutæ fuissent: exceptione doli mali vti non potest. maritus enim suum negociū gerit, & nihil dolo facit, nec decipiendus est. quod fit, si cogatur indotatam vxorem habere. itaque aduersus mulierem competit ei condictio: vt aut repetat ab ea,

 quod

quod marito dedit: aut vt liberetur, si nondum soluerit. Sed si soluto matrimonio maritus peteret: in eo dũtaxat exceptioné obstare debere, quod mulier receptura esset. D

Si caussa ob quam facta est liberatio, non est secuta: repetitur pecunia, ac si soluta fuisset. Bartolus.

X. IABOLENVS *lib.* I. *ex Plautio.*

SI mulier ei, cui nuptura erat, cùm doté dare vellet, pecuniam, quæ sibi debebatur, acceptam fecit, neque nuptiæ secutæ sunt: rectè ab eo pecunia cõdicetur. quia nihil interest, vtrum ex numeratione pecunia ad eum sine caussa, an per acceptilationem peruenerit.

Datum executori vltimæ voluntatis, si in caussam debitam non expendit, repetitur. Bartolus.

XI. IVLIANVS *lib.* X. *Digestorum.* E

SI hæres arbitratu liberti certa summa monumentum iussus facere, dederit liberto pecuniam, & is accepta pecunia monumentum non faciat: condictione tenetur.

Reuocata donatione caussa mortis, res condicitur cum suis accessionibus. Bartolus.

XII. PAVLVS *lib.* VI. *ad L. Iuliam & Papiam.*

CVi quis mortis caussa donationem fecerat, cùm cõualuit donator, condicit. fructus quoque, & partus donatarum rerum, & quod adcreuit rei donatæ, repetere potest.

Collatio ob caussam facta, caussa non secuta condicitur.

XIII. MARTIANVS *lib.* III. *Regularum.* F

SI filius contulerit fratri, quasi agniturus bonorũ possessionem, & non agnouerit: repetere eum posse, Marcellus libro quinto Digestorum scribit.

Si procuratori falso in rem suam soluatur indebitũ, ab eo condicitur. nisi domini ratihabitio subsequatur. Itẽ si debitor dat alicui, vt eum faciat liberari, ab eo repetitur: nisi caussa subsequatur. Item id quod debitor tradit alicui vt nuncio, si ad creditorem portat: condictione furtiua repetitur, & furti agitur. Bartolus.

XIIII. PAVLVS *lib.* III. *ad Sabinum.*

SI procuratori falso indebitum solutum sit: ita demũ à procuratore repeti non potest, si dominus ratum habuerit: sed ipse dominus tenetur. sed & Iulianus scribit, quòd si dominus ratum non habuisset (etiam si debita pe

cunia

cunia soluta fuisset) ab ipso procuratore repetetur: nō ta
A men quasi indebitum datum, sed quasi ob rem datum, nec res secuta sit, ratihabitione non intercedente. vel quod furtum faceret pecuniæ falsus procurator: cū eo non tantum furti agi, sed etiam condici ei posse.

Res ob caussam data caussa non secuta, etiam si desierit exstare, condicitur: & si non est translatum dominium, ad exhibendum & furti, seu condictione furti agitur.

XV. POMPONIUS *lib.* XXII. *ad Sabinum.*

CVm seruus tuus in suspicionem furti Attio venisset, dedisti eum in quæstionem sub ea caussa, vt si id repertum in eo non esset, tibi redderetur. is eum tradidit
B præfecto vigilum, quasi in facinore deprehensum. præfectus vigilū eum summo supplicio adfecit. ages cum Attio, dare eū tibi oportere: quia & ante mortem dare eum tibi oportuerat. Labeo ait, posse & ad exhibendum agi: quoniam dolo fecisset, quò minus exhiberet. sed Proculus dari oportere ita ait, si fecisses eius hominem. quo casu ad exhibendum agere non posses. sed si tuus mansisset: etiam furti te acturum cum eo, qui re aliena ita sit vsus, cùm sciret se inuito domino vti, aut dominum (si sciret) prohibiturum esse.

Quando ex parte dantis pecuniam, & ex parte dātis speciem venit dari non est emptio & venditio, sed cōtractus innominatus: ideo
C *habebit locum condictio ob caussam.* Bartolus.

XVI. CELSUS *lib.* III. *Digestorum.*

DEdi tibi pecuniam, vt mihi Stichum dares. vtrum id cōtractus genus pro portione emptionis & venditionis est: an & hic nulla alia obligatio est, quàm ob rem dati, re non secuta? in quo procliuior sum. & ideo si mortuus est Stichus, repetere possum: quod ideo tibi dedi, vt mihi Stichum dares. finge alienum esse Stichum, sed te tamen eum tradidisse. repetere à te pecuniam potero: quia hominem accipientis non feceris. & rursus si tuus est Stichus, & pro euictione eius promittere non vis: non liberaris, quò minus à te pecuniam repetere possim.

DE CON-

DE CONDICTIONE OB TVRPEM uel iniustam caussam. Tit. V. D

Datum ob caussam honestam non repetitur caussa secuta: sed datum ob turpem caussam, si est turpitudo ex parte accipientis, repetitur: secus si est turpitudo ex parte dantis vel vtriusque. Bartolus.

PAVLVS *lib.* XX. *ad Sabinum.*

OMne, quod datur, aut ob rem datur, aut ob caussam. & ob rem, aut turpé, aut honestam. turpem autem, aut vt dantis sit tupitudo, nõ accipientis: aut accipientis dumtaxat, non etiam dantis: aut vtriusque. Ob rem igitur honesta datum ita repeti potest: si res, propter quam datum est, secuta non est. quòd si surpis caussa accipientis fuerit: etiam si res secuta fuerit, repeti potest. E

II. VLPIANVS *lib.* XXVI. *ad edictum.*

VTputa dedi tibi, ne sacrilegium facias, neu furtum: néve hominem occidas. in qua specie Iulianus scribit, si tibi dedero, ne hominem occidas, condici posse. Idem si tibi dedero, vt mihi rem apud te depositam reddas, vel vt instrumentum. Sed si dedi, vt secundum me in bona caussa iudex pronunçiaret: est quidem relatum, condictioni locum esse: sed hic quoque crimen contrahit. Iudicem enim corrumpere videtur, & non ita pridem Imperator noster constituit, litem eum perdere.

III. PAVLVS *lib.* XX. *ad Sabinum.* F

VBi autem & dãtis & accipiẽtis turpitudo versatur: nõ posse repeti dicimus. veluti si pecunia detur, vt malè iudicetur.

IIII. VLPIANVS *lib.* XXVI. *ad edictum.*

IDem si ob stuprum datum sit, vel si quis in adulterio deprehensus redemit se. cessat enim repetitio. itaq; Sabinus & Pegasus responderunt. Item si dederit fur, ne proderetur: quoniam vtriusque turpitudo versatur, cessat repetitio. Quoties autem solius accipientis turpitudo versatur: Celsus ait, repeti posse. veluti si tibi dedero, ne mihi iniuriam facias. Sed & quod meretrici datur, repeti non potest, vt Labeo & Marcellus scribunt: sed noua ratione, nõ eò, quod vtriusque turpitudo versatur, sed

solius

solius dantis. illam enim turpiter facere, quòd sit meretrix: sed non turpiter accipere, cùm sit meretrix.
A Si tibi indicium dedero, vt fugitiuum meum indices, vel furem rerum mearum: nõ potest repeti, quod datum est. nec enim turpiter accepisti. Quod si à fugitiuo meo acceperis, ne eum indicares: condicere tibi hoc possum quasi furi. sed si ipse fur indicium à me accepit, vel furis, vel fugitiui socius: puto condictionem locum habere.

V. IVLIANVS *lib.* III. *ad Vrseium Ferocem.*

SI à seruo meo pecuniam quis accepisset, ne furtum ab eo factum indicaret: siue indicasset, siue nõ, repetitionem fore eius pecuniæ, Proculus respondit.

VI. VLPIANVS *lib.* X. *ad Sabinum.*

B PErpetuò Sabinus probauit veterum opinionem, existimantium id, quod ex iniusta caussa apud aliquem sit, posse condici. in qua sententia etiam Celsus est.

VII. POMPONIVS *lib.* XI. *ad Sabinum.*

EX ea stipulatione, quę per vim extorta est, si exacta esset pecunia, repetitionem esse constat.

Promissum ex caussa turpi ex parte recipientis, si soluatur caussa finita, non repetitur. sed quando est turpitudo ex parte vtriusque, siue caussa sit finita vel non, solutum non repetitur. Bartolus.

VIII. PAVLVS *lib.* III. *Quæstionum.*

SI ob turpem caussam promiseris Titio: quamuis si petat, exceptione doli mali, vel in factum submouere eũ
C possis: tamẽ si solueris, non posse repetere: quoniam sublata proxima caussa stipulationis, quæ propter exceptionem inanis esset, pristina caussa, id est, turpitudo superesset. Porrò autem si & dantis & accipientis turpis caussa sit: possessorem potiorem esse, & ideo repetitionem cessare, tametsi ex stipulatione solutum sit.

Qui pecuniam recipit, vt faciat id quod gratis facere tenetur, turpiter accipit. Bartolus.

IX. IDEM. *lib.* V. *ad Plautium.*

SI vestimenta tibi vtenda commodauero, deinde precium, vt reciperem, dedissem: cõdictione me rectè acturum, responsum est. quamuis enim propter rem datum sit, & caussa secuta sit: tamen turpiter datum esse. Si ob rem locatã tibi, vel venditam à te, vel mandatã. vt red-

dères,

deres, pecuniam acceperis: habebo tecum ex locato, vel vendito, vel mandati actionem. quod si vt id, quod ex testamento, vel ex stipulatu debebas, redderes mihi, pecuniam tibi dederim: condictio dumtaxat pecuniæ datæ eo nomine erit. idemque & Pomponius scribit. D

DE CONDICTIONE INDEBITI. Tit. VI.

VLPIANVS *lib.* XXV. *ad Sabinum.*

NVnc videndum de indebito soluto. & quidem si quis indebitum ignorans soluit: per hanc actionem condicere poterit: sed si sciens se non debere, soluerit: cessat repetitio.

Solutū indebite etiā ex conuentione repetitur. Bar. E

II. IDEM *lib.* VI. *ad Sabinum.*

SI quis sic soluerit, vt si apparuisset esse indebitū, vel Falcidia emerserit, reddatur: repetitio locum habebit. negocium enim contractum est inter eos. Si quid ex testaméto solutum sit, quod postea falsum, vel inofficiosum, vel irritum, vel ruptum apparuerit: repetetur. sed & si post multum tempus emerserit æs alienum, vel codicilli diu cælati prolati sunt, qui ademptionem continent legatorum solutorum, vel deminutionem per hoc, quia aliis quoque legata relicta sunt. Nam diuus Hadrianus circa inofficiosum & falsum testamentum rescripsit, actionem dandam ei, secundum quem de hæreditate iudicatum esset. F

III. PAPINIANVS *lib.* XIIII. *Quæstionum.*

IDem est, & si solutis legatis noua & inopinata caussa hæreditatem abstulit: veluti nato posthumo, quē hæres in vtero fuisse ignorabat: vel etiam ab hostibus reuerso filio, quem pater obiisse falsò præsumpserat. Nam vtiles actiones posthumo vel filio, qui hæreditatem euicerit, dari oportere in eos, qui legatum perceperunt, Imperator Titus Antoninus rescripsit: scilicet quod bonæ fidei possessor, in quātum locupletior factus est, teneatur. nec periculū huiusmodi nominum ad eum, qui sine culpa soluit, pertinebit.

IIII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

Idem

A IDem diuus Hadrianus rescripsit, & si aliud testamentum proferatur.

V. VLPIANVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

NEc nouum est, vt quod alius soluit, alius repetat. Nã & cùm minor viginti quinque annis inconsultè adita hæreditate, solutis legatis, in integrum restituitur: non ipsi repetitionem competere, sed ei, ad quem bona pertinent ab Arriano Titiano rescriptum est.

Si procurator soluit indebitum, repetitur secus si debitum. & de indebito recipiendo non videtur mandatum. Idem in tutore. Bar.

VI. PAVLVS *lib.* I X. *ad Sabinum.*

SI procurator tuus indebitum soluerit, & id tu ratum non habeas: posse repeti, Labeo libris posteriorum B scripsit. quod si debitum fuisset: nõ posse repeti, Celsus. ideo, quia cùm quis procuratorem rerum suarum constituit: id quoque mandare videatur, vt soluat creditori: neque postea exspectandum sit, vt ratum habeat. Idem Labeo ait: si procuratori indebitum solutum sit, & dominus ratum non habeat, posse repeti. Celsus ait eum, qui procuratori debitum soluit, continuò liberari, neque ratihabitionem considerari. quod si indebitum acceperit: ideo exigi ratihabitionem, quoniam nihil de hoc nomine exigendo mandasse videatur. & ideo si ratum non habeatur: repetendum à procuratore. Iulianus ait, neque tutorem, neque procuratorem soluentes repetere posse: C neque interesse suam pecuniam, an pupilli, vel domini soluant.

VII. POMPONIVS *lib.* I I. *ad Sabinum.*

QVod in debitum per errorem soluitur: aut ipsum, aut tantundem repetitur.

VIII. PAVLVS *lib.* V I. *ad Sabinum.*

QVod nomine mariti, qui soluendo non est, alius mulieri soluit: repetere non potest, ideo quia debitum est mulieri.

IX. VLPIANVS *lib.* L. *ad edictum.*

NAm & maritus si, cùm facere nihil possit, dotem soluerit: in ea caussa est, vt repetere non possit.

X. PAVLVS *lib.* V I. *ad Sabinum.*

IN diem debitor adeo debitor est, vt ante diem solutũ repetere

repetere non possit.

XI. VLPIANVS *lib.VII.ad Sabinum.* D

SI is, cum quo de peculio actum est, per imprudentiā plus, quàm in peculio esset, soluerit: repetere non potest.

XII. PAVLVS *lib.VI.ad Sabinum.*

SI fundi mei vsumfructum tibi dedero, falsò existimans me eum tibi debere: & antè, quàm repetam, decessero: condictio eius ad hæredē quoq; meū transibit.

Naturalis obligatio impedit repetitionem soluti: & ei potest accedere fideiussor & pignus. Bar.

XIII. IDEM *lib.X.ad Sabinum.*

NAturaliter etiam seruus obligatur. & ideò si quis nomine eius soluat, vel ipse manumissus, vel (vt Pomponius scribit) ex peculio eo, cuius liberam administrationem habebat: repeti non poterit. & ob id & fideiussor pro seruo acceptus, & pignus pro eo datum tenebitur. & si seruus, qui peculij administrationem habet, rem pignori in id, quod debebat, dederit: vtilis pignoraticia reddenda est. E

Pupillus sine tutore obligatur in eo, quo locupletior efficitur: ideo solutum ex æquitate naturali non repetit. Bar.

Item quod pupillus sine tutoris authoritate mutuum accepit, & locupletior factus est: si pubes factus soluat, non repetit.

XIIII. POMPONIVS *lib.XXI.ad Sabinum.* F

NAm hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem.*

XV. PAVLVS *lib.X.ad Sabinum.*

INdebiti soluti condictio naturalis est, & ideo etiam, quod rei solutæ accessit, venit in condictionem. vtputa partus, qui ex ancilla nati sunt: vel quod alluuione accessit. imò & fructus, quos is, cui solutum est, bona fide perceperit, in condictionem venient. Sed & si numi alieni dati sunt: condictio competit, vt vel possessio eorū reddatur: quemadmodum & si falsò existimans possessionem me tibi debere alicuius rei, tibi tradidissem: condicerem. Sed & si possessionem tuam fecissem, & ita tibi per longi temporis præscriptionem auocari non possit: etiā sic rectè

**Alterius enī incōmodo suū augere cōmodū magis est cōtra naturā, quàm mors, quā paupertas, quàm dolor, quā cætera, quæ possūt aut corpori accidere, aut rebus externis Cic. li.3. offici.*

sic rectè tecum per indebiti condictionem agerem. Sed
A & si vsusfructus in re soluta alienus sit: deducto vsufru
ctu, à te condicam.

Solutum antequam debeatur, pendente dubio potest repeti. sed si certum est debitum esse vel futurum esse, repeti non potest. h. d. cum duabus legibus sequentibus. Bar.

XVI. POMPONIVS *lib.* XXI. *ad Sabinum.*

SVb conditione debitum, per errorem solutum, pendente quidem conditione repetitur: conditione autem existente, repeti non potest. Quod etiam sub incerto die debetur, die existente, non repetitur.

XVII. VLPIANVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

NAm & si CVM MORIAR dare promisero, & antea soluam: repetere me non posse Celsus ait. quæ
B sententia vera est.

XVIII. IDEM *lib.* VI. *ad Sabinum.*

QVod si ea conditione detur, quæ omni modo exstatura sit: solutum repeti nõ potest: licet sub alia cõditione, quæ an impleatur incertum est, si antè soluatur, repeti possit.

XIX. POMPONIVS *lib.* II. *ad Sabinum.*

SI pœnę caussa eius, cui debetur, debitor liberatus sit: naturalis obligatio manet. & ideo solutum repeti nõ potest. Quamuis debitum sibi quis recipiat: tamẽ si is, qui dat, non debitum dat: repetitio competit. veluti si is,
C qui hæredem se, vel bonorum possessorem falso existimans, creditori hæreditario soluerit. hic enim neque verus hæres liberatus erit, & is quod dedit, repetere poterit. Si falso existimans debere, tibi numos soluero, qui pro parte alieni, pro parte mei fuerunt: eius summæ partem dimidiam, non corporum condicam. Si putem me Stichum aut Pamphilum debere, cùm Stichum debeam, & Pamphilum soluam: repetam quasi indebitum solutũ. nec eni pro eo, quod debeo, videor id soluisse. Si duo rei, qui decem debebant, viginti pariter soluerint: Celsus ait, singulos quina repetituros.

XX. IVLIANVS *lib.* X. *Digestorum.*

SI reus & fideiussor pariter soluerint: in hac caussa nõ differunt à duobus reis promittẽdi. quarè omnia, quæ de his

de his dicta sunt,& ad hos transferre licebit.

XXI. PAVLVS *lib.* III. *Quæstionum.*

PLanè si duos reos non eiusdem pæcuniæ, sed alteri* obligationis constitueris(vtputa Stichi aut Pamphili) & pariter duos datos , aut togam vel denarios mille: non idem dici poterit in repetitione , vt partes repetant: quia nec soluere ab initio sic poterant . Igitur hoc casu electio est creditoris,cui velit soluere: vt alterius repetitio impediatur. D

XXII. POMPONIVS *lib.* X. *ad Sabinum.*

SEd & si me putem tibi aut Titio promisisse:cùm aut neutrum factum sit , aut Titij persona in stipulatione comprehensa non sit, & Titio soluero : repetere à Titio potero. Cùm iter excipere deberem , fundum liberum per errorem tradidi.incerti condicam , vt iter mihi concedatur. E

Datum ex caussa transactionis quæ secuta non est,vt quæ inualida est:repetitur.Bar.

XXIII. VLPIANVS *lib.* III. *ad Sabinum.*

ELeganter Pomponius quærit:si quis suspicetur trãsactionem factam ab eo , cui hæres est,vel ab eo,cuius procurator est:& quasi ex transactione dederit,quæ facta non est:an locus sit repetitioni?& ait repeti posse. ex falsa enim caussa datum esse.Idem puto dicẽdum, & si trãsactio secuta non fuerit,propter quam datum est , sed etiã si resoluta sit transactio, idem erit dicendum. Si post rem iudicatam quis transegerit,& soluerit: repetere poterit idcirco,quia placuit transactionem nullius momẽti esse. hoc enim imperator Antoninus cum diuo patre suo rescripsit. retineri tamen atque compensari in caussam iudicati, quod ob talem transactionem solutum est, potest.quid ergo,si appellatum sit: vel hoc ipsum incertum sit,an iudicatũ sit, vel an sententia valeat?magis est, vt transactio vires habeat.tunc enim rescriptis locum esse credendum est,cùm de sententia indubitata,quæ nullo remedio attentari potest,transigitur. Item si ob transactionem alimentorum testamento relictorum datum sit: apparet posse repeti, quod datum est: quia transactio senatusconsulto infirmatur. F

Exceptio

Exceptio transactionis impedit litis contestationem: & si omittatur, non reddit processum nullum: & si post litis contestationem
A *incepit competere, reliquam partem iudicii impediet, si opponatur: & si non opponatur, solutum poterit repeti.* Bar.

Si quis post transactionem nihilominus cōdemnatus fuerit: dolo quidem id fit, sed tamen sententia valet. potuit autem is (siquidem ante litem contestatam transegerit) volenti litem contestari, opponere doli exceptionē. sed & si post litem contestatam transactum est: nihilominus poterit doli exceptione vti pôst secuti. dolo enim facit, qui contra transactionem expertus, amplius petit. & ideo cōdemnatus, repetere potest, quod ex caussa trāsactionis dedit. sanè quid si ob caussam dedit? neque repe-
B ti solet, quod ob caussam datum est, caussa secuta. sed hic non videtur caussa secuta, cùm transactioni non stetur. Cùm ergo repetitio eius oritur: transactionis exceptio locum non habet. neque enim vtrumque debet locum habere, & repetitio, & exceptio. Si qua lex ab initio dupli, vel quadrupli statuit actionem: dicendum est, solutū ex falsa eius caussa, repeti posse.

Promissio facta à sciente se non posse compelli, tanquam indebita non condicitur. Bar.

XXIIII. IDEM *lib.* XLVI. *ad Sabinum.*

SI is, qui perpetua exceptione tueri se poterat, cū sciret sibi exceptionem profuturam, promiserit aliquid,
C vt liberaretur: condicere non potest.

XXV. IDEM *lib.* XLVII. *ad edictum.*

CVm duo pro reo fideiussissent in decem, deinde reus tria soluisset, & postea fideiussores quina: placuit eum, qui posterior soluisset, repetere tria posse. hoc meritò: quia tribus à reo solutis, septem sola debita supererant: quibus persolutis, tria indebitò soluta sunt.

Quando lex obligationi non assistit, nec resistit: contrahitur naturalis, qua impedit repetitionem indebiti soluti. sed quando lex resistit, impeditur etiam naturalis obligatio: & solutum repetitur. Bartolus.

XXVI. IDEM *lib.* VI. *ad edictum.*

SI non sortem quis, sed vsuras indebitas soluit: repetere non poterit, si sorti debitas soluit. Sed si supra le-

gitimum modum soluit: diuus Seuerus rescripsit (quo iure vtimur) repeti quidem non posse, sed sorti imputādum: & si postea sortem soluit, sortem quasi indebitā repeti posse Proinde & si sors antè soluta fuerit: vsuræ supra legitimum modum solutæ, quasi sors indebita repetuntur. quod si simul soluerit: poterit dici, & tunc repetitionem locum habere. Supra duplum autem vsuræ, & vsurarum vsuræ, nec in stipulatum deduci, nec exigi possunt. sed & solutæ repetuntur, quemadmodum futurarū vsurarum vsuræ. Si quis falsò se sortem debere credens, vsuras soluerit: potest condicere. nec videtur sciens indebitum soluisse. Indebitum autem solutum accipimus, non solùm si omnino non debeatur, sed & si per aliquam exceptionem perpetuā peti non poterat. quarē hoc quoque repeti poterit: nisi sciens se tutum exceptione, soluit. D E

In speciebus ratione partis pro alio indebite soluta totum repetitur: secus in iis, quæ in genere suo recipiunt functionem. Bar.

Si centum debens, quasi ducenta deberem, fundum ducētorum solui: competere repetitionem, Marcellus libro vicesimo digestorum scribit, & in centum manere stipulationem. licet enim placuit, rem pro pecunia solutā parere liberationem: tamen si ex falsa debiti quantitate maioris precij res soluta est: non fit confusio partis rei cum pecunia. nemo enim inuitus compellitur ad communionem. Sed & condictio integræ rei manet, & obligatio incorrupta, ager autem retinebitur, donec debita pecunia soluatur. Idem Marcellus ait, si pecuniam debens, oleum dederit pluris precij, quasi plus debens: vel cùm oleum deberet, oleum dederit, quasi maiorē modum debens: superfluum olei esse repetendum, non totum: & ob hoc peremptam esse obligationem. Idem Marcellus dicit, si cùm fundi pars mihi deberetur, quasi totus deberetur, æstimatiōe facta, solutio pecuniæ solidi precij fundi facta sit: repeti posse nō totum precium, sed partis indebitæ. F

Tutus exceptione perpetua per errorem soluens, repetit. Bar.

Adeo autem perpetua exceptio parit cōdictionem, vt Iulianus libro decimo scripserit: si emptor fundi dam-

nauerit

nauerit hæredem suum, vt venditorem à nexu venditi liberaret: mox venditor ignorans, rem tradiderit: posse eũ
A fundum condicere. idemque & si debitorem hæredé suũ damnauerit liberare, & ignorans soluerit.

Qui ignorans mandatum reuocatum soluit, liberatur: sciens non liberatur, nec indebitum repetit. Bar.

Qui filiofamiliâs soluit, cùm esset eius peculiaris debitor: siquidem ignorauit ademptum ei peculium, liberatur. si scit, & soluit: condictionem nõ habet, quia sciés indebitum soluit.

Non potest quis venire contra factum suum ad sui commodum, etiam ex persona alterius. Bar.

Si filiusfamiliâs cõtra Macedonianum mutuatus sol-
B uerit, & patri suo hæres effectus velit vindicare numos: exceptione submouebitur à vindicatione numorum.

Qui soluit indebitum scienter, ne incidat in aliud debitum putatiuum: tanquam indebitum repetit.

Si quis quasi ex compromisso condemnatus, falsò soluerit: repetere potest. Hæredi, vel bonorũ possessori (siquidem defendat hæreditatem) indebitum solutum condici poterit. si verò is non defendat: etiam debitum solutum repeti potest.

Si libertus operas officiales indebite præstat, non repetit. Idem si earum æstimationem. nec in eis potest alii delegari: sed si delegatus præstitit, nõ repetet. Si verò fabriles indebite præstiterit, non re-
C *petit eas: sed earum æstimationem: & in eis libertus poterit delegari. Bartolus.*

Libertus cũ se putaret operas patrono debere, soluit. condicere eum non posse, quamuis putans se obligatum, soluit, Iulianus libro decimo Digestorum scribit. natura enim operas patrono libertus debet. Sed & si non operæ patrono sunt solutæ: sed cùm officium ab eo desideraretur, cum patrono decîdit pecunia, & soluit: repetere non potest. Sed si operas patrono exhibuit, non officiales, sed fabriles (veluti pictorias, vel alias) dum putat se debere: videndum est, an possit condicere. & Celsus libro decimo Digestorum putat, eam esse caussam operarum, vt non sint eædem, neque eiusdem hominis, neque eædem exhibeantur. Nam plerumque robur hominis, ætas, tem-

pus, opportunitasque naturalis caussam operarum mutant. & ideo nec volens quis, reddere potest. sed hæ quidem operæ recipiunt æstimationem. Et interdum licet aliud præstemus (inquit) aliud condicimus. vtputa fundū indebitum dedi, & fructus condico: vel hominem indebitum, & hūc sine fraude modico distraxisti. nempe hoc solum refundere debes, quod ex precio habes: vel si meis sumptibus preciosiorem hominem feci, nō æstimari hæc debent. sic & in proposito ait posse condici, quanti operas esset conducturus. Sed si delegatus sit alij à patrono in officiales operas: apud Marcellum libro vicesimo digestorum quæritur? & dicit Marcellus, non teneri eum, nisi fortè in artificio sint. hæ enim, iubente patrono, & alij edendæ sunt. sed si soluerit officiales delegatus: nō potest condicere neque ei, cui soluit, creditori, cui alterius contemplatione solutum est, quique suum recepit: neque patrono, quia natura ei debentur. D E

Si soluatur pars vnius ex rebus alternatiuè debitis: an competat liberatio, vel detur repetitio, pendet ex euentu. Bar.

Si decem aut Stichum stipulatus, soluam quinque: quæritur, an possim condicere? quæstio ex hoc descēdit, an liberer in quinque. nam si liberor, cessat condictio. si non liberor: condictio erit. Placuit autem (vt Celsus libro sexto, & Marcellus libro vicesimo Digestorum scripsit) non perimi partem dimidiam obligationis. Ideoque eum, qui quinque soluit, in pendenti habendum, an liberetur: petique ab eo posse reliqua quinque, aut Stichum. & si præstiterit residua quinq;: videri eum & priora debita soluisse. sin autem Stichum præstitisset: quinque eū posse condicere, quasi indebita. sic posterior solutio cōprobat, priora quinque vtrum debita, an indebita soluerentur. Sed & si post soluta quinque, & Stichus soluatur, & malim ego habere quinque, & Stichū reddere: an sim audiendus, quærit Celsus? & putat natam in quinque cōdictionem: quamuis vtroque simul soluto, mihi retinendi, quod vellem, arbitrium daretur. F

In obligatione alternatiua solutione partium in diuersis rebus liberatio non contingit: licet ad plures hæredes creditoris, vel promissoris pertineat obligatio.

Idem

Idem ait, & si duo hæredes sint stipulatoris: non sic
A posse, alteri quinque solutis, alteri partem Stichi solui. Idem, & si duo sint promissoris hæredes, secundum quæ liberatio non contingit: nisi aut vtrique quina, aut vtrique partes Stichi fuerint solutæ.

Sicut promissum in certo loco potest vbique peti, ita solutum indebite certo loco, non obstante errore soluentis. Bar.

XXVII. PAVLVS *lib.* XXVII. *ad edictum.*

QVi loco certo debere existimãs, indebitum soluit: quolibet loco repetet. non enim existimationẽ soluentis eadem species repetitionis sequitur.

XXVIII. IDEM *lib.* VI. *ad edictum.*

IVdex si malè absoluerit, & absolutus sua sponte soluerit: repetere non potest.

B *Pupillus, prodigus, & furiosus indebite solutum repetunt, etiam vbi alius non repeteret.* Bar.

XXIX. VLPIANVS *lib.* II. *Disputationum.*

INterdum persona locum facit repetitioni: vtputa si pupillus sine tutoris authoritate, vel furiosus, vel is, cui bonis interdictum est, soluerit. Nam in iis personis generaliter repetitioni locum esse, non ambigitur. Et siquidem exstant numi, vindicabuntur: pro cõsumptis vero condictio locum habebit.

Si quis soluat tutus exceptione quia sibi debetur, non repetit, sed suum debitum petit. Bar.

C XXX. IDEM *lib.* IX. *Disputationum.*

QVi inuicẽ creditor, idemq́ue debitor est, in casibus, in quibus compensatio locum non habet, si soluit: non habet condictionem, veluti indebiti soluti, sed sui crediti repetitionem.

Qui promisit plusquam deberet, condicit liberationem. Bar.

XXXI. IDEM *lib.* I. *Opinionum.*

IS, qui plus, quàm hæreditaria portio efficit, per errorẽ creditori cauerit: indebiti promissi habet cõdictionẽ.

Vna ex rebus alternatiuè debitis solutis simul perempta, quæ superest remanet in solutum. Bar.

XXXII. IVLIANVS *lib.* X. *Digestorum.*

CVm is, qui Pamphilum aut Stichum debet, simul vtrumque soluerit: si postea, quàm vtrumque soluit,

aut vterque, aut alter ex his defierit in rerum natura eſſe: nihil repetet. id enī remanebit in ſoluto, quod ſupereſt. D

Solutio quæ fideiuſſori parit repetitionem: non parit reo liberationem. Bar.

Fideiuſſor cùm paciſcitur, ne ab eo pecunia petatur, & per imprudentiam ſoluerit: condicere ſtipulatori poterit. idq́ue eo, quia reus quidem manet obligatus, ipſe autem ſua exceptione tutus eſt. nihil autem intereſt, fideiuſſor, an hæres eius ſoluerit. quod ſi huic fideiuſſori reus hæres exſtiterit, & ſoluerit: nec repetet, ſed liberabitur.

Quando à pietate cauſſatur error, ceſſat repetitio indebiti ſoluti. Bartolus.

Si in ea opinione ſit mulier, vt credat ſe pro dote obligatam: quidquid dotis nomine dederit, non repetit. ſublata enim falſa opinione, relinquitur pietatis cauſſa, ex qua ſolutum repeti non poterit. E

Obligatio generis & alternatiua æquiparantur: & in obligatione generis qui certam ſpeciem ſoluit putans ſe ad eam teneri, repetit Bart.

Qui hominé in genere promiſit, ſimilis eſt ei, qui hominem aut decem debet. adeoq́ue ſi cùm exiſtimaret ſe Stichum promiſiſſe, eum dederit: condicet, alium autem quemlibet dando liberari poterit.

Vbi inter partes nullum negocium geſtum eſt, ceſſat cōdictio indebiti. Bar. F

XXXIII. IDEM *lib.* XI. *Digeſtorum.*

SI in area tua ædificaſſem, & tu ædes poſſideres: condictio locum nō habebit: quia nullum negocium inter nos contraheretur. nam is, qui non debitam pecuniā ſoluit, hoc ipſo aliquid negocij geſſit. cùm autem ædificiū in area ſua ab alio poſitum, dominus occupat: nullum negocium contrahit. Sed ſi is, qui in aliena area ædificaſſet, ipſe poſſeſſionem tradidiſſet: condictionem non habebit: quia nihil accipientis faceret, ſed ſuam rem dominus habere inciperet. & ideo conſtat, ſi quis cùm exiſtimaret ſe hæredem eſſe, inſulam hæreditariam fulſiſſet: nullo alio modo, quàm per retentionem, impenſas ſeruare poſſe.

Quando

Quando dispositio efficitur indebita, solutum caussa conditionis A *implendæ repetitur.* Bartolus.

XXXIIII. IDEM *lib.* XL. *Digestorum.*

IS, cui hæreditas tota per fideicommissum relicta est, & præterea fundus, si decem dedisset hæredi: si hæres suspectam hæreditatem dixerit, & eam ex Trebelliano restituerit: caussam dandæ pecuniæ nõ habet. & ideo quod eo nomine, quasi implendæ conditionis gratia, dederit: condictione repetet.

XXXV. IDEM *lib.* IX. *Digestorum.*

QVi ob rem nõ defensam soluerit (quãuis postea defendere paratus est) non repetet, quod soluit.

Pecunia accepta vt reddatur res, in qua quis recipiendo B *pignori furtum commisit, repetitur. aliàs secus.* Bartolus.

XXXVI. PAVLVS *lib.* V. ἐπιτομῶν. *Alfeni digestorum.*

SEruus cuiusdam insciente domino magîdem commodauit. is, cui commodauerat, pignori eam posuit, & fugit. qui accepit, non aliter se redditurum aiebat, quàm si pecuniam accepisset. Accepit à seruulo, & reddidit magîdem. quæsitum est, an pecunia ab eo repeti possit? respõdit. si is, qui pignori accepisset, magîdem alienam sciset apud se pignori deponi: furti eum se obligasse. Ideoque si pecuniam à seruulo accepisset, redimendi furti caussa: posse repeti. Sed si nescisset alienam rem apud se C deponi: non esse furem. Item si pecunia eius nomine, à quo pignus acceperat, à seruo exsoluta esset: non posse ab eo repeti.

Precium solutum ex caussa emptionis inualidæ repetitur. Bar.

XXXVII. IVLIANVS *lib.* III. *ad Vrseium Ferocem.*

SEruum meum insciens à te emi, pecuniamq; tibi solui. eam me à te repetiturum, & eo nomine condictionem mihi esse, omnimodo puto: siue scisses meum esse, siue ignorasses.

Inter duos fratres, qui sunt in eiusdem potestate: & inter patrem & filium sola obligatio naturalis contrahitur, quæ per fratrem mutuantem patri adquiritur. Item cùm debitor creditori succedit: pro quota obligatio exstinguitur. Item huius obligationis onus peculium

respicit: & quatenus de eo peruenit ad creditorē, obligatio tollitur. Item solutum inquantum erat obligatio exstincta, repetitur: residuū non, naturali obligatione impediente. Bartolus. D

XXXVIII. AFRICANVS *lib.* IX. *Quæstionum.*

FRater à fratre, cùm in eiusdem potestate esset, pecuniam mutuatus, post mortem patris ei soluit. quæsitum est, an repetere possit? respondit: vtique quidem pro ea parte, qua ipse hæres patri extitisset, repetiturum. pro ea verò, qua frater hæres exstitisset: ita repetiturum, si non minus ex peculio suo ad fratrem peruenisset. naturalem enim obligationem, quæ fuisset, hoc ipso sublatam videri, quod peculij partem frater sit consecutus: adeo, vt si prælegatum filio eidemq́ue debitori fuisset, deductio huius debiti à fratre ex eo fieret. Idq́ue maximè consequens esse ei sententiæ, quam Iulianus probaret. si extraneo quid debuisset, & ab eo post mortem patris exactum esset: tantum iudicio eum familiæ erciscundæ recuperaturum à cohæredibus fuisse, quantum ab iis creditor actione de peculio consequi potuisset. igitur si re integra familiæ erciscundæ agatur: ita peculium diuidi æquum esse, vt ad quantitatem eius indemnis à cohæredibus præstetur. porrò eum, quem aduersus extraneum defendi oporteret: longè magis in eo, quod fratri debuisset, indemnem præstandum. Quæsitum est, si pater filio crediderit, isq́ue emancipatus soluat: an repetere possit? respondit. si nihil ex peculio apud patrem remanserit, non repetiturum. nam manere naturalem obligationem, argumento esse, quod extraneo agente intra annum de peculio, deduceret pater, quod sibi filius debuisset. Contrà si pater, quod filio debuisset, eidem emancipato soluerit: non repetet. Nam hîc quoque manere naturalem obligationem, eodem argumento probatur: quod si extraneus intra annum de peculio agat, etiam quod pater ei debuisset, computetur. eademq́ue erunt, & si extraneus hæres exhæredato filio soluerit id, quod ei pater debuisset. E F

Fideiussori soluenti indebitum competit repetitio. hoc intellige, quando fideiussor soluit suo nomine: vt infra eodem lege indebitā. B.

LEGATI satis accepi: & cùm fideiussor mihi soluisset,

uiſſet apparuit indebitum fuiſſe legatum. poſſe eum re-
A petere exiſtimauit.

Si cautio debita in ſoluendo fuit omiſſa: ſoluenti per condictionẽ conſulitur. Bartolus.

XXXIX. MARTIANVS *lib.* VIII. *Inſtitutionum.*

SI quis cùm à fideicõmiſſario ſibi cauere poterat, non cauerit: quaſi indebitum eum plus debito ſolutũ repetere poſſe, diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt.

Tutus exceptione perpetua & fauorabili ſoluens quocunque errore repetit. ſecus ſi ſit exceptio odioſa. Bartolus.

XL. IDEM. *lib.* III. *Regularum.*

QVi exceptionem perpetuam habet, ſolutum per errorem repetere poteſt. ſed hoc non eſt perpetuum.
B nam ſi quidem eius cauſſa exceptio datur, cum quo agitur: ſolutum repetere poteſt, vt accidit in Senatuſconſulto de interceſſionibus. vbi verò in odium eius, cui debetur, exceptio datur: perperam ſolutum non repetitur. veluti ſi filiusfamiliâs contra Macedonianũ mutuam pecuniam acceperit, & paterfamiliâs factus ſoluerit: non repetit.

Res data poteſt condici, vt poßit pro impenſis retineri. Bartolus.

Si pars domus, quæ in diem per fideicommiſſum relicta eſt, arſerit ante diem fideicommiſſo cedentem, & eandem hæres ſua impenſa refecerit: deducendam eſſe impenſam ex fideicommiſſo conſtat. & ſi ſine deductione do-
C mum tradiderit: poſſe incerti condici, quaſi plus debito dederit. Si pactus fuerit patronus cum liberto, ne operæ ab eo petantur: quidquid poſtea ſolutum fuerit à liberto, repeti poteſt.

XLI. NERATIVS *lib.* VI. *Membranarum.*

QVod pupillus ſine tutoris authoritate ſtipulãti promiſerit, & ſoluerit: eius repetitio eſt, quia nec natura debet.

XLII. VLPIANVS *lib.* III. *ad edictum.*

POenæ non ſolent repeti, cùm depenſæ ſunt.

Tutus exceptione iuriſiurandi per errorem ſoluens repetit. Bar.

XLIII. PAVLVS *lib.* III. *ad Plautium.*

SI quis iurarit, ſe dare non oportere, ab omni contentione diſcedetur: atque ita ſolutam pecuniam repeti poſ-

ti poſſe, dicendum eſt.

An ſit debitum, inſpicitur ex perſona eius cui ſoluitur. Bartolus. D

XLIIII. IDEM *lib.* V. *ad Plautium.*

REpetitio nulla eſt ab eo, qui ſuum recepit: tametſi ab alio, quàm à vero debitore, ſolutum eſt.

Qui ex hæreditate ſibi debitum non deducit, repetit. Bartolus.

XLV. IABOLENVS *lib.* XIIII. *ad Plautium.*

SIis, qui hæreditatem vendidit, & emptori tradidit, id quod ſibi mortuus debuerat, non retinuit: repetere poterit, quia plus debito ſolutum per condictionem rectè recipitur.

XLVI. IDEM *lib.* III. *ex Plautio.*

QVi hæredis nomine legata non debita ex numis ipſius hæredis ſoluerit: ipſe quidem repetere non poteſt. ſed ſi ignorante hærede numos eius tradiderit: dominus eos rectè vindicabit. eadem cauſſa rerum corporalium eſt. E

Si fideiuſſor ſoluat indebitum: debitori competit repetitio, ſi eius nomine eſt ſolutum, vel fideiuſſori, ſi ſuo proprio nomine ſoluerit. B.

XLVII. CELSVS *lib.* VI. *Digeſtorum.*

INdebitam pecuniam per errorem promiſiſti. eam, qui pro te fideiuſſerat, ſoluit. ego exiſtimo, ſi nomine tuo ſoluerit fideiuſſor: te fideiuſſori, ſtipulatoremq́; tibi obligatum fore. nec exſpectandum eſſe, vt ratum habeas: quoniam poteſt videri idipſum te mandaſſe, vt tuo nomine ſolueretur. Sin autem fideiuſſor ſuo nomine ſoluerit, quo nõ debebat: ipſum à ſtipulatore repetere poſſe, quoniam indebitam iure gentium pecuniam ſoluit. quod minus autem conſequi poterit ab eo, cui ſoluit, à te mandati iudicio conſecuturum: ſi modò per ignorantiam, petentem exceptione non ſubmouerit. F

XLVIII. IDEM *lib.* VII. *Digeſtorum.*

QVi promiſit, ſi aliquid à ſe factũ ſit, vel cùm aliquid factum ſit, dare ſe decem: ſi prius, quàm id factum fuerit, quod promiſit, dederit: nõ videbitur feciſſe, quod promiſit, atque ideo repetere poteſt.

XLIX. MODESTINVS *lib.* II. *Regularum.*

IIs ſolis pecunia condicitur, quibus quoquo modo ſoluta eſt, non quibus proficit.

L. POMPONIVS *lib.* V. *ad Qu.Mutium.*

A QVod quis sciens indebitũ dedit hac mẽte, vt postea repeteret, repetere non potest.

LI. IDEM *lib.* VI. *ad Qu.Mutium.*

EX quibus caussis retentionem quidem habemus, petitionem autem non habemus: ea, si soluerimus, repetere non possumus.

Datum ob caussam de præterito non obligatoriam, non repetitur: datum verò ob caussam de futuro, caussa non secuta repetitur. Bar.

LII. IDEM. *lib.* IIII. *ad Qu. Mutium.*

DAmus aut ob caussam, aut ob rẽ. ob caussam & eam prçteritã veluti cũ ideo do, quod aliquid à te cõsecut' sim, vel quia aliquid à te factũ est: vt etiã si falsa causa sit, repetitio eius pecuniæ nõ fit. ob rẽ verò datur, vt aliquid sequatur: quo nõ sequente, repetitio competit.

B

Solutum indebitè, si non est translatum dominium, vindicatur à domino, si est translatum, condicitur ab eo immediatè, ad quem in veritate spectat: vt euitetur circuitus. Bartolus.

LIII. PROCVLVS *lib.* VI. ἐπιστολῶν.

DOminus testamento seruo suo libertatem dedit, si decem mihi det. seruo ignorante id testamentum non valere, data sunt mihi decem. quæritur, quis repetere potest? Proculus respondit. Si ipse seruus peculiares numos dedit, cùm ei à domino id permissum non esset: manent numi domini, eosque non condictione, sed in rem vindicatione petere debet. Sin autem alius rogatu serui suos numos dedit: facti sunt eius, eosque dominus serui, cuius nomine dati sunt, per condictionem petere potest. sed tam benignius, quàm vtilius est: via recta ipsum, qui numos dederit, suum recipere.

C

LIIII. PAPINIANVS *lib.* II. *Quæstionum.*

EX his omnibus caussis, quæ iure non valuerunt, vel non habuerunt effectum: secuta per errorem solutione, condictioni locus erit.

Ex locatione prædonis nõ competit actio domino. Item ex locatione serui vel domini non rectè soluitur prædoni: sed solutum vt indebitum repetitur. Bartolus.

LV. IDEM *lib.* VI. *Quæstionum.*

SI vrbana prædia locauerit prędo: quod mercedis nomine

mine acceperit, ab eo, qui soluit, nõ repetet: sed domino erit obligatus. Idémq; iuris erit in vecturis nauiũ, quas ipse locauerit, aut exercuerit. Item in mercedibus seruorum, quorum operæ per ipsum fuerint locatæ. nam si seruus non locatus ab ipso, mercedem vt domino prædoni retulit: non fiet accipientis pecunia. sed & si vecturas nauium, quas dominus locauerat, item pẽsiones insularum acceperit: ob indebitũ ei tenebitur, qui non est soluendo liberatus. quod ergo dici solet, prædoni fruct⁹ posse cõdici: tunc locum habet, cùm domini fructus fuerunt. D

Dubia exceptionis perpetuæ caussa dubietate pẽdente habet vim exceptionis perpetuæ. Bartolus.

LVI. IDEM *lib.* VIII. *Quæstionum.*

SVfficit ad caussam indebiti, incertum esse, temporaria sit, an perpetua exceptionis defensio. Nam si quis ne cõueniatur, donec Titius cõsul fiat, paciscatur, quia potest Titio decedẽte, perpetua fieri exceptio, quæ ad tempus est: Titio consulatum ineunte, summa ratione dicetur, quod interim soluitur, repeti. vt enim pactum, quod in tempus certum collatum est, non magis inducit condictioné, quàm si debitor ex ea die soluisset: ita prorsus defensio iuris, quæ caussam incertam habet, conditionis instar obtinet. E

LVII. IDEM *lib.* III. *Responsorum.*

CVm indebitũ impuberis nomine tutor numerauit: impuberis condictio est. Creditor, vt procuratori suo debitum redderetur, mandauit. maiore pecunia soluta, procurator indebiti caussa conuenietur. quod si nominatim, vt maior pecunia solueretur, delegauit: indebiti cum eo, qui delegauit, erit actio. quæ nõ videtur adempta, si frustra cum procuratore lis fuerit instituta. F

Conditio impossibilis quam testator putabat possibilem, vitiat legatum. Bartolus.

LVIII. IDEM *lib.* IX. *Responsorum.*

SEruo manumisso fideicommissum ita reliquit, si ad libertatem ex testamento peruenerit. is post acceptã sine iudice pecuniam, ingenuus pronunciatus est. indebiti fideicommissi repetitio erit.

Si fideiussor solus est liberatus, soluens repetit: secus si principalis reus

reus soluerit.Bartolus.

L I X. I D E M *lib.* I I.*Definitionum.*

A SI fideiussor iure liberatus, soluerit errore pecuniam: repetenti non oberit. Si verò reus promittendi per errorem, & ipse postea pecuniam soluerit, non repetet: cùm prior solutio, quæ fuit irrita, nec naturale vinculum dissoluit, nec ciuile, si reus promittendi tenebatur.

Quod ex nullo euentu inducitur, id dubietas non inducit. & quod in omnem euentum certum est debitum iri ab eodem: id vt indebitum non repetitur. secus si diuersæ personæ illud debituræ sint. Bartolus.

L X. P A V L V S *lib.* I I I. *Quæstionum.*

B IVlianus verum debitorem post litem contestatam, manente adhuc iudicio, negabat soluétem repetere posse: quia nec absolutus, nec condemnatus repetere posset. licet enim absolutus sit, natura tamen debitorem manere: similémque esse ei dicit, qui ita promisit, siue nauis ex Asia venerit, siue non venerit: quia ex vna caussa alterius solutionis origo proficiscitur. Vbi autem quis, quod purè debet, sub conditione nouandi animo promisit: plerique putant, pendente nouatione solutum repeti posse: quia ex qua obligatione soluat, adhuc incertũ sit. idémque esse, ac si diuersas personas ponas eandem pecuniam purè, & sub conditione nouandi animo promisisse. Sed hic dissimile est. in stipulatione enim pura & conditionali eundem debiturum certum est.

C *Quod bona fide factum est, habetur ratum, etiam pupillo postea per in integrum restitutionem abstento. secus si dolo factum est. Item repetitio competit ei, ad quem postea negocium incipit pertinere. Bar.*

L X I. S C A E V O L A *lib.* V. *Responsorum.*

TVtores pupilli quibusdam creditorib⁹ patris ex patrimonio paterno soluerunt: sed postea non sufficientibus bonis, pupillum abstinuerunt. quæritur, an quod amplius creditoribus per tutores pupilli solutum est: vel totum, quod acceperunt, restituere debeant? Respondi. si nihil dolo tutoris factum esset, tutori quidem vel pupillo non deberi: creditoribus auté aliis in id, quod amplius sui debiti solutum est, teneri.

Indebitum scienter promissum non repetitur. Bartolus.

L X I I.

LXII. MARTIANUS *lib. IIII. fideicommissorum.*

Fideicommissum in stipulatione deductũ, tametsi non debitum fuisset: quia tamen à sciente fidei explendæ caussa promissum esset, debetur. D

Si species debita perfectè non soluitur, talis solutio non parit liberationem, nec inducit repetitionem. Bartolus.

LXIII. CAIUS *lib. singulari de casibus.*

Neratius casum refert, vbi si quis id, quod soluerit, repetere non possit, quasi debitum dederit, nec tamẽ liberetur: veluti si is, qui cùm certum hominem deberet, statuliberũ dederit. nam ideo eũ non liberari, quia non in plenum stipulatoris hominem fecerit: nec tamen repetere eum posse, quod debitum dederit.

Dominus obligatur seruo naturaliter, quæ obligatio sequitur ipsum etiam manumissum. Bartolus. E

LXIIII. TRIPHONINUS *lib. VIII. Disputationum.*

SI quod dominus seruo debuit, manumisso soluit: quamuis existimaret ei se aliqua actione teneri, tamen repetere non poterit: quia naturale debitum agnouit. Vt enim libertas naturali iure continetur, & dominatio ex gentium iure introducta est: ita debiti vel non debiti ratio in condictione naturaliter intelligenda est.

LXV. PAULUS *lib. VIII. ad Plautium*

IN summa (vt generaliter de repetitione tractemus) sciendum est dari, aut ob transactioné, aut ob caussam, aut propter cõditioné, aut ob rem, aut indebitũ. in quibus omnibus quæritur de repetitione. Et quidé quod transactionis nomine datur: licet res nulla media fuerit, nõ repetitur. nã si lis fuerit: hoc ipsum, quod à lite disceditur, caussa videtur esse. Sin auté euidés calumnia detegitur: & transactio imperfecta est, & repetitio dabitur. Id quoq;, quod ob caussam datur, puta ꝙ negocia mea adiutã ab eo putaui, licet nõ sit factũ: quia donare volui (quãuis falsò mihi ꝑsuaserim) repeti non potest. Sed & agere per cõditioné propter conditioné legati, vel hæreditatis (siue non sit mihi legatũ, siue adéptum sit legatum) possum, vt repetã, quod dedi: quoniam non contrahendi animo dederim: quia caussa, propter quã dedi, non est secuta. Idem & si hæreditatem adire nolui, vel non potui, non idem potest F

test dici, si seruus meus sub conditione hæres institutus
A sit,& ego dedero,deinde manumissus adierit. nam hoc ca
su secuta est res. Quod ob rem datur, ex bono & æquo
habet repetitionem: veluti si dem tibi, vt aliquid facias,
nec feceris. Ei,qui indebitum repetit,& fructus,& partus
restitui debent, deducta impensa. In frumento indebito
soluto, & bonitas est repetenda: & si consumpsit
frumentum,precium repetit.sic & habitatione data, pecuniam
condicā:non quidem quanti locare potui,sed quanti
tu cōducturus fuisses. Si seruum indebitum tibi dedi,eúmque
manumisisti:si sciens hoc fecisti, teneberis ad
precium eius.si nesciens:non teneberis,nisi propter operas
eius liberti, & vt hæreditatem eius restituas. Indebitum
B est non tantùm,quod omnino non debetur: sed &
quod alij debetur,si alij soluatur:aut si id,quod alius debebat,alius
quasi ipse debeat,soluat.

LXVI. PAPINIANVS *lib.* VII. *Quæstionum.*

HAec cōdictio ex bono & æquo introducta,quod alterius
apud alterum sine caussa deprehenditur,reuocare
consueuit.

LXVII. SCAEVOLA *lib.* V. *Digestorum.*

STichus testamento eius, quem dominum suum arbitrabatur,libertate
accepta,si decem annis ex die mortis
annuos decem hæredibus præstitisset: per octo annos
præfinitam quantitatem,vt iussus erat,dedit.postmo-
C dum, quàm se ingenuum comperit, nec reliquorum annorum
dedit,& pronunciatus est ingenuus.quæsitum est,
an pecuniam, quam hæredibus dedit, vt indebitam datam
repetere,& qua actione possit? Respondi.si eam pecuniam
dedit, quæ neque ex operis suis, neque ex re eius,
cui bona fide seruiebat,quæsita sit:posse repeti. Tutor
creditori pupilli sui plus, quàm debebatur, exsoluit: &
tutelæ iudicio pupillo non imputauit. quæro, an repetitionem
aduersus creditorem haberet? Respondi,haberé.

Duob⁹ idē debitū soluētib⁹, vltimo soluēti repetitio cōceditur. Bal.

Titius,cùm multos creditores haberet, in quibus &
Seium: bona sua priuatim venditione facta Mæuio concessit,vt
satis creditoribus faceret.Sed Mæuius soluit pecuniam
Seio tanquā debitam,quæ iam à Titio fuerat soluta,

luta. quæsitum est, cùm postea reperiantur apochæ apud Titium debitorem partim solutæ pecuniæ: cui magis repetitio pecuniæ indebitæ solutæ competit. Titio debitori, an Mæuio, qui in rem suam procurator factus est? Respondi secundum ea, quæ proponerentur: ei, qui postea soluisset. Item quæsitum est, an pactum, quod in †pa riationibus adscribi solet in hunc modum, EX HOC CONTRACTV NVLLAM IN SE CONTROVERSIAM AMPLIVS ESSE, impediat repetitionem? respondi, nihil proponi, cur impediret. D

.i. cũ ita rationes redducũtur à ser uo vt paria sint expẽsa acceptis vnde pariatur.

Restitutio concessa super principali, ad accessorium non extenditur. Item quod per in integrum restitutionem quis posset consequi, ea nondum petita & obtenta non potest in compensationem deduci. Baldus. E

Lucius Titius Caio Seio minori annis vigintiquinque pecuniam certam credidit, & ab eo aliquantulum vsurarum nomine accepit. Caij Seij minoris hæres aduersus Publium Mæuium à præside prouinciæ in integrum restitutus est, ne debitum hæreditarium solueret: & nec quidquam de vsuris eiusdẽ sortis, quas Seius minor annis vigintiquinque exsoluerat, repetẽdis tractatum apud præsidem, aut ab eo pronunciatum est. quæro, an vsuras, quas Caius Seius minor annis vigintiquinq;, quoad viueret, creditori exsoluerat, hæres eius repetere possit? respondi secundũ ea, quæ proponerentur, condici id, quod vsurarum nomine defunctus soluisset, non posse. Item quæro, si existimes repeti nõ posse, an ex alio debito hæres eas retinere possit? respondi, ne hoc quidem. F

DE CONDICTIONE SINE CAVSSA. Titulus VII.

Hæc est specialis condictio, & concurrit cum condictione indebiti ob caussam & ob turpem caussam. Bartolus.

VLPIANVS *lib. VI. ad Sabinum.*

Est & hæc species condictionis, si quis sine caussa promiserit, vel soluerit quid indebitum. qui autem promisit sine caussa, condicere quantitatem non potest, quam non dedit, sed ipsam obligationem. Sed & si ob caussam promisit, caussa

caussa tamen secuta non est: dicendum est, condictionem locum habere. Siue autem ab initio sine caussa promissum est, siue fuit caussa promittendi, quæ finita est, vel secuta non est: dicendum est, condictioni locum fore.
A
Constat id demum posse condici alicui, quod vel non ex iusta caussa ad eum peruenit, vel redit ad non iustam caussam.

Si res pro qua solui æstimationē ei à quo caussam habeo, ad eum redeat: potest agi actione ex eo contractu, vel condictione sine caussa ad rem solutam. Bartolus.

II. IDEM *lib.* VIII. *ad edictum.*

SI fullo vestimenta lauanda conduxerit, deinde amissis eis, domino precium ex locato conuentus præstiterit, posteáque dominus inuenerit vestimenta: qua actione debeat consequi precium, quod dedit? & ait Cassius, eum non solùm ex conducto agere, verùm & condicere domino posse. ego puto ex conducto omnimodo eum habere actionem. an autem & condicere possit, quæsitum est, quia non indebitum dedit? nisi fortè, quasi sine caussa ei datum sit, putamus condici posse. Etenim vestimentis inuentis, quasi sine caussa datum videtur.
B

Qui sine caussa in totum vel in partem obligatur, liberationem condicit. Bartolus.

III. IVLIANVS *lib.* VIII. *Digestorum.*

QVi sine caussa obligantur, incerti condictione consequi possunt, vt liberentur. nec refert, omnem quis obligationem sine caussa suscipiat, an maiorem, quàm suscipere eum oporteat. nisi quòd aliâs, condictione id agitur, vt omni obligatione liberetur: aliâs vt exoneretur, veluti qui decē promisit. nam siquidem nullam caussam promittendi habuit: incerti condictione consequitur, vt tota stipulatio acceptò fiat. at si cùm quinque promittere deberet, decem promisit: incerti condictione consequitur, vt in quinque liberetur.
C

IIII. AFRICANVS *lib.* VIII. *Quæstionum.*

NIhil refert, vtrúmne ab initio sine caussa quid datū sit, an caussa, propter quā quid datū est, secuta nō sit.

Datum ob caussam impoßibilem de iure, caussa non secuta, de facto condictione sine caussa repetitur. Bartolus.

V. PAPINIANVS *lib.* XI. *Quæstionum.*

AVunculo nuptura pecuniam in dotem dedit, neque D
nupsit. an eandem repetere possit, quæsitum est? dixi, cùm ob turpem caussam dantis & accipientis pecunia numeretur, cessare condictionem: & in delicto pari potiorem esse caussam possessoris. quam rationem fortassis aliquem secutum respondere, non habituram mulierem condictionem. Sed rectè defendi, non tam turpem caussam in proposito, quàm nullã fuisse: cùm pecunia, quæ daretur, in dotem conuerti nequiret. non enim stupri, sed matrimonij gratia datam esse. Nouerca priuigno, nurus socero pecuniam dotis nomine dedit, neque nupsit. cessare condictio prima facie videtur, quoniam iure gentium incestum committitur. atquin magis in ea specie nulla caus- E
sa dotis dandæ fuit. condictio igitur competit.

DIGESTORVM SEV PANdectarum Liber XIII.

DE CONDICTIONE FVRTIVA. Titulus I.

VLPIANVS *lib.* XX. *ad Sabinum.*

† In hũc tractatũ Gell. lib. 11. noc. at. c. 18. et Alexã. ab Alexã. Genia. die li. 6. cap. 10.

IN† RE furtiua soli domino condictio competit. F

II. POMPONIVS *lib.* XVI. *ad Sabinum.*

COndictione ex caussa furtiua, & furiosi & infantes obligantur, cùm hæredes necessarij extiterunt: quamuis cum eis agi non possit.

In condictione furtiua habetur ratio interesse consistentis in lucro. Bortolus.

III. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

SI condicatur seruus ex caussa furtiua, id venire in cõdictione certũ est, quod intersit agentis: veluti si hæres sit institutus, & periculum subeat dominus hæreditatis per-

tis perdendæ, quod Iulianus scribit. Item si mortuum hominem condicat: consecuturum ait precium hæreditatis.

A

IIII. VLPIANVS *lib.* XX. *ad Sabinum.*

SI seruus vel filiusfamiliâs furtum commiserit: condicendum est domino id, quod ad eum peruenit. In residuum autem noxæ seruum dominus dedere potest.

V. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

EX furtiua caussa filiofamiliâs condici potest. Nunquam enim ea condictione alius, quàm qui fecit, tenetur, aut hæres eius.

VI. VLPIANVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

PRoinde & si ope & consilio alicuius furtum factum sit: condictione non tenebitur, & si furti teneatur.

B

VII. IDEM *lib.* XLII. *ad Sabinum.*

SI pro furto damnum decisum sit, cōdictionē non impediri, certissimum est. Decisione enim furti quidem actio, non autem condictio tollitur. Furti actio pœnam petit legitimam, condictio rem ipsam. ea res facit, vt neque furti actio per condictionem, neque condictio per furti actionem consumatur. is itaque, cui furtum factum est, habet actionem furti, & condictionem, & vindicationē. habet & ad exhibēdum actionē. Condictio rei furtiuæ, quia rei habet persecutionem, hęredem quoque furis obligat: nec tantùm si viuat seruus furtiuus, sed etiam si decesserit. sed & si apud furis hæredem diem suum obiit seruus furtiuus, vel non apud ipsum, post mortem tamen furis: dicendum est, condictionē aduersus hæredem durare. Quæ in hæredem diximus, eadem erunt & in cæteris successoribus.

C

In obligatione rem restitui, demum perempta re succedit obligatio ad interesse quando est contra furem, quāti res plurimi fuerit, & habetur ratio fructuum. Bartolus.

VIII. IDEM. *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

IN re furtiua condictio ipsorum corporum competit: sed vtrum tam diu, quàm diu exstent: an verò & si desierint esse in rebus humanis? & si quidem obtulit fur: sine dubio nulla erit condictio. si non obtulit: durat cōdictio æstimationis eius. corpus enim ipsum præstari non potest. Si ex caussa furtiua res condicatur, cuius temporis

æstimatio fiat, quęritur? placet tamen id tempus spectandum, quo res vnquam plurimi fuit: maxime cùm deteriorem rem factam fur dando non liberatur. Semper enim moram facere fur videtųr. Nouissime sciendum, etiam fructus in hanc actionem venire. D

IX. IDEM *lib.* X. *ad edictum.*

IN condictione ex caussa furtiua non pro parte, quæ peruenit, sed in solidum tenemur: dum soli hæredes sumus. pro parte autem hæres, pro ea parte, pro qua hæres est, tenetur.

Hæc condictio competit contra furem manifestum, siue non manifestum, nisi possessio rei ad dominum sit reuersa. Bartolus.

X. IDEM *lib.* XX. *ad edictum.*

SIue manifestus fur, siue nec manifestus sit, poterit condici. Ita demum autem manifestus fur cōdictione tenebitur, si deprehēsa non fuerit à domino possessio eius. cęterùm nemo furum condictione tenetur, postquam dominus adprehenderit. & ideo Iulianus (vt procedit in fure manifesto tractare) de condictione ita proponit: furem deprehensum aut occidisse, aut fregisse, aut effudisse id, quod interceperat. Ei quoque qui vi bonorum raptorum tenetur, cōdici posse, Iulianus libro vigesimosecundo Digestorum significat. Tamdiu autem condictioni locus erit, donec domini facto dominium eius rei ab eo recedat. & ideo si eam rem alienauerit, condicere non poterit. Vnde Celsus libro duodecimo Digestorum scribit: si rem furtiuam dominus purè legauerit furi: hæredem eius condicere non posse. Sed & si non ipsi furi, sed alij: item dicendum est, cessare condictioné: quia dominium facto testatoris, id est domini, discessit. E F

XI. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

SEd nec legatarius condicere potest. ei enim competit condictio, cui res subrepta est, vel hæredi eius. sed vindicare rem legatam ab eo potest.

XII. VLPIANVS *lib.* XX. *ad edictum.*

ET ideo eleganter Marcellus definit libro septimo. ait enim. si res mihi subrepta, tua remaneat: cōdices. Sed & si dominium non facto tuo amiseris: æquè condices. In cōmuni igitur re eleganter ait interesse, vtrum tu prouocasti-

uocasti cõmuni diuidũdo iudicio,an prouocatus es?vt si
A tu prouocasti cõmuni diuidundo iudicio, amiseris cõdi
ctioné.si prouocatus es,retineas. Neratius libris Mẽbranarum Aristoné existimasse refert:eũ,cui pignori res data est,incerti condictione acturum,si ea subrepta sit.

XIII. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

EX argento subrepto pocula facta condici posse, Fulcinius ait.ergo in condictione poculorum etiam cælaturæ æstimatio fit,quæ impensa furis facta est: quemad modum si infans subreptus adoleuerit,æstimatio fit adolescentis:quamuis cura & sumptibus eius furis creuerit.

Si actor pendente iudicio desinit esse dominus facto suo vel actorus sui,ius eius exstinguitur:sec⁹ si facto furis:& res æstimatur quantum vendi potest. Bartolus.

B XIIII. VLPIANVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

SI seruus furtiuus sub conditione legatus fuerit: pendente ea,hæres condictionem habebit.& si lite contestata cõditio exstiterit: absolutio sequi debebit perinde, ac si idem seruus sub conditione liber esse iussus fuisset, & lite contestata conditio exstitisset. nam nec petitoris iam interest hominem recipere.& hæc,si res sine dolo malo furis eius esse desiit.Quod si pendente conditione iudicetur : iudex æstimare debebit, quanti emptorem inuenerit.Cauere autem ex hac actione petitor ei,cum quo agitur,non debebit.

C *A fure possum condicere rem meam,& id quod ex re mea superest:& qui consecutus est totum,non potest petere partem:& qui consecutus est partem,potest petere residuum.* Bartolus.

Boue subrepto & occiso, condictio & bouis, & corij, & carnis domino competit: scilicet si & corium, & caro contrectata fuerint. cornua quoque condicentur. Sed si dominus condictione bouis precium consecutus fuerit, & postea aliquid eorum,de quibus suprà dictum est,condicet: omnimodo exceptione submouebitur. Cõtrà si corium condixerit,& precium eius consecutus,bouem condicet:offeréte fure precium bouis,detracto precio corij, doli mali exceptione submouebitur. Idem iuris est vuis subreptis. nam & mustum & vinacia cõdici iure possunt.

XV. CELSVS *lib.* XII. *Digestorum.*

QVod ab alio ſeruus ſubripuit, eius nomine liber factus furti tenetur: condici autem ei non poteſt, niſi liber contrectauerit. D

In actione hac periculum interitus pertinet ad furem indiſtinctè, ſed in actionibus deſcendentibus ex contractu habetur ratio culpæ, ſecundum naturam contractus. Bartolus.

XVI. POMPONIVS *lib.* XX. *ad Qu. Mutium.*

QVi furtum committit, vel re commodata, vel depoſita vtendo: condictione quoque ex furtiua cauſſa obſtringitur. quæ differt ab actione commodati in hoc: quod etiam ſi ſine dolo malo & culpa eius interierit res, condictione tamen tenetur: cùm in commodati actione nõ facilè vltra culpam, & in depoſiti vltra dolum malum teneatur is, cum quo agetur. E

Oblatione & nouatione purgatur mora furis. Bartolus.

XVII. PAPINIANVS *lib.* XIII. *Quæſtionum.*

PArui refert ad tollendam condictionem, offeratur ſeruus furtiuus, an in aliud nomẽ, aliúmque ſtatum obligationis trãsferatur. Nec me mouet, præſens homo fuerit, nécne: cum mora, quæ veniebat ex furto, veluti quadam delegatione finiatur.

Falſus creditor accipiendo ſcienter indebitum, furtũ facit, & condictione furtiua ſoluenti tenetur. Bartolus.

XVIII. SCAEVOLA *lib.* III. *Quæſtionum.*

QVoniam furtum fit, cùm quis indebitos numos ſciẽs acceperit: videndum eſt, ſi procurator ſuos numos ſoluat, an ipſi furtum fiat. & Pomponius libro ſeptimo Epiſtolarum, ipſum condicere ait ex cauſſa furtiua. ſed & me condicere, ſi ratum habeam, quod indebitum datum ſit. ſed altera condictione alteram tolli. F

XIX. PAVLVS *lib.* III. *ad Neratium.*

IVlianus ex perſona filiæ, quæ res amouit, dandam in patrem condictionem in peculium, reſpondit.

Fur ſemper eſt in mora: ideo ad eum ſemper ſpectat periculum interitus. Bartolus.

XX. TRIPHONINVS *lib.* V. *Diſputationum.*

LIcet fur paratus fuerit excipere cõdictionem, & per me ſteterit, dum in rebus humanis res fuit, condicere eam, poſtea autem perempta eſt: tamẽ durare cõdictionem

nem veteres voluerunt: quia videretur, qui primo inuito domino rem contrectasset, semper in restituenda ea, quam nec debuit auferre, moram facere.

A

DE CONDICTIONE EX lege. Tit. II.

I. PAVLVS lib. II. ad Plautium.

SI obligatio noua lege introducta sit, nec cautum sit, eadem lege, quo genere actionis experiamur: ex lege agendum est.

DE CONDICTIONE TRITIciaria. Tit. III.

B *Hæc condictio locum habet pro omni re, excepta pecunia numerata: siue certum, siue incertum, siue dominium, siue possessio petatur. Bartolus.*

VLPIANVS lib. XVIII. ad edictum.

QVi certam pecuniam numeratam petit, illa actione vtitur, si certum petatur. qui auté alias res: per triticiariam cõdictionem petet. & generaliter dicendum est: omnes res per hanc cõdictioné peti, quæ sunt, prçter pecuniam numeratam: siue pondere, siue mensura constent, siue mobiles sint, siue soli. quarè fundum quoque per hanc actionem petimus, & si vectigalis sit: siue etiam ius stipulatus quis sit, veluti vsumfructum, vel seruitutem vtrorumque prædiorum. Rem autem suam per hanc actionem nemo petet, nisi ex caussis, quibus potest: veluti ex caussa furtiua, vel mobili re vi abrepta.

C

II. IDEM lib. IX. ad Sabinum.

SEd & ei, qui vi aliquem de fundo deiecit, posse fundum condici, Sabinus scribit. & ita etiam Celsus. sed ita, si dominus sit, qui deiectus condicat. Cæterùm si non sit: possessionem eum condicere, Celsus ait.

Si tempore sententiæ vel tempore mortis res plurimi fuit, illud tẽpus inspicitur, quanti plurimi fuit à tempore moræ. Bar.

III. IDEM lib. XXVII. ad edictum.

IN hac actione si quçratur: res, quæ petita est, cuius téporis æstimationem recipiat? verius est, quod Seruius

 ait, con-

ait, condemnationis tempus ſpectandum. ſi verò deſierit eſſe in rebus humanis: mortis tempus, ſed ἐμ πλάτει ſecũdum Celſum erit ſpectandum. non enim debet nouiſſimum vitæ tempus æſtimari: ne ad exiguum precium æſtimatio redigatur, in ſeruo fortè mortiferè vulnerato. in vtroque autem, ſi poſt morã deterior res facta ſit, Marcellus ſcribit libro viceſimo, habendam æſtimationem, quanti deterior res facta ſit. & ideo ſi quis poſt moram ſeruum eluſcatum dederit, nec liberari eum. quarè ad tẽpus moræ in his erit reducenda æſtimatio. D

IIII. CAIVS *lib.* VIII. *ad edictum prouinciale.*

SI merx aliqua, quæ certo die dari debebat, petita ſit: (veluti vinum, oleum, frumentum) tanti litem æſtimandam, Caſſius ait, quanti fuiſſet eo die, quo dari debuit. ſi de die nihil conuenit: quanti tunc, cùm iudicium acciperetur. Idemque iuris in loco eſſe: vt primum æſtimatio ſumatur eius loci, quo debuit dari. ſi de loco nihil conuenit: is locus ſpectaretur, quo peteretur. quod & de cæteris rebus iuris eſt. E

DE EO QVOD CERTO LOco dari oportet. Tit. IIII.

CAIVS *lib.* VIII. *ad edictum prouinciale.*

ALio loco, quàm in quem ſibi dari quiſque ſtipulatus eſſet, nec videbatur agendi facultatẽ competere: ſed quia iniquum erat, ſi promiſſor ad eum locum, in quem daturum ſe promiſiſſet, nunquam accederet (quod vel data opera faceret, vel quia aliis locis neceſſariò diſtringeretur) non poſſe ſtipulatorem ad ſuum peruenire: ideo viſum eſt, vtilem actionem in eam rem comparare. F

II. VLPIANVS *lib.* XXV. *ad edictum.*

ARbitraria actio vtriuſque vtilitatem continet, tam actoris, quàm rei. quod ſi rei intereſt: minoris fit pecuniæ condemnatio, quam intentatum eſt. at ſi actoris: maioris. Hæc autẽ actio ex illa ſtipulatione venit, vbi ſtipulatus ſum à te, Epheſi decem dari. Si quis Epheſi decem, aut Capuæ hominem dari ſtipulatus, experiatur: non debet detracto altero loco experiri, ne auferat loci vtilitatem

vtilitaté reo. Scæuola libro decimoquinto Quæstio-
A num ait,nō vtique ea, quæ tacitè insunt stipulationibus, semper in rei esse potestate : sed quid debeat, esse in eius arbitrio:an debeat,nō esse. & ideo eum qui Stichum aut Pamphilum promittit: eligere posse, quod soluat, quàm diu ambo viuunt. cæterùm vbi alter decessit : exstingui eius electionem,ne sit in arbitrio eius,an debeat:dum nō vult viuum præstare,quem solū debet. Quarè & in proposito eum, qui promisit Ephesi aut Capuæ, si fuerit in eius arbitrio,vbi ab eo petatur, conueniri non potuisse. semper enim alium locum electurum. sic euenire, vt sit in ipsius arbitrio,an debeat.quarè putat, posse ab eo peti altero loco & sine loci adiectione.damus igitur actori e-
B lectionem petitionis. Et generaliter definit Scæuola petitorem electionem habere, vbi petat:reum, vbi soluat: sed ante petitionem. Proinde mixta (inquit) rerum alternatio locorum alternationi, ex necessitate facit actoris,electionem & in re propter locum. alioquin tollis ei actionem,dum vis reseruare reo optionem. Si quis ita stipuletur, Ephesi & Capuæ? hoc agit, vt Ephesi partem, & Capuæ partem petat. Si quis insulam fieri stipuletur, & locum non adiiciat : non valet stipulatio. Qui ita stipulatur, Ephesi decem dari ? si ante diem, quàm Ephesum peruenire possit, agat : perperam antè diem agit. quia & Iulianus putat, diem tacitè huic stipulatio-
C ni inesse.quarè verum puto, quod Iulianus ait:eum, qui Romæ stipulatur, hodie Carthagini dari ? non vtiliter stipulari.

*Qui soluit adiecto alibi,quā in loco destinato,liberatur: sed propter interesse loci durat petitio.*Bar.

Idem Iulianus tractat:an is, qui Ephesi sibi aut Titio dari stipulatus est, si alibi Titio soluatur, nihilominus possit intendere,sibi dari oportere.& scribit,liberationē non contigisse:atque ideo peti posse,quod interest.Marcellus autem & aliâs tractat,& apud Iulianum notat posse dici,& si mihi alibi soluatur, liberationem contigisse, quamuis inuitus accipere non cogar. planè si non contingat liberatio:dicendum ait, superesse petitionem integræ summæ : quemadmôdum si quis insulam alibi fecisset,

ciſſet, quàm vbi promiſerat, in nihilum liberaretur. ſed mihi videtur ſummæ ſolutio diſtare à fabrica inſulæ: & ideo quod intereſt ſolum petendum. D

Si agatur in loco non deſtinato, actio eſt arbitraria: & in ea habetur ratio intereſſe actoris, & rei tam intrinſeci, quam extrinſeci, & eius quod conſiſtit in damno ſiue lucro.

Nunc de officio iudicis huius actionis loquendũ eſt: vtrum quantitati contractus debeat ſeruire, an vel excedere, vel minuere quantitaté debeat: vt ſi interfuiſſet rei, Epheſi potius ſoluere, quàm eo loco, quo cõueniebatur, ratio eius habeatur. Iulianus Labeonis opinionem ſecutus, etiam actoris habuit rationem: cuius interdum potuit intereſſe, Epheſi recipere, itaque vtilitas quoque actoris veniet. quid enim ſi traiecticiam pecuniam dederat, Epheſi recepturus, vbi ſub pœna debebat pecuniam, vel ſub pignoribus: & diſtracta pignora ſunt, vel pœna commiſſa mora tua? vel aliquid fiſco debebatur, & res ſtipulatoris viliſſimo diſtracta eſt? In hanc arbitrariam quod interfuit veniet, & quidem vltra legitimum modũ vſurarum. quid ſi merces ſolebat comparare, an & lucri ratio habeatur, non ſolius damni? puto & lucri habendã rationem. E

III. CAIVS *lib.* X. *ad edictum prouinciale.*

IDeo in arbitrium iudicis refertur hæc actio, quia ſcimus, quàm varia ſint precia rerum per ſingulas ciuitates regioneſque: maximè vini, olei, frumenti. pecuniarum quoque licet videatur vna & eadé poteſtas vbique eſſe: tamen aliis locis facilius & leuibus vſuris inueniũtur, aliis difficilius & grauibus vſuris. F

IIII. VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

QVod ſi Epheſi petetur: ipſa ſola ſumma petetur, nec amplius quid: niſi ſi quid ſtipulatus eſt, vel ſi temporis vtilitas interuenit.

Sicut arbitrium iudicis verſatur in augenda vel minuenda condemnatione, ita etiam in totaliter abſoluendo, æquitate hoc dictante. Bartolus.

Interdum iudex, qui ex hac actione cognoſcet (cùm ſit arbitraria) abſoluere reum debet: cautione ab eo exacta, de pecunia ibi ſoluenda, vbi promiſſa eſt. quid enim ſi ibi

si ibi vel oblata pecunia actori dicatur, vel deposita, vel ex facili soluenda: nonne debebit interdum absoluere? in summa æquitatem ante oculos habere debet iudex, qui A huic actioni additus est.

V. PAVLVS *lib. XX. ad edictum.*

SI hæres à testatore iussus sit certo loco quid dare, arbitraria actio competit.

VI. POMPONIVS *lib. III. ad Sabinum.*

ET si mutua pecunia data fuerit, vt certo loco reddat.

Actiones bonæ fidei non dicuntur arbitrariæ propter locum, sed actiones stricti iuris. Bartolus.

VII. PAVLVS *lib. XX. ad edictum.*

B IN bonæ fidei iudiciis, etiam si in contrahendo conuenit, vt certo loco quid præstetur: ex empto, vel vendito, vel depositi actio competit, non arbitraria. si tamen certo loco condicturum se quis stipulatus sit: hac actione vtendum erit.

Arbitraria actione fideiussor conuenitur vt reus: nec ex mora rei eius obligatio augetur. secus in vsuris per stipulationem debitis. & hoc interesse quum officio iudicis mercenario exigatur, intantum durat pro rata, inquantum restat de sorte soluendum Bar.

VIII. AFRICANVS *lib. III. Quæstionum.*

CEntum Capuæ dari stipulatus, fideiussorem accepisti. ea pecunia ab eo similiter, vt ab ipso promissore, peti debebit: id est, vt si alibi, quàm Capuæ petantur, arbitraria agi debeat: lisque tanti æstimetur, quanti eius vel C actoris interfuit eam summam Capuæ potius, quàm alibi solui. nec oportebit (quod forte per reum steterit, quò minus tota centum Capuæ soluerentur) obligationem fideiussoris augeri, neque enim hæc caussa rectè comparabitur obligationi vsurarum. ibi enim duæ stipulationes sunt, hic tantum vna pecuniæ creditæ: circa cuius exsecutionem æstimationis ratio arbitrio iudicis committitur, eiusque differentiæ manifestissimum argumentum esse puto: quòd si post moram factam pars pecuniæ soluta sit, & reliquum petatur: officium iudicis tale esse debeat, vt æstimet, quanti actoris intersit, eam duntaxat summam, quæ peteretur, Capuæ solutam esse.

IX. VLPIANVS *lib. I. ad Sabinum.*

Is qui

IS qui certo loco dare promittit, nullo alio loco, quàm in quo promisit soluere inuito stipulatore potest. D

Fideiussor simpliciter acceptus, non tenetur ad interesse propter locum ex mora rei etiam præcedente: nec admittitur quod simplex solutio pro rata sortis & interesse facta esse videatur. Bartolus.

X. PAVLVS *lib. V. ad Sabinum.*

SI post moram factam, quò minus Capuæ solueretur, cùm arbitraria vellet agere, fideiussor acceptus sit eius actionis nomine: videamus, ne ea pecunia, quæ ex sententia iudicis accedere potest, nõ debeatur, nec sit in obligatione: adeo, vt nunc quoque sorte soluta, velut si Capuæ petatur, arbitrium iudicis cesset. nisi quis dicat, si iudex centum & viginti condemnare debuerit: centum solutis ex vniuersitate, tam ex sorte, quàm ex pœna solutũ videri: vt supersit petitio eius, quod excedit sortem, & accedat pœna pro eadem quantitate. quod non puto admittendum: tanto magis, quod creditor accipiendo pecuniam, etiam remisisse pœnam videatur. E

DE CONSTITVTA PECVnia. Titu. V.

VLPIANVS *lib. LV. ad edictum.*

†*Pulchrè in hãc sententiam Cic. lib. 1. & 3. Offi.*

HOc edicto prætor fauet naturali æquitati, qui constituta ex consensu facta custodit, quoniã graue est fidem fallere. Ait prætor. QVI PECVNIAM DEBITAM CONSTITVIT. QVI sic accipiendum est, QVAEVE. nam & mulieres de constituta tenentur, si nõ intercesserint. De pupillo & si nihil sit expressum edicto: attamen sine tutoris authoritate constituendo nõ obligatur. Sed si filiusfamiliâs constituerit, an teneatur, quæritur. sed puto verum, & ipsum constituentem teneri, & patrẽ de peculio. Eum, qui inutiliter stipulatus est, cùm stipulari voluerit, non constitui sibi: dicendum est, de constituta experiri non posse: quoniã non animo constituentis, sed promittentis factum sit. An possit aliud constitui, quàm quod debetur, quęsitum est? sed cùm iam placet, rẽ pro re solui posse: nihil prohibet, & aliud pro debito F

debito constitui. denique si quis centum debens, frumentum eiusdem precij constituat: puto valere constitutum.
A Debitū autē ex quacūque caussa potest cōstitui: id est, ex quocunq; cōtractu, siue certi, siue incerti: & si ex caussa emptionis quis preciū debeat, vel ex caussa dotis, vel ex caussa tutelæ, vel ex quocunque alio contractu.

Debitum intelligitur ex quacunque caussa, quæ parit obligationem ciuilem & naturalem: vel naturalem tantum: vel de iure prætorio sine exceptionis obstaculo. Item siue sit debitum pure, siue sit in diem. Bartolus.

Debitum autem vel natura sufficit. sed & is, qui honoraria actione, non iure ciuili obligatus est, constituendo tenetur. videtur enim debitum & quod iure honorario
B debetur. ideo & pater & dominus de peculio obstricti, si constituerint, tenebuntur vsque ad eam quantitatem, quę tunc fuit in peculio, cùm constituebatur. cęterùm si plus suo nomine cōstituant: non tenētur in id, quod plus est.

II. IVLIANVS *lib. II. Digestorum.*

QVod si filij nomine constituerit se decem soluturū: quamuis in peculio quinque fuerint, de constituta in decem tenebitur.

III. VLPIANVS *lib.* LV. *ad edictum.*

QVod si maritus plus constituit ex dote, quàm facere poterat: quia debitum constituit, in solidum quidem tenetur, sed mulieri in quantum facere po-
C test condemnatur. Si quis autem constituerit, quod iure ciuili debebat, iure prætorio non debebat (id est per exceptionem) an constituendo teneatur, quæritur? & est verum (vt Pomponius scribit) eum non teneri: quia debita iuribus non est pecunia, quæ constituta est. Si is, qui iure ciuili & prętorio debebat, in diem sit obligatus: an constituendo teneatur? & Labeo ait teneri. quam sententiam & Pedius probat. & adiicit Labeo: vel propter has potissimum pecunias, quæ nondum peti possunt, constituta inducta. quam sententiam non inuitus probarim. habet enim vtilitatem: vt ex die obligatus, constituendo se eadem die soluturum, teneatur.

IIII. PAVLVS *lib.* V. *ad edictum.*

SEd & si citeriore die constituat se soluturum, similiter,

ter tenetur.

V. VLPIANVS *lib. LV. ad edictum.*

EVm, qui Epheſi promiſit ſe ſoluturum: ſi conſtituat alio loco ſe ſoluturũ, teneri conſtat. Iulianus legatum Romæ conſtituentem, quod in prouincia acceperat, putat conueniri debere. quod & verum eſt. ſed ſi cùm nõ Romæ eſſet, ſed in prouincia, adhuc conſtituit ſe Romæ ſoluturũ: denegatur in eum actio de conſtituta. Quod exigimus, vt ſit debitũ, quod conſtituitur: in rem exactum eſt, non vtique vt is, cui conſtituitur, creditor ſit. nam & quod ego debeo, tu cõſtituẽdo, teneberis: & quod tibi debetur, ſi mihi conſtituatur, debetur. D

Per epiſtolam poteſt quis ſe obligare conſtituendo ſe pro debito alteri, non alium. Bartolus.

Iulianus quoque libro vndecimo ſcribit. Titius epiſtolam ad me talem emiſit. Scripſi ſecundum mandatum Seij, ſi quid tibi debitum adprobatum fuerit, me tibi cauturum, & ſoluturum ſine controuerſia. tenetur Titius de conſtituta pecunia. Sed & ſi quis conſtituerit, aliũ pro ſe ſoluturum, non ſe pro alio: non tenetur. & ita Pomponius libro octauo ſcribit. E

Verba conſtituti debent referri ad eum cui fit, non ad alium: niſi ille alius fingeretur idem ratione poteſtatis vel legitimæ adminiſtrationis. Bartolus.

Item ſi mihi conſtituas te ſoluturum: teneberis. quod ſi mihi conſtitueris, Sempronio te ſoluturum: non teneberis. Iulianus libro vndecimo digeſtorũ ſcribit, procuratori conſtitui poſſe. quod Pomponius ita interpretatur: vt ipſi procuratori conſtituas te ſoluturum, non domino. Item tutori pupilli conſtitui poteſt, & actori municipum, & curatori furioſi. ſed & ipſi conſtituentes tenebuntur. Si actori municipum, vel tutori pupilli, vel curatori furioſi, vel adoleſcentis ita conſtituatur: municipibus ſolui, vel pupillo, vel furioſo, vel adoleſcenti: vtilitatis gratia puto dandam municipibus, vel pupillo, vel furioſo, vel adoleſcenti vtilem actionem. Seruo quoque conſtitui poſſe conſtat: etſi ſeruo conſtituatur, domino ſolui, vel ipſi ſeruo: qualem qualẽ domino ſeruum obligationem adquirere. F

VI. PAV.

VI. PAVLVS *lib.* II. *Sententiarum.*

A IDem est,& si ei,qui bona fide mihi seruit, constitutum fuerit.

VII. VLPIANVS *lib.* LV. *ad edictum.*

SEd & si filiofamilias constituatur: valet constitutum. Si mihi aut Titio stipuler: Titio cõstitui suo nomine non posse,Iulianus ait: quia non habet petitioné, tametsi solui ei possit.

VIII. PAVLVS *lib.* XV. *ad edictum.*

SI verò mihi aut Titio constitueris te soluturum: mihi competit actio. quòd si postea, quàm soli mihi te soluturum constituisti, solueris Titio: nihilominus mihi teneberis.

B IX. PAPINIANVS *lib.* VIII. *Quæstionum.*

TItius tamen indebiti cõdictione tenebitur: vt quod ei perperam solutum est,ei, qui soluit, reddatur.

X. PAVLVS *lib.* XV. *ad edictum.*

IDem est,& si ex duobus reis stipulandi pòst alteri constitutum,alteri postea solutum est: quia loco eius, cui iam solutum est,haberi debet is,cui constituitur.

Sufficit ad constitutum quod sit debitum, licet non appareat persona,quæ debeat. Bartolus.

XI. VLPIANVS *lib.* IX. *ad edictum.*

HActenus igitur constitutum valebit: si, quod constituitur,debitum sit: etiam si nullus appareat, qui C interim debeat. vtputa si ante aditam hæreditatem debitoris,vel capto eo ab hostibus,constituat quis se soluturum.nam & Pomponius scribit,valere cõstitutum: quoniam debita ea pecunia constituta est. Si quis centum aureos debens, ducentos constituat: in centum tantummodo tenetur, quia ea pecunia debita est. ergo & is qui sortem & vsuras, quæ non debebantur, constituit: tenebitur in sortem dumtaxat.

XII. PAVLVS *lib.* X. *ad edictum.*

SEd & si decem debeantur, & decem, & Stichum constituat: potest dici,decem tantùmmodo nomine teneri.

XIII. IDEM *lib.* XX. *ad edictum.*

SEd si quis viginti debens, decem constituit se soluturum: tenebitur.

XIIII.

XIIII. VLPIANVS *lib. IX. ad edictum.*

QVi autem conſtituit ſe ſoluturum, tenetur: ſiue adiecerit certam quantitatem, ſiue non. D

Sufficit quod illud quod in conſtitutum deducitur, ſit de acceſſoriis ad debitũ, licet per ſe principaliter non ſit debitum. Bar.

Si quis conſtituerit ſe pignus daturum: cùm vtilitas pignorum irrepſerit, debet etiam hoc cõſtitutum admitti. Sed & ſi quis certam perſonam fideiuſſuram pro ſe cõſtituerit: nihilominus tenetur, vt Pomponius ſcribit. Quid tamen ſi ea perſona nolit fideiubere? puto teneri eum, qui cõſtituit: niſi aliud actũ eſt. Quid ſi antè deceſſerit? ſi mora interueniente: æquũ eſt teneri eum, qui conſtituit, vel in id quod intereſt, vel vt aliam perſonam non minus idoneam fideiubentem præſtet. Si nulla mora E interueniente: magis puto non teneri. Conſtituere autem & præſentes & abſentes poſſum⁹, ſicut paciſci & per nuncium, & per noſmetipſos, & quibuſcunque verbis.

XV. PAVLVS *lib. X. ad edictum.*

ET licet libera perſona ſit, per quam tibi conſtituit: non erit impedimentum, quod per liberam perſonam adquirimus: quia miniſterium tantummodo hoc caſu præſtare videtur.

XVI. VLPIANVS *lib. XX. ad edictum.*

SI duo quaſi duo rei conſtituerimus: vel cum altero agi poterit in ſolidum. Sed & certo loco & tempore conſtituere quis poteſt: nec ſolùm eo loco petere, vbi ei F conſtitutum eſt, ſed exemplo arbitrariæ actionis vbique poteſt. Ait prætor. SI APPAREAT EVM, QVI CONSTITVIT, NEQVE SOLVISSE, NEQVE FECISSE, NEQVE PER ACTOREM STETISSE, QVÒ MINVS FIERET, QVOD CONSTITVTVM EST. Ergo ſi non ſteterit per actorem: tenet actio, etiam ſi per rerum naturam ſtetit. ſed magis dicendum eſt, ſubueniri reo debere. Hæc autẽ verba prætoris, NEQVE FECISSE, vtrum ad tempus conſtituti pertineant, an verò vſque ad litis conteſtationem trahamus, dubitari poteſt. & puto ad tempus conſtituti.

XVII. PAVLVS *lib. XX. ad edictum.*

Sed &

A SEd & si alia die offerat, nec actor accipere voluit, nec vlla iusta caussa fuit non accipiendi: æquum est, succurri reo, aut exceptione, aut iusta interpretatione: vt factum actoris vsque ad tempus iudicij ipsi noceat: vt illa verba NEQVE FECISSE hoc significent, vt neque in diem, in quem constituit, fecerit, neque postea.

Actor dicitur esse in mora recipiendi, si tempore debito ad locum solutionis non venerit. Bartolus.

XVIII. VLPIANVS *lib.* XXVII. *ad edictum.*

ITem illa verba prætoris, NEQVE PER ACTOREM STETISSE, eandem recipiunt dubitationẽ. & Pomponius dubitat: si fortè ad diem constituti per actorem non stetit, an ante steterit, vel postea? & puto, &
B hæc ad diem constituti referenda. proinde si valetudine impeditus, aut vi, aut tempestate petitor nõ venit, ipsi nocere Põponius scribit. Quod adiicitur, EAM QVE PECVNIAM, CVM CONSTITVEBATVR, DEBITAM FVISSE: interpretationẽ plenioré exigit. Nam primũ illud efficit, vt si quid tunc debitum fuit, cùm constitueretur, nunc non sit: nihilominus teneat constitutum, quia retrorsum se actio refert. proinde & temporali actione obligatum, constituendo Celsus & Iulianus scribunt teneri debere: licet post cõstitutum dies temporalis actionis exierit. quare etsi post tempus obligationis se soluturum constituerit, adhuc idem Iulianus
C putat: quoniam eo tempore cõstituerit, quo erat obligatus, licet in id tempus, quo non tenebitur. E re autem est hîc subiungere, vtrum pœnã contineat hæc actio, an rei persecutionem? & magis est (vt etiam Marcellus putat) vt rei persecutionem. Vetus fuit dubitatio, an qui hac actione egit, sortis obligationem consumat. & tutius est dicere: solutione potius ex hac actione facta liberationem contingere, non litis cõtestatione: quoniam solutio ad vtramque obligationem proficit.

XIX. PAVLVS *lib.* VI. *ad edictum.*

ID quod sub conditione debetur (siue purè, siue certo die cõstituatur) eadẽ cõditione suspẽditur: vt existẽte conditione, teneatur: deficiente, vtraq; actio depereat. sed is, qui purè debet, si sub cõditione constituat: inquit

Pomponius, in hunc vtilem actionem eſſe. Si pater vel dominus conſtituerit ſe ſoluturũ, quod fuit in peculio: nõ minuetur peculiũ, ex quo ex ea cauſſa obſtrictus eſſe cœperit. & licet interierit peculiũ, non tamen liberatur. D

XX. IDEM *lib.* III. *ad Plautium.*

NEc enim quod creſcit aut decreſcit peculium, pertinet ad conſtitutoriam actionem.

XXI. IDEM. *lib.* XX. *ad edictum.*

PRomiſſor Stichi poſt moram ab eo factã, mortuo Sticho, ſi conſtituerit ſe precium eius ſoluturum: tenetur. Si ſine die conſtituas: poteſt quidem dici te nõ teneri, licet verba edicti latè pateant. alioquin & confeſtim agi tecum poterit, ſi ſtatim, vt conſtituiſti, non ſoluas. ſed modicum tempus ſtatuendum eſt (non minus decem dierum) vt exactio celebretur. Conſtituto ſatis non facit, qui ſoluturum ſe conſtituit, ſcilicet ſi offerat ſatiſdationem. Si quis autem cõſtituat ſe ſatisfacturum, & fideiuſſorem, vel pignora det: non tenetur: quia nihil intereſt, quemadmodum ſatisfaciat. E

Conſtitutum ab hærede debet transferri ad eum ad quem hæreditas ex poſtfacto peruenit. Bartolus.

XXII. IDEM *lib.* VII. *breuis edicti.*

SI poſt conſtitutam tibi pecuniam, hæreditatem ex ſenatuſconſulto Trebelliano reſtitueris: quoniam ſortis petitionem tranſtuliſti ad alium, deneganda eſt tibi pecuniæ conſtitutæ actio. idem eſt in hæreditatis poſſeſſore poſt euictam hæreditatem. ſed magis eſt, vt fideicommiſſario, vel ei, qui euicit, decernenda ſit actio. F

XXIII. IVLIANVS *lib.* XI. *Digeſtorum.*

PRomiſſor hominis homine mortuo, cũ per eum ſtaret, quò minus traderetur: & ſi hominem daturum ſe conſtituerit, de conſtituta pecunia tenebitur, vt precium eius ſoluat.

In iis, quæ per epiſtolam poſſunt geri, per eam inducitur obligatio. Bartolus.

XXIIII. MARCELLVS *lib. ſingulari Reſponſorũ.*

TItius Scio epiſtolam emiſit in hæc verba. Remanſerunt apud me quinquaginta ex credito tuo, ex contractu pupillorũ meorũ, quos tibi reddere debebo Idibus

bus Maij probos. quod si tibi ad diem supra scriptũ non
A dedero: tunc dare debebo vsuras tot. Quæro, an Lucius Titius in locum pupillorũ ad cautionem reus successerit? Marcellus respondit, si intercesserit stipulatio, successisse. Item quæro, an si non successisset, de constituta teneatur? Marcellus respõdit, in sortem teneri. est enim humanior & vtilior ista interpretatio.

Qui constituit se soluturum vnam ex rebus alternatiuè debitis, alteram soluendo non liberatur. Bartolus.

XXV. PAPINIANVS *lib.* VIII. *Quæstionum.*

ILlud aut illud debuit, & cõstituit alterũ. an vel alterũ, quod nõ constituit, soluere possit: quæsitũ est? dixi nõ esse audiendũ, si velit hodie fidẽ constitutæ rei frangere.

B Si iureiurando delato, deberi tibi iuraueris: cùm habeas eo nomine actionem, rectè de constituta agis. sed & si non vltrò detulero iusiurandũ, sed referendi necessitate compulsus, id fecero: quia nemo dubitat modestius facere, qui referat, quàm qui ipse iuret: nulla distinctio adhibetur, tametsi ob tuam facilitatem ac meam verecundiã subsecuta sit referendi necessitas.

Constitutum potest fieri per epistolam. Bartolus.

XXVI. SCAEVOLA *lib.* I. *Responsorum.*

QVidam ad creditorem literas eiusmodi fecit. Decẽ, quæ Lucius Titius ex area tua mutua acceperat (salua ratione vsurarum) domine penes me habes.

C Respondi secundum ea, quæ proponerentur, actione de constituta pecunia eum teneri.

Potest quis constituere pro debitore inuito eo. Item protestatio inhibitoria eius actus ad quem quis est obligatus, nullius est momenti. Bartolus.

XXVII. VLPIANVS *lib.* III. *ad edictum.*

VTrum præsente debitore, an absente cõstituat quis, parui refert. hoc amplius etiã inuito eo cõstituere quem posse, Pomponius libro tricesimoquarto scribit. vnde falsam putat opinionem Labeonis existimantis: si postea, quàm quis constituit pro alio, dominus ei denunciet, ne soluat: in factum exceptionem dandam. nec immerito id Põponius. nã cùm semel sit obligatus, qui constituit: factum debitoris non debet eum excusare.

XXVIII. CAIVS *lib.* V. *ad edictum prouinciale.*

VBi quis pro alio constituit se soluturum: adhuc is, pro quo constituit, obligatus manet. D

Actiones ex delicto possunt in constitutum deduci. Bartolus.

XXIX. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

QVi iniuriarum, vel furti, vel vi bonorum raptorum actione tenetur: & constituendo tenetur.

Per solutionem factam adiecto in constituto qui non erat adiectus in principali, tollitur actio principalis ope exceptionis, non ipso iure. Bartolus.

XXX. IDEM *lib.* II. *Sententiarum.*

SI quis duobus pecuniam constituerit tibi aut Titio: & si stricto iure propria actione constitutæ pecuniæ manet obligatus, si Titio soluerit: tamen per exceptionem adiuuatur. E

Qui constituit se soluturum quod alius debet tanquam ipse deberet, non tenebitur. Bartolus.

XXXI. SCAEVOLA *lib* V. *Digestorum.*

LVcius Titius Seiorum debitor decessit. hi persuaserunt pupillo Mæuio, quòd hæreditas ad eum pertineret: & fecerunt, vt epistolā in eos exponeret, debitorē se esse, quasi hæredē patrui sui confitētem. qui & addidit epistolæ suæ, quòd in rationes suas eadē pecunia peruenisset. quæsitū est, cùm ad Publium Mæuium ex hæreditate Lucij Titij nihil peruenerit: an ex scriptura proposita de cōstituta pecunia cōueniri possit: & an doli exceptione vti possit? respondi. nec ciuilem eo nomine actionem competere: sed nec de cōstituta eum teneri, secundū ea, quæ proponerentur. idem quæsiit, vsurarum nomine, quod ex caussa suprà scripta datū sit, an repeti possit? respondi secundum ea, quæ proponerentur, posse. F

COMMODATI, VEL CONtrà. Titu. VI.

VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

AIt prætor. QVOD QVIS COMMODASSE DICETVR, DE EO IVDICIVM DABO. huius edicti interpretatio nō est difficilis. vnum solūmodo notandum:

dum: quod qui edictũ concepit, cõmodati fecit mentio-
A nem, cũ Pacunnius vtẽdi fecerit mentionẽ. Inter commodatum autẽ & vtẽdum datũ, Labeo quidem ait, tantũ interesse, quantũ inter genus & speciem: cõmodari enim rem mobilem, non etiam soli: vtẽdam dari etiam soli. sed (vt apparet) propriè commodata res dicitur, & quæ soli est, idque Cassius existimat. Viuianus etiam habitationẽ commodari posse ait.

Si commodatum ab initio nullo iure consistit, ex postfacto non reconualescit: secus si saltem iure naturali consistat. Bartolus.

Impuberes cõmodati actiõe nõ tenẽtur, quoniã nec cõsistit cõmodatũ in pupilli personã sine tutoris authoritate: vsq; adeo, vt etiã si pubes factus dolũ aut culpã admiserit, hac actione nõ teneatur, quia ab initio nõ cõstitit.

B II. PAVLVS *lib.* VII. *ad edictum.*

NEc in furiosum commodati actio danda est: sed ad exhibendum aduersus eos dabitur, vt res exhibita vindicetur.

III. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

SEd mihi videtur, si locupletior pupillus factus sit, dãdam vtilem commodati actionem secundum diui Pij rescriptum. Si reddita quidem sit res commodata, sed deterior reddita: nõ videtur reddita, nisi quod interest, præstetur. ꝓpriè enim dicitur res nõ reddita, quæ deterior reddit. In hac actione, sicut in cæteris bonæ fidei
C iudiciis, similiter in litem iurabitur, vt rei iudicãdæ tẽpus, quanti res sit, obseruetur: quamuis in stricti iuris, litis contestatæ tempus, spectetur. Hæres eius, qui commodatum accepit, pro ea parte, qua hæres est, conuenitur: nisi fortè habeat facultatem totius rei restituendæ, nec faciat. tunc enim condẽnatur in solidum, quasi hoc boni iudicis arbitrio conueniat. Si filiofamiliâs seruóve commodatum sit, dumtaxat de peculio agendum erit: cum ipso autem filiofamiliâs etiam directò quis poterit. Sed & si ancillæ vel filiæfamiliâs commodauerit, dumtaxat de peculio agendum. Sed non tantùm ex caussa doli earum personarum pater vel dominus cõdẽnatur: sed & ipsius quoq; domini vel patris fraus dũtaxat venit, vt Iulianus libro vndecimo circa pignorati-

ciam actionem distinguit. Non potest commodari id, quod vsu consumitur: nisi fortè ad pompam, vel ostentationem quis accipiat. D

IIII. CAIVS *lib.* I. *de verborum obligationibus.*

SAepe etiam ad hoc commodantur pecuniæ, vt dicis gratia* numerationis loco intercedant.

Milites quidā ostentionales Lāpridio in Alexan. & Trāquillo imaginarii dicuntur, quòd ostētatiōis gratia titulū haberēt militū, hos Caius dicis gratia, Cic. in Verr. dicis caussa appellat. & Varro lib. de ling. lati.

V. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

SI vt certo loco vel tépore reddatur cómodatum, cóuenit: officio iudicis inest, vt rationem loci vel temporis habeat. Si quis hac actione egerit, & oblatam litis æstimationem susceperit: rem offerentis facit.

In contractibus qui celebrantur gratia dantis tantùm, venit dolus & lata culpa. In iis, qui gratia accipientis tantùm, venit leuis & leuissima. In iis, qui gratia vtriusque, venit lata & leuis: de casu verò fortuito quis non tenetur, nisi conuentio, æstimatio, vel culpa præcesserit, vel aliud inducat. Bartolus. E

Nunc videndum est, quid veniat in commodati actione: vtrum dolus, an & culpa, an verò & omne periculum? & quidem in contractibus interdū solum dolum, interdū & culpam præstamus. dolum in deposito. nam quia nulla vtilitas eius versatur, apud qué deponitur, meritò dolus solus præstatur: nisi fortè & merces accessit. tunc enim (vt est constitutum) & culpa exhibetur. aut si hoc ab initio cóuenit, vt & culpam & periculum præstet is, penes quem deponitur. Sed vbi vtriusq; vtilitas vertitur: vt in empto, in locato, in dote, in pignore, in societate: & dolus & culpa præstatur. Cómodatum autem plerumque solam vtilitatem continet eius, cui commodatur. & ideo verior est Quinti sententia existimantis, & culpam præstandam & diligentiam: & si fortè res æstimata data sit, omne periculum præstandum ab eo, qui æstimationem se præstaturum recepit. Quod verò senectute contigit, vel morbo, vel vi latronum ereptum est, aut si quid simile accidit: dicendum est, nihil eorum esse imputandum ei, qui commodatum accepit: nisi aliqua culpa interueniat. proinde & si incendio, vel ruina aliquid cótigit, vel aliquod damnum fatale: non tenebitur, nisi forte, cùm possit res commodatas saluas facere, suas prætulit. Custodiam planè commodatæ rei etiam diligentem F

gentem debet præstare. Sed an etiam hominis commoda-
A ti custodia prestetur, apud veteres dubitatum est, nam interdum & hominis custodia prestāda est: si vinctus commodatus est, vel etiam eius ætatis, vt custodia indigeret. certè si hoc actū est, vt & custodiam is, qui rogauit, præstet: dicendum erit præstare. Sed interdum & mortis damnum ad eum, qui cōmodatum rogauit, pertinet. nam si tibi equum commodauero, vt ad villam adduceres, tu ad bellum duxeris: commodati teneberis. idem erit & in homine. Planè si sic commodaui, vt ad bellum duceres: meum erit periculum. nam & si seruū tibi tectorem commodauero, & de machina ceciderit: periculum meum esse, Viuianus ait. Sed ego ita hoc verum puto, si tibi com-
B modaui, vt in machina operaretur. cæterùm si vt de plano opus faceret, tu eum imposuisti machinæ: aut si machinæ culpa factum est, minus diligenter non ab ipso ligatæ, vel funium perticarúmque vetustate: dico periculum, quod culpa contigit rogantis commodatum, ipsum præstare debere. nam & Mela scripsit, si seruus lapidario commodatus, sub machina perierit: teneri fabrum commodati, qui negligentius machinam colligarit. Quinimò & qui aliter re commodata vtitur: non solùm commodati, verùm furti quoque tenetur, vt Iulianus libro vndecimo Digestorum scribit. Idémque ait: si tibi codicem commodauero, & in eo chirographarium debitoré tuum
C cauere feceris, egóque interleuero: si quidem ad hoc tibi commodauero, vt caueretur tibi in eo: teneri me tibi contrario iudicio. si minus, neque me certiorasti, chirographum ibi esse scriptum: etiam teneris mihi (inquit) commodati. imò (ait) etiam furti, quoniam aliter re cōmodata vsus es: quéadmodum qui equo (inquit) vel vestimento aliter, quàm cōmodatum est, vtitur: furti tenetur. Vsque adeo autem in re cōmodata diligentia præstanda est, vt etiam in ea, quæ sequitur rem commodatam, præstari debeat. puta equam tibi commodaui, quam pullus comitabatur. etiam pulli custodiam præstari debere, veteres responderunt.

Si commodatum fiat gratia dantis, vel eius contemplatione: commodatarius de solo dolo tenetur. Bartolus.

Interdum planè dolum ſolum in re cōmodata, qui rogauit, præſtabit: vtputa ſi ita conuenit, vel ſi ſua dumtaxat cauſſa commodauit(ſponſæ fortè ſuæ, vel vxori, quò honeſtius culta ad ſe deduceretur) vel ſi quis ludos edés prætor ſcenicis commodauit, vel prætori quis vltrà commodauit. D

Si res data, vt pignoretur, non recolligitur, competentibus actionibus eſt agendum, vel actio debet cedi ſumptibus & periculo ipſius cedentis. Bartolus.

Nunc videndum, in quibus ſpeciebus commodati actio locū habeat. & eſt apud veteres de huiuſmodi ſpeciebus dubitatum. Rem tibi dedi, vt creditori tuo pignori dares. dediſti. non repignoras, vt mihi reddas. Labeo ait, commodati actionem locum habere. Quod ego puto verum eſſe, niſi merces interuenit. tunc enim vel in factum, vel ex locato & conducto agendum erit. Planè ſi ego pro te rem pignori dedero tua voluntate: mandati erit actio. Idem Labeo rectè dicit: ſi à me culpa abſit repignorandi, creditor autem nolit reddere pignus: competere tibi ad hoc dumtaxat commodati, vt tibi actioné aduerſus eum præſtem. Abeſſe autem culpa à me videtur: ſiue iam ſolui pecuniam, ſiue ſoluere ſum paratus. Sumptum planè litis, cæteráque, æquum eſt eum agnoſcere, qui commodatum accepit. Si me rogaueris, vt ſeruum tibi cum lance cōmodarem, & ſeruus lancem perdiderit: *periculum ad te reſpicere. nam & lancé videri commodatam. quare culpã in eam quoque præſtandã. planè ſi ſeruus cum ea fugerit: eum, qui commodatum accepit, non teneri: niſi fugæ præſtitit culpam. Si de me petiſſes, vt triclinium tibi ſternerem, & argentum ad miniſterium præberem, & fecero: deinde petiſſes, vt idem ſequenti die facerem, & cùm commodè argentum domum referre non poſſem, ibi hoc reliquero, & perierit: qua actione agi poſſet, & cuius eſſet periculum? Labeo de periculo ſcripſit: multum intereſſe, cuſtodem poſui, an non. ſi poſui: ad me periculū ſpectare. ſi minus: ad eum, penes quem relictum eſt. ego puto commodati quidem agédum: verùm cuſtodiam eum præſtare debere, penes quem res relictæ ſunt: niſi aliud nominatim conuenit. E F

**Cartili' ait, peri. additur in Florent.*

In obli-

In obligatione primitiua, quæ ad rei restitutionem contrahitur,
A *quilibet tenetur pro parte, quia insolidũ ad eos peruenire non potest. In obligatione verò secũdaria, quæ contrahitur ratione doli vel culpæ, quilibet tenetur insolidum: quia pro parte non potest delinqui: & si agit contra vnum ex facto alterius, ei actio cedi debet: quia si contra istum ageretur, actio pro rata tolleretur. Bartolus.*

Si duobus vehiculum commodatum sit, vel locatum simul: Celsus filius scribit libro sexto Digestorum, quæri posse vtrum vnusquisque eorum in solidũ, an pro parte teneatur? & ait. duorum quidem insolidum dominium vel possessionem esse non posse: nec quenquã partis corporis dominum esse, sed totius corporis pro indiuiso pro parte dominium habere. vsum autem balinei qui-
B dem, vel porticus, vel campi vnius cuiusque in solidum esse (neq; enim minus me vti, quod & alius vteretur) verùm in vehiculo commodato vel locato pro parte quidẽ effectu me vsum habere, quia non omnia loca vehiculi teneam: sed esse verius ait, & dolum, & culpam, & diligentiam, & custodiam in totũ me præstare debere. quare duo quodam modo rei habebũtur. Et si alter conuentus præstiterit, liberabit alterũ: & ambobus competet furti actio.

VI. POMPONIVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

ET alterutro agente, alterius actio contra furem tolletur.

VII. VLPIANVS *lib.* XXVIII *ad edictum.*

C VNde quæritur, si alter furti egerit, an ipse solus debeat cõmodati conueniri? & ait Celsus: si alter cõueniatur, qui furti non egit, & paratus sit periculo suo cõueniri alterum, qui furti agendo lucrũ sensit ex re cõmodata: debere eum audiri, & absolui. Sed & si legis Aquiliæ aduersus socium eius habuit commodator actionem: videndum erit, ne cedere debeat: si fortè damnum dederit alter, quod hic, qui conuenitur, commodati actione sarcire compellitur. nam etsi aduersus eum habuit Aquiliæ actionem commodator: æquissimum est, vt commodati agendo, remittat actionem. nisi fortè quis dixerit: agendo eum ex lege Aquilia hoc minus consecuturum, quàm ex caussa commodati consecutus est. quod videtur habere rationem.

VIII. POM-

VIII. POMPONIVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

REi commodatæ & proprietatem & possessionem retinemus. D

IX. VLPIANVS *lib.* II. *ad edictum.*

NEmo enim cõmodando rem facit eius, cui cõmodat.

X. IDEM *lib.* XXIX. *ad Sabinum.*

EVm, qui rem commodatam accepit, si in eam rem vsus est, in quam accepit: nihil præstare, si eam in nulla parte culpa sua deteriorem fecit, verum est. Nam si culpa fecit deteriorem: tenebitur.

Contractus innominati iudicantur secundum naturã contractus nominati, cui adijciuntur. Bartolus.

Si rem inspectori dedi: an similis sit ei, cui commodata res est, quæritur? & siquidem mea caussa dedi, dum volo precium exquirere: dolum mihi præstabit tantũ. si sua: etiam custodiam. & ideo furti habebit actionem. Sed & si, dum refertur, periit: siquidem ego mandauerã, per quem remitteret periculũ meũ erit. Si verò ipse, cui voluit, cõmisit: æquè mihi culpam præstabit, si sua caussa accepit. E

XI. PAVLVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

QVi non tam idoneum hominem elegit, vt rectè id perferri posset.

XII. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad Sabinum.*

SI mea caussa: dolum tantum. Commodatam rem missus qui repeteret, cùm recepisset, aufugit. si dominus ei dari iusserat: domino periit. Si commonendi caussa miserat, vt referretur res commodata: ei, cui cõmodata est. F

XIII. POMPONIVS *lib.* XI. *ad Sabinum.*

SI is, qui commodatum accepit, non apparentis rei nomine cõmodati condemnetur: cauendum est ei, vt repertam dominus ei præstet.

Ad eum ad quem res non pertinet, commodum non spectabit. B.

Si quem quæstum fecerit is, qui experiundũ quid accepit: veluti si iuméta fuerint, eáque locata sint: idipsum præstabit ei, qui experiũdum dedit. neque enim ante eam rem quæstui cuique esse oportet, quàm periculo eius sit.

Error in iure consecutiuo non impedit actionem oriri ex contractu, sicut nec error in iure vel in facto antecedente impedit cõdictionem oriri extra id quod agitur. Bartolus.

Si li-

Si libero homini, qui mihi bona fide seruiebat, quasi
A seruo rem commodauero: videamus, an habeam commodati actionem. nam & Celsus filius aiebat: si iussissem, vt aliquid faceret: vel mandati cum eo, vel præscriptis verbis experiri me posse. idem & in commodato erit dicendum. nec obstat, quod non hac méte cum eo, qui liber bona fide nobis seruiret, contraheremus, quasi eum obligatum habituri. plerunque enim accidit, vt extra id, quod agitur, tacita obligatio nascatur: veluti cùm per errorem indebitum soluendi caussa datur.

Ex eodem facto duæ actiones contrariæ possunt oriri diuersis respectibus. Bartolus.

B XIIII. VLPIANVS *lib.* XLVIII. *ad Sabinum.*

SI seruus meus rem meã tibi, scienti nôlle me tibi commodari, commodauerit: & commodati, & furti nascitur actio, & præterea condictio ex caussa furtiua.

XV. PAVLVS *lib.* XXXIX. *ad edictum.*

COmmodare possumus etiam alienã rem, quam possidemus: tametsi scientes alienam possideamus.

XVI. MARCELLVS *lib.* V. *Digestorum.*

ITa vt vel fur, vel prædo, si commodauerit, habeat commodati actionem.

XVII. PAVLVS *lib.* XXXIX. *ad edictum.*

IN commodato pactio, ne dolus præstetur, rata non est. Contraria cõmodati actio etiam sine principali mo
C ueri potest: sicut & cæteræ, quæ dicuntur contrariæ.

Si ex facto hæredis agatur commodati: in solidũ condemnatur, licet ex parte hæres est.

Si commodãs non patitur commodatarium vti re ad eum vsum, ad quem est commodata: cõtraria commodati tenetur. h.d. Bartolus.

Sicut autem voluntatis & officij magis, quàm necessitatis est commodare: ita modum cõmodati finémq; præscribere, eius est, qui beneficium tribuit. cùm autem id fecit, id est, postquàm commodauit: tunc finem præscribere, & retro agere, atque intépestiuè vsum cómodatæ rei auferre: non officiũ tantùm impedit, sed & suscepta inter dandum accipiendúmq; obligatio. geritur enim negociũ inuicem. & ideo inuicem propositę sunt actiones: vt adpareat, quod in principio beneficij ac nudę voluntatis fuerat,

rat,

rat, cõuerti in mutuas præſtationes, actionesq́ue ciuiles: vt accidit in eo, qui abſentis negocia gerere inchoauit, neque impunè peritura deſerit. ſuſcepiſſet enim fortaſſis alius, ſi is non cœpiſſet. voluntatis eſt enim ſuſcipere mãdatum, neceſſitatis eſt conſummare. Igitur ſi pugillares mihi commodaſti, vt debitor mihi caueret: non rectè facies, importunè repetendo. nam ſi negaſſes: vel emiſſem vel teſtes adhibuiſſem. idemq́ue, & ſi ad fulciendam inſulam tigna commodaſti. deinde ſubtraxiſti, aut etiam ſciés vicioſa commodaſti: adiuuari quippè nos, non decipi beneficio oportet. ex quibus cauſſis etiam contrarium iudicium vtile erit dicendũ. Duabus rebus commodatis, rectè de altera commodati agi poſſe, Viuianus ſcripſit. quod ita videri verum, ſi ſeparatæ ſint, Pomponius ſcripſit. nam eũm, qui carucham puta, vel lecticam commodauit: non rectè acturum de ſingulis partibus. Rẽ cõmodatam perdidi, & pro eo precium dedi. deinde res in poteſtatem tuam venit. Labeo ait cõtrario iudicio, aut rẽ mihi præſtare te debere, aut quod à me accepiſti, reddere. D E

Commodatarius tenetur de leuiſſima culpa, ſi ipſius gratia fuerit commodatum: non de caſu, niſi culpa præcedat. ſed ſi vtriuſque gratia fuerit commodatum: tenetur ſolum de dolo & leui. Bar.

XVIII. CAIVS *lib.* IX. *ad edictum prouinciale.*

IN rebus commodatis talis diligentia præſtanda eſt, qualem quiſque diligẽtiſſimus paterfamiliâs ſuis rebus adhibet: ita vt tamen eos caſus non præſtet, quibus reſiſti non poſſit: veluti morteis ſeruorum, quæ ſine dolo & culpa eius accidunt, latronum hoſtiúmve incurſus, piratarum inſidias, naufragium, incendium, fugas ſeruorum, qui cuſtodiri nõ ſolent. quod autem de latronibus, & piratis, & naufragio diximus: ita ſcilicet accipiemus, ſi in hoc commodata ſit alicui res, vt eam rem peregre ſecũ ferat. alioquin ſi cui ideo argentum cõmodauerim, quod is amicos ad cœnam inuitaturum ſe diceret, & id peregre ſecum portauerit: ſine vlla dubitatione etiam piratarum, & latronum, & naufragij caſum præſtare debet. hæc ita, ſi dumtaxat accipientis gratia commodata ſit res. at ſi vtriuſque: veluti ſi communem amicum ad cœnam inuitauerimus, F

tauerimus, tuque eius rei curam suscepisses, & ego tibi
A argentum commodauerim: scriptum quidem apud quosdam inuenio, quasi dolum tantum præstare debeas. Sed videndum est, ne & culpa præstanda sit: vt ita culpæ fiat æstimatio, sicut in rebus pignori datis, & dotalibus æstimari solet. Siue autem pignus, siue commodata res, siue deposita deterior ab eo, qui acceperit, facta sit: non solùm istæ sunt actiones, de quibus loquimur, verùm etiam legis Aquiliæ. sed si qua earum actum fuerit, aliæ tollũtur. Possunt iustæ caussæ interuenire, ex quibus cum eo, qui commodasset, agi deberet: veluti de impẽsis in valetudinem serui factis, quæúe post fugam requirendi, reducendique eius caussa factæ essent. nam cibariorum im-
B pensæ naturali etiam ratione ad eum pertinent, qui vtendum accepisset. Sed id, quod de impensis valetudinis aut fugæ diximus: ad maiores impensas pertinere debet. modica enim impendia verius est, vt sicuti cibariorum, ad eundem pertineāt. Item qui sciens vasa viciosa cõmodauit: si infusum ibi vinum, vel oleum corruptum, effusumúe est: condemnandus eo nomine est.

Quod potest contrario iudicio peti, potest in compensationem deduci. Bart.

Et si quod cõtrario iudicio consequi quisque potest, id etiam recto iudicio, quod cũ eo agitur, potest saluum habere iure pensationis: sed quia fieri potest, vt amplius
C sit, quod inuicem aliquem consequi oporteat, aut iudex pensationis rationem non habeat, aut ideo de restituenda re cum eo non agatur, quia ea res casu intercidit, aut sine iudice restituta est: dicemus necessariam esse contrariam actionem.

XIX. IVLIANVS *lib.* LI. *Digestorum.*

AD eos, qui seruandum aliquid conducunt, aut vtendum accipiunt: damnum iniuria ab alio datum non pertinere, proculdubio est. qua enim cura aut diligentia consequi possumus, ne quis damnum nobis iniuria det?

XX. IDEM *lib.* III. *ad Vrseium Feroçem.*

ARgentum commodatum, si tam idoneo seruo meo tradidissem ad te perferendũ, vt non debuerit quis existimare futurum, vt à quibusdam malis hominibus deciperetur:

peretur: tuum, non meum detrimentum erit, si id mali homines intercepissent. D

Postquam quis est condemnatus commodati directa, potest agere commodati contraria. Bar.

XXI. AFRICANVS *lib.* IX. *Quæstionum.*

REm mihi commodasti, eandem subripuisti. deinde cùm commodati ageres, nec à te scirem esse subreptam: iudex me condemnauit, & solui. postea comperi à te esse subreptam. quæsitum est, quæ mihi tecum actio sit? respondi, furti quidem non esse, sed commodati contrarium iudicium vtile mihi fore.

Dolus serui non præiudicat commodanti, licet pro eo noxaliter teneatur. Bar. E

In exercitu contubernalibus vasa vtenda communi periculo dedi, ac deinde meus seruus subreptis his ad hostes fugit, & postea sine vasis receptus est. habiturum me commodati actionem cum contubernalibus constat pro cuiusque parte. sed & illi mecum furti nomine serui agere possunt, quando & noxa caput sequitur. Et si tibi rem periculo tuo vtendam commodauero, eaque à seruo meo subripiatur: agere mecum furti posses serui nomine.

De furto facto per seruum commodatum, commodans tenetur noxaliter tantùm, si fuit ignorans. sed si sciens, tenetur insolidum.

XXII. PAVLVS *lib.* XXII. *ad edictum.* F

SI seruus, quem tibi commodauerim, furtũ fecit: vtrũ sufficiat contraria commodati actio, quemadmodum competit, si quid in curationem serui impendisti: an furti agendum sit, quæritur? & furti quidem noxalem habere eum, qui commodatum rogauit, proculdubio est: contraria autem commodati tunc eum teneri, cùm sciens talem esse seruum, ignoranti commodauit.

XXIII. POMPONIVS *lib.* XX X. *ad Sabinum.*

SI commodauero tibi equum, quo vtereris vsque ad certum locum: si nulla tua culpa interueniente, in ipso itinere deterior equus factus sit: non teneris commodati. nam ego in culpa ero, qui in tam longum iter equũ commodarim, qui eum laborem sustinere non potuit.

De pi-

A DE PIGNERATICIA ACTIONE, uel contrà. Tit. VII.

Pignus nudo consensu contrahitur, etiam si alia res tradatur: & error in materia, pignoris constitutionem non impedit. Bar.

I. VLPIANVS *lib.* XX. *ad Sabinum.*

PIgnus contrahitur non solùm traditione, sed etiam nuda conuentione, & si traditum nõ est. si igitur contractum sit pignus nuda conuentione: videamus, si quis aurũ ostenderit, quasi pignori daturus, & æs dederit: an obligauit aurum pignori: & consequens est, vt aurum obligetur, nõ autem æs: quia in hoc non consenserunt. Si quis tamen B cùm æs pignori daret, adfirmauit hoc aurum esse, & ita pignori dedit: videndum erit, an æs pignori obligauit: & nunquid, quia in corpore consensum est, pignori esse videatur. quod magis est. tenebitur tamen & pignoraticia cõtraria actione, qui dedit: præter* stellionatũ, quẽ fecit. *i. vsura.

Secundus creditor ex conuentione debitoris non potest in ius creditoris succedere post pignus venditum. Bar.

II. POMPONIVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

SI rem pignori datam vendidit & tradidit: tuque ei nũmos credidisti, quos ille soluit ei creditori, cui pign⁹ dederat: tibique cum eo cõuẽnit, vt ea res, quam iam vẽdiderat, pignori tibi esset: nihil te egisse constat, qui rem C alienam pignori acceperis. ea enim rationẽ emptorem pignus liberatum habere cœpisse. neque ad rem pertinuisse, quod tua pecunia pignus sit liberatum.

III. IDEM *lib.* XIX. *ad edictum.*

SI quasi recepturus à debitore tuo cominus pecuniam, reddidisti ei pignus: isque per fenestram demisit, excepturo eo, quem de industria ad id posuerat: Labeo ait, furti te agere cum debitore posse, & ad exhibendum: & si agente pignoraticia cõtraria, excipiat debitor de pignore sibi reddito: replicabitur de dolo & fraude, per quam neć redditum, sed per fallaciam ablatum id intelligitur.

Pignus potest vendi si est actum vel nihil est dictum: sed si agatur quod non vendatur, trina denunciatione præmissa vendi potest. aliàs secus. Bar.

IIII.

IIII. VLPIANVS *lib.* XLI. *ad Sabinum.*

SI conuenerit de diſtrahendo pignore (ſiue ab initio, ſiue poſtea) non tantùm venditio valet, verùm incipit emptor dominium rei habere. ſed & ſi non conuenerit de diſtrahendo pignore: hoc tamen iure vtimur, vt liceat diſtrahere: ſi modò non conuenit, ne liceat. vbi verò conuenit, ne diſtraheretur: creditor, ſi diſtraxerit, furti obligatur: niſi ei ter fuerit denunciatum, vt ſoluat, & ceſſauerit. D

V. POMPONIVS *lib.* XIX. *ad Sabinum.*

IDque iuris eſt: ſiue omnino fuerint pacti, ne veneat: ſiue in ſumma, aut conditione, aut loco contra pactionem factum ſit.

Creditor non poteſt vendere pignus, ſed cogitur venditori oſtendere vel debitori, vt vendatur ſi ſibi idoneè caueatur. Bar. E

VI. IDEM *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

QVamuis conuenerit, vt fundum pignoraticium vẽdere tibi liceret: tamen nihilomagis cogendus es vendere, licet ſoluendo non ſit is, qui pignus dedit: quia tua cauſſa id caueatur. Sed Atilicinus ex cauſſa cogendum creditorem eſſe ad vendendum dicit. quid enim ſi multò minus ſit, quod debeatur: & hodie pluris venire poſſit pignus, quàm poſtea? melius autem eſt dici, eum, qui dedit, pignus poſſe vendere: & accepta pecunia ſoluere id, quod debeatur. ita tamen, vt creditor neceſſitatem habeat, oſtẽdere rẽ pignoratam, ſi mobilis ſit: prius idonea cautela à debitore pro indemnitate ei præſtanda. inuitum enim creditorem cogi vendere ſatis inhumanũ eſt. Si creditor pluris fundum pignoratum vendiderit, & id fœneret: vſuras eius pecuniæ præſtare debet ei, qui dedit pignus. Sed & ſi ipſe vſus ſit ea pecunia: vſuras præſtare oportet. quod ſi eam depoſitam habuerit: vſuras non debet. F

VII. PAVLVS *lib.* II. *Sententiarum.*

SI autem tardius ſuperfluum reſtituat creditor, quod apud eum depoſitũ eſt: ex mora vſuras debitori hoc nomine præſtare cogendus eſt.

VIII. POMPONIVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

SI neceſſarias impenſas fecerim in ſeruum, aut in fundum,

dum, quem pignoris caussa acceperam: non tantùm retẽtionem, sed etiam contrariam pignoraticiam actionẽ habebo. A finge enim medicis, cùm ægrotaret seruus, dedisse me pecuniam, & eum decessisse. Item insulam fulcisse vel refecisse, & postea deustam esse: nec habere, quod possem retinere.

Si creditor vendit, & de euictione promisit, ei debet à debitore de indemnitate caueri. Bar.

Si pignori plura mancipia data sint, & quædam certo precio ita vendiderit creditor, vt euictionem eorũ præstaret, & creditum suum habeat: & reliqua mancipia potest retinere, donec ei caueatur, quod euictionis nomine promiserit, indemnem eum futurum. Si vnus ex hæredibus B debitoris portionem suam soluerit: tamen tota res pignori data venire poterit, quemadmodum si ipse debitor portionem soluisset.

Vniuersalis negatiua non potest dici falsa, antequam in quolibet particulari sit possibile. Item oratio vniuersalis si in vno est falsa, in toto dicitur falsa. Itẽ oratio distributiua verificatur in quolibet particulari distributorum. Item indefinita æquipollet vniuersali. Bar.

Si annua, * bima, trima die stipulatus, acceperim pignus: pactusque sim, vt nisi sua quaque die pecunia soluta esset, vẽdere eam mihi rem liceret: placet antè, quàm omnium pensionum dies veniat, nõ posse me pignus vẽdere: quia eis verbis omnes pensiones demõstrentur. nec C verum est, sua quaque die non solutam pecuniam, antè q̃ omnes dies veniant. Sed omnibus pensionibus præteritis, etiam si vna portio soluta non sit, pignus potest venire. sed si ita scriptũ sit, SI QVA PECVNIA SVA DIE SOLVTA NON ERIT: statim competit ei pacti conuentio.

*In hunc locũ Valla li. 4. eleg.

Pactum de vendendo in dubio non intelligitur personale Bar.

De vendendo pignore in rem pactio concipienda est, vt omnes contineantur. Sed, & si creditoris dũtaxat persona fuerit comprehensa: etiam hæres eius iure vendet, si nihil in contrarium actum sit. Cũ pignus ex pactione venire potest: non solùm ob sortem non solutam venire poterit, sed ob cætera quoque, veluti vsuras, & quæ in id impensa sunt.

Aa *Creditori*

Creditori decepto per contrariam pignoraticiam succurritur cōtra debitorem.Bar.

IX. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

SI rem alienam mihi debitor pignori dederit, aut maliciosè in pignore versatus sit: dicendum est, locum habere contrarium iudicium. Nō tantùm autem ob pecuniam, sed & ob aliam caussam pignus dari potest: veluti si quis pignus alicui dederit, vt pro se fide iubeat. D

*In hanc differētiā vide Vallā li. 6. elegan.

Propriè *pignus dicimus, quod ad creditorem transit. hypothecam, cùm non transit, nec possessio ad creditorē.

Pignoraticia directa cōtrahitur, cùm est creditori soluta pecunia, vel aliter satisfactum.Bar.

Omnis pecunia exsoluta esse debet, aut eo nomine satisfactum, vt nascatur pignoraticia actio. satisfactum autem accipimus, quemadmodum voluit creditor, licet nō sit solutum. siue enim aliis pignoribus sibi caueri voluit, vt ab hoc recedat, siue fideiussoribus, siue reo dato, siue precio aliquo, vel nuda conuentione, nascitur pignoraticia actio. Et generaliter dicendum erit, quoties recedere voluit creditor à pignore: videri ei satisfactum, si is, vt ipse voluit, sibi cauit: licet in hoc deceptus sit. Is quoque, qui rem alienam pignori dedit, soluta pecunia solet pignoraticia experiri. E

Quando ius intentatum superuenit pendente iudicio, ex caussa de praeterito potest sequi condemnatio.Bar.

Qui ante solutionem egit pignoraticia: licet non rectè agit: tamen si offerat in iudicio pecuniam, debet rem pignoratam, & quod sua interest, consequi. F

X. CAIVS *lib.* VIII. *ad edictum prouinciale.*

QVod si non soluere, sed alia ratione satisfacere paratus est, fortè si expromissorem dare vult: nihil ei prodest.

Nouatio necessaria non perimit pignus, secus in voluntaria, nisi contrarium actum sit.Bar.

XI. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

SOlutum non videtur, si lis contestata cū debitore sit de ipso debito, vel si fideiussor conuentus sit. nouata autem debiti obligatio pignus perimit: nisi conuenit, vt pignus repetatur.

Pignoraticia

Pignoraticia potest agi, si principalis obligatio non proficiscitur, vel si profecta tollatur acceptilatione vel pacto. Bar.

A Si quasi daturus tibi pecuniam, pignus accepero, nec dedero: pignoraticia actione tenebor, & nulla solutione facta. idemque & si acceptò lata sit pecunia, vel conditio defecerit, ob quam pignus contractum est: vel si pactum, cui standum est, de pecunia non petenda factum est.

Pignoraticia potest agi, si id est solutum pro quo tantum fuit pignus obligatum. Bar.

Si in sortem dumtaxat, vel in vsuras obstrictum est pignus: eo soluto, propter quod obligatum est, locũ habet pignoraticia. Siue autem vsuræ in stipulatum deductæ sunt, siue nõ: si tamen pignus & in eas obligatum fuerit:
B quàm diu quid ex his debetur, pignoraticia cessabit. alia caussa est earum, quas quis supra licitum modum promisit. nã hæ penitus illicitæ sunt. Si creditori plures hæredes exstiterint, & vni ex his pars eius soluatur: non debét cæteri hæredes creditoris iniuria adfici: sed possunt totum fundum vendere, oblato debitori eo, quod cohæredi eorum soluit. quæ sententia non est fine ratione.

Pignoraticia nascitur, si soluatur creditori, vel alteri pro eo legitimè recipienti, vel creditori creditoris. Item *inuecta & illata per secundum conductorem tenentur pro pensione ipsius secundæ conductionis tantummodo, & non vltrà.* Bar.

Solutam pecuniam accipiendum, nõ solum si ipsi, cui
C obligata res est: sed & si alij sit soluta volũtate eius, vel ei, cui hæres exstitit, vel procuratori eius, vel seruo pecuniis exigendis præposito. Vnde si domum cõduxeris, & eius partem mihi locaueris, egoque locatori tuo pensionem soluero: pignoraticia aduersus te potero experiri. nam Iulianus scribit, solui ei posse. & si partem tibi, partem ei soluero: tantumdem erit dicendum. planè in eã dumtaxat summam inuecta in ea & illata tenebuntur, in quam cœnaculum conduxi. non enim credibile est hoc conuenisse, vt ad vniuersam pensionẽ insulæ friuola mea teneantur. videtur autem tacitè & cum domino ædium hoc conuenisse: vt non pactio cœnacularij proficiat domino, sed sua propria.

Per liberam personam non adquiritur nobis actio siue obligatio

pignoris, licet eius possessio adquiri possit. Bar.

Per liberam autem personam pignoris obligatio nobis non adquiritur: adeo, vt nec per procuratorem plerumque, nec tutorem adquiratur. & ideo ipsi actione pignoraticia conuenientur. sed nec mutat, quod constitutum est ab Imperatore nostro, posse per liberam personam possessionem adquiri. nam hoc eò pertinebit, vt possimus quidem pignoris nobis obligati possessionem per procuratorem, vel tutorem adprehendere: ipsam autem obligationem libera persona nobis non semper adquiret. Sed si procurator meus, vel tutor rem pignori dederit: ipse agere pignoraticia poterit. quod in procuratore ita procedit, si mandatum fuit, vt pignori daret. D

XII. CAIVS *lib.* XI. *ad edictum prouinciale.* E

VEl vniuersorum bonorum administratio ei permissa est ab eo, qui sub pignoribus solebat mutuas pecunias accipere.

Ex pacto creditoris vendentis potest debitor agere vel petere vt sibi cedatur actio. Bar.

XIII. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

SI cùm venderet creditor pignus, conuenit inter ipsum & emptorem, vt si solueret debitor pecuniã precij emptori, liceret ei recipere rem suam: scripsit Iulianus, & est rescriptum, ob hanc conuentionem pignoratitiis actionibus teneri creditorem, vt debitori mandet ex vendito actionem aduersus emptorem. sed & ipse debitor, aut vindicare rem poterit, aut in factum actione aduersus emptorem agere. Venit autem in hanc actionem & dolus & culpa, vt in commodato. venit & custodia, vis maior non venit. F

XIIII. PAVLVS *lib.* XXIX. *ad Sabinum.*

EA igitur, quæ diligens paterfamiliâs in suis rebus præstare solet, à creditore exiguntur.

Creditor cùm reddit pignus, debet cauere de suo dato & facto & neglecto. Bar.

XV. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

CReditor cùm pignus reddit, de dolo debet debitori repromittere. & si prædium pignoratum est, etiam de iure eius repromittendum: ne fortè seruitutes, cessante vti

te vti creditore, amissæ sint.

A XVI. PAVLVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

TVtor, lege non refragante, si dederit rem pupilli pignori: tuendum erit, scilicet si in rem pupilli pecuniam accipiat. idem in curatore adolescentis, vel furiosi.

Si creditor decipiatur in pignore dolo, vel culpa debitoris, habet contrariam pignoraticiam ad interesse. poterit etiam stellionatus crimine accusari, si dolus interuenerit Bar.

Contrariam creditori pignoraticiam actionem competere, certum est. proinde si rem alienam, vel alij pignoratam, vel in publicum obligatam dedit: tenebitur, quãuis & stellionatus crimen committat. Sed vtrum ita demum, si scit: an & si ignorat? & quantum ad crimen pertinet, excusat ignorantia. quantum ad contrarium iudiciũ, ignorantia non excusat, vt Marcellus lib. sexto Digestorum scribit. sed si sciens creditor accipiat vel alienum, vel obligatum, vel morbosum: contrarium ei non competit. Etiam vectigale prædium pignori dari potest. Sed & superficiarium: quia hodie vtiles actiones superficiariis dantur.

B

XVII. MARTIANVS *lib. singulari ad formulam hypothecariam.*

SAne diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, vt sine deminutione mercedis soli obligaretur.

Nomen debitoris potest pignori obligari. & quod inde redigitur vel compensatur, vel pro pignore tenetur. Bar.

XVIII. PAVLVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

SI cõuenerit, vt nomen debitoris mei pignori tibi sit: tuenda est à prætore hæc conuentio: vt & te in exigẽda pecunia, & debitorem aduersus me (si cum eo experiar) tueatur. ergo si id nomen pecuniarium fuerit: exactam pecuniam tecum pensabit. si verò corporis alicuius: id quod acceperis, erit tibi pignoris loco. Si nuda proprietas pignori data sit: vsusfructus, qui postea adcreuit, pignori cedit. eadẽ caussa est alluuionis. Si fundus pignoratus venierit, manere caussam pignoris constitit: quia cum sua caussa fundus transeat, sicut in partu ancillæ, qui post venditionem natus sit. Si quis caue-

 rit, vt

rit,vt sylua sibi pignori esset:nauem ex ea materia factam non esse pignori,Cassius ait:quia aliud sit materia, aliud nauis.& ideo nominatim in dando pignore adiiciendum esse ait,QVAEQVE EX SYLVA FACTA NATA SINT. Seruus rem peculiarem si pignori dederit:tuẽdum est,si liberam peculij administrationẽ habuit. nã & alienare eas res potuit. D

XIX. MARTIANVS *lib. singulari ad hypothecariam formulam.*

EAdem & de filiofamiliâs dicta intelligimus.

XX. PAVLVS *lib.* XXIX.*ad edictum.*

ALiena res pignori dari voluntate domini potest.Sed & si ignorante eo data sit,& ratum habuerit; pignus valebit. E

Qui pares sunt in tempore,sunt pares in iure.Bar.

Si pluribus res simul pignori detur,æqualis omnium caussa est. Si per creditorem stetit,quò minus ei soluatur:rectè agitur pignoraticia. Interdũ & si soluta sit pecunia, tamen pignoraticia actio inhibenda est: veluti si creditor pignus suum emerit à debitore.

XXI. IDEM *lib.* VI.*breuis edicti.*

DOmo pignori data, & area eius tenebitur. est enim pars eius,& contrà, ius soli sequitur ædificium.

*Quod creditor consecutus est ab alio nomine pœnæ delicti circa rem commissi,computatur in debitum, vel debitori restituitur. secus si ab ipso debitore pœnæ nomine exigatur.*Bar. F

XXII. VLPIANVS *lib.* XXVIII.*ad edictum.*

SI pignore subrepto furti egerit creditor: totũ, quidquid percepit, debito imputari Papinianus confitetur,& est verum: etiam si culpa creditoris furtum sit factum.multò magis hoc erit dicendum in eo,quod ex cõdictione consecutus est. Sed quod ipse debitor furti actione præstitit creditori,vel condictione: an debito sit imputandum,videamus.& quidem non oportere restitui id ei,quod ipse ex furti actione præstitit,peræquè relatũ est,& traditum.& ita Papinianus libro octauo Quæstionum ait.Idem etsi metus caussa seruũ pignoratũ debitori tradiderit,quem bona fide pignori acceperat. nam si egerit, quod metus caussa factum est, & quadruplum sit consecu-

consecutus: neque restituet ex eo, quod consecutus est,
A nec debito imputabit. Si prædo rem pignori dederit: competit ei & de fructibus pignoraticia actio, quamuis ipse fructus suos nõ facit. à prædone enim fructus & vindicari exstantes possunt, & consumpti condici. proderit igitur ei, qđ creditor bona fide possessor fuit. Si post distractum pignus debitor, qui præcariò rogauit, vel conduxit, pignoris possessionem non restituat: contrario iudicio tenetur.

Si creditor vendens pignus promittit duplum ex consuetudine, vel aliter vtiliter gesserit: quod hoc nomine præstiterit, contrario iudicio repetit. aliàs non vltra debiti summam. Item *si ex stipulatione de euictione duplum præstiterit, sortem & vsuras cõsequetur. si simplum, sortem tantummodo. Bartolus.*
B

Si creditor, cùm venderet pignus, duplam promisit: (nam vsu hoc euenerit) conuentus ob euictionem & condemnatus, an habeat regressum pignoraticiæ cõtrariæ actionis? & potest dici, esse regressum: si modò sine dolo & culpa sic vendidit, & vt paterfamiliâs diligens id gessit. si verò nullum emolumentum talis venditio attulit, sed tanti vendidit, quanti vendere potuit: etiam si hæc non promisit, regressum non habere.

XXIII. TRIPHONINVS *lib.* VIII. *Disputationũ.*

NEc enĩ amplius à debitore, q̃ debiti summa est, cõsequi poterit. Sed si stipulatus vsuras fuerat, & post
C quinquennium fortè, quàm precium ex re obligata consecutus est, victus eam emptori restituat: etiam medij tẽporis vsuras à debitore petere potest: quia nihil ei solutum esse pro euictione, vt auferri non possit, palàm factũ est. sed si simplum præstitit: doli exceptione repellẽdus erit ab vsurarum petitione: quia habuit vsum pecuniæ precij, quod ab emptore acceperat.

Re in solutum data, à iudice, vel à parte euicta: nõ agitur primitiua, sed vtili ex empto ad interesse, quod etiam in compensationẽ deducitur. Bartolus.

XXIIII. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

ELeganter apud me quæsitum est, si impetrasset creditor à Cęsare, vt pignus possideret, idq́ue euictum esset, an habeat pignoraticiam contrariam? & videtur finita

esse pignoris obligatio,& à contractu recessum. imò vtilis ex empto accommodanda est, quemadmodum si pro soluto ei res data fuerit: vt in quantitatem debiti ei satisfiat, vel in quantum eius intersit. sed & compensationem habere potest creditor, si fortè pignoraticia, vel ex alia caussa cũ eo agetur. Qui reprobos numos soluit creditori, an habeat pignoraticiam actionem, quasi soluta pecunia, quæritur? & constat, neque pignoraticia eum agere, neque liberari eum posse: quia reproba pecunia non liberat soluentem, reprobis videlicet numis reddendis. D

Si vendiderit quidem creditor pignus pluris, quàm debitum erat, nondum autem precium ab emptore exegerit: an pignoraticio iudicio conueniri possit ad superfluum reddendum: an verò vel exspectare debeat, quò ad emptor soluat, vel suscipere actiones aduersus emptorem? & arbitror non esse vrgendum ad solutionem creditorem: sed aut exspectare debitorem debere, aut si non exspectet, mandandas ei actiones aduersus emptorem, periculo tamen venditoris. quod si accepit iam pecuniam, superfluum reddit. In pignoraticio iudicio venit, & si res pignori datas male tractauit creditor, vel seruos debilitauit. Planè si pro maleficiis suis coërcuit, vel vinxit, vel obtulit præfecturæ, vel præsidi, dicendum est pignoraticia creditorem non teneri. quare si prostituit ancillã, vel aliud improbatum facere coëgit: illico pignus ancillæ soluitur. E F

Expensæ necessariæ, vel vtiles debẽt restitui creditori, si modò debitori non sunt onerosæ, quod arbitrio iudicis æstimabitur. Bar.

XXV. IDEM. *lib.* XXX. *ad edictum.*

SI seruos pignoratos artificiis instruxit creditor: siquidem iam imbutos, vel voluntate debitoris: erit contraria actio. si verò nihil horum intercesserit: siquidem artificiis necessariis: erit actio contraria, non tamen sic, vt cogatur seruis carere pro quantitate sumptuum debitor. sicut enim negligere creditorem dolus & culpa, quam præstat, non patitur: ita nec talem efficere rem pignoratam, vt grauis sit debitori ad recipiẽdum. puta saltum grandem pignori datum ab homine, qui vix luere potest, nedum excolere, tu acceptum pignori excoluisti sic,

vt magni precij faceres. alioqui non est æquum, aut quærere me alios creditores, aut cogi distrahere, quod velim
A receptum, aut penuria coactum derelinquere me tibi. igitur hæc à iudice erunt dispicienda: vt neque onerosus creditor audiatur, neque delicatus debitor.

Pignus Prætorium non constituitur nisi in possessionem mittatur. Bartolus.

XXVI. IDEM *lib.* V. *Disputationum.*

NOn est mirum, si ex quacunque caussa magistratus in possessionem aliquem miserit, pignus cõstitui: cum testamento quoque pignus constitui posse, Imperator noster cum patre sæpissimè rescripserit. Sciendum tamen, vbi iussu magistratus pignus constituitur: non aliàs cõ-
B stitui, nisi ventum fuerit in possessionem.

Si creditor rem sibi datam vt pigneret, pignorauit, & luit: cõuenitur vt reddat. aliàs conuenitur vt luat. Bartolus.

XXVII. IDEM *lib.* VI. *Opinionum.*

PEtenti mutuam pecuniam creditori, cùm præ manu debitor non haberet, species auri dedit, vt pignori apud alium creditorẽ poneret. si iam solutione liberatas, receptasque eas is, qui susceperat, tenet: exhibere iubendus est. quòd si etiam nunc apud creditorem creditoris sunt: voluntate domini nexæ videntur. Sed vt liberatæ tradantur: domino earum propria actio aduersus suum creditorem competit.

C *Vindicans rem repellitur exceptione, nisi soluat possessori quod ipse possessor alii pro illa re soluit, si illud est conuersum in vtilitatem agentis. Paulus.*

XXVIII. IVLIANVS *lib.* XI. *Digestorum.*

SI creditor, qui rem pignori acceperat, amissa eius possessione, & Seruiana actione petierit, & litis æstimationem consecutus sit: postea debitor eandẽ rem petens, exceptione submouetur: nisi offerat ei debitor, quod pro eo solutum est. Si seruus peculiari nomine pignus acceperit: actio pignoraticia aduersus dominum debitori competit.

Si dominium pignoris cœpit esse creditoris, pignus exstinguitur: & eius possessio debitori non proderit, sed precarium à debitore rogatum durat. Bartolus.

XXIX. IDEM *lib.* XIIII. *Digestorum.*

SI rem alienã bona fide emeris, & mihi pignori dederis, ac precariò rogaueris, deinde me dominus hæredem instituerit: desinet pignus esse, & sola precarij rogatio supererit. idcirco vsuçapio tua interpellabitur. D

Creditor qui propria authoritate occupauit rem obligatam, tenetur de casu postea contingente in illa re. secus si licentiam habuerit à debitore capiendi. Paulus de castro.

XXX. PAVLVS *lib.* V. *Responsorum.*

QVi ratiario crediderat, cùm ad diem pecunia non solueretur, ratem in flumine sua authoritate detinuit. postea flumen creuit, & inde ratem abstulit. si inuito ratiario retinuisset: eius periculo ratem fuisse, respondi. Sed si debitor sua voluntate concessisset, vt retineretur: culpam dumtaxat ei præstandam, non vim maiorem. E

Delictum serui obligat debitorem ignorantem vsque ad noxæ deditionem: scientem verò insolidum. Bartolus.

XXXI. AFRICANVS *lib.* VII. *Quæstionum.*

SI seruus pignori datus creditori furtum faciat: liberum est debitori, seruum pro noxæ dedito relinquere. quod si sciens furem, mihi pignori dederit: & si paratus fuerit pro noxæ dedito apud me relinquere, nihilominus habiturum me pignoraticiam actionem, vt indémnem me præstet. eadé seruanda esse, Iulianus ait, etiã cùm depositus, vel cómodatus seruus furtum facit. F

Qui obligauit rem alienam, tenetur contraria pignoraticia ad interesse. Bartolus.

XXXII. MARCELLVS *lib.* IIII. *Digestorum.*

CVm debitore, qui alienam rem pignori dedit, potest creditor contraria pignoraticia agere, & si soluendo debitor sit.

XXXIII. MARTIANVS *lib. singulari ad formulam hypothecariam.*

SI pecuniam debitor soluerit: potest pignoraticia actione vti ad recuperandam ἀντίχρησιν. nam cùm pignus sit: hoc verbo poterit vti.

XXXIIII. MARCELLVS *lib. singulari Responsorum.*

Titius

A Titius cùm credidisset pecuniam Sempronio, & ob eam pignus accepisset, futurumque esset, vt distraheret id creditor, quia pecunia non solueretur: petiit à creditore, vt fundum certo precio emptum haberet: & cùm impetrasset, epistolam, qua se vendidisse fundum creditori significaret, emisit. quæro, an hanc venditionem debitor reuocare possit, offerendo sortem & vsuras, quæ debentur? Marcellus respondit. secundum ea, quæ proposita essent, reuocare non posse.

Pecunia redacta ex venditione pignoris, prius in vsuras: deinde in sortem computatur. Bartolus.

XXXV. FLORENTINVS *lib.* VIII. *Institutionũ.*

B Cum & sortis nomine & vsurarum aliquid debetur ab eo, qui sub pignoribus pecuniam debet: quidquid ex venditione pignorum recipietur, primum vsuris, quas iam tunc deberi cõstat: deinde, si quid superest, sorti acceptò ferendum est. nec audiendus est debitor, si cùm parum idoneũ se esse sciat: eligat, quo nomine exonerari pignus suum malit. Pignus, manente proprietate debitoris, solam possessionem transfert ad creditorem. potest tamen & precariò, & pro conducto debitor re sua vti.

XXXVI. VLPIANVS *lib.* XI. *ad Sabinum.*

C Si quis in pignore dando pro auro æs subiecisset creditori, qualiter teneatur, quæsitum est? in qua specie rectissimè Sabinus scribit: siquidem auro dato, æs subiecisset: furti teneri. quod si in dãdo æs subiecisset: turpiter fecisse, non furem esse. Sed hic puto pigneraticiũ iudicium locum habere, & ita Pomponius scribit. Sed & extra ordinem stellionatus nomine plectetur, vt est sæpissimè rescriptũ. Sed & si quis rem alienam mihi pignori dedit sciens prudensque, aut alij obligatam mihi obligauit, nec me de hoc certiorauit: eodem crimine plectetur. Planè si ea res ampla est, & ad modicum æris fuerit pignorata: dici debebit, cessare non solùm stellionatus crimen, sed etiam pigneraticiam, & de dolo malo actionem: quasi in nullo captus sit, qui pignori secundo loco accepit.

XXXVII. PAVLVS *lib.* V. *ad edictum.*

Si pignus

SI pignus mihi traditũ locaſſem domino: per locationem retineo poſſeſſionem: quia antè, quàm conduceret debitor, non fuerit eius poſſeſſio: cùm & animus mihi retinendi ſit, & conducenti non ſit animus poſſeſſionẽ adipiſcendi. D

XXXVIII. MODESTINVS *lib.* I. *Differentiarum.*

PVpillo capiẽti pignus, propter metum pignoraticiæ actionis neceſſaria eſt tutoris authoritas.

Qui ſe teſtamento ſubſcribit vt teſtis, non videtur adprobare quæ in teſtamento apponuntur. Bartolus.

XXXIX. IDEM *lib.* III. *Reſponſorum.*

CAius Seius ob mutuam pecuniam fundũ ſuum Lucio Titio pignori dedit. poſtea pactum inter eos factum eſt, vt creditor pignus ſuum in penſationem pecuniæ ſuæ certo tempore poſſideret. verùm ante expletum tempus creditor, cùm ſuprema ſua ordinaret, teſtamento cauit, vt alter ex filiis ſuis haberet eum fundum: & addidit, QVEM DE LVCIO ATTIO EMI, cùm non emiſſet. hoc teſtamentum inter cæteros ſignauit & Caius Seius, qui fuit debitor. quæro, an ex hoc, quod ſignauit, præiudicium aliquod ſibi fecerit: cùm nullum inſtrumentum venditionis proferatur, ſed ſolùm pactum, vt creditor certi temporis fructus caperet? Herennius Modeſtinus reſpondit. contractui pignoris non obeſſe, quod debitor teſtamentum creditoris, in quo ſe emiſſe pignus expreſſit, ſignaſſe proponitur. E

XL. PAPINIANVS *lib.* III. *Reſponſorum.* F

DEbitor à creditore pign⁹, quod dedit, fruſtra emit: cùm rei ſuæ nulla emptio ſit. nec ſi minoris emerit, & pignus petat, aut dominium vindicet: ei non totum debitum offerenti, creditor poſſeſſionem pignoris reſtituere cogitur. Debitoris filius, qui manet in patris poteſtate, fruſtra pignus à creditore patris peculiaribus nummis comparat. & ideo ſi patronus debitoris contra tabulas eius poſſeſſionem acceperit: dominij partem obtinebit. nam pecunia, quam filius ex re patris in precium dedit, pignus liberatur. Soluta pecunia, creditor poſſeſſionem pignoris, quæ corporalis apud eum fuit, reſtituere debet, nec quicquam amplius præſtare cogitur. itaque

ſi medio

A si medio tẽpore pignus creditor pignori dederit: domino soluente pecuniam, quam debuit, secũdi pignoris neque persecutio dabitur, neque retentio relinquetur.

Si dominium rei superueniat debitori, confirmatur obligatio: secus si dominus debitori succedat. Bartolus.

XLI. IDEM *lib.* VIII. *Quæstionum.*

REm alienam pignori dedisti. deinde dominus rei eius esse cœpisti: datur vtilis actio pignoraticia creditori. non est idem dicẽdum, si ego Titio, qui rem meam obligauerat sine mea volũtate, hæres exstitero. hoc enim modo pignoris persecutio concedenda non est creditori. neque vtique sufficiet ad competendam vtilem pignoraticiam actionem, eundem esse dominum, qui etiam pe-
B cuniam debet. Sed si conuenisset de pignore, vt ex suo mendacio arguatur: improbè resistit, quominus vtilis actio moueatur.

XLII. IDEM *lib.* III. *Responsorum.*

CReditor iudicio, quod de pignore dato proponitur, vt superfluum precij cùm vsuris restituat, iure cogitur. nec audiẽdus erit, si velit emptorem delegare: cum in vẽditione, quæ ritè est facta, suum creditor negocium gerat.

Si creditor fuit in culpa restituendi instrumenta pignoris debitori tempore debito, tenetur ad interesse. secus si ei culpa imputari non possit. Bartolus.

C XLIII. SCAEVOLA *lib.* V. *Digestorum.*

PIgnori creditori locum purum obligauit, eiq́ue instrumentum emptionis tradidit: & cùm eum locum inædificare vellet, mota sibi controuersia à vicino de latitudine (quod aliâs probare non poterat) petiit à creditore, vt instrumentum auctoritatis à se traditum exhiberet. quo non exhibente, minorem locum ædificauit, atque damnum passus est. quæsitum est, an si creditor pecuniam petat, vel pignus vindicet: doli exceptione posita, iudex huius damni rationem habere debeat? Respondi. si operam non dedisset, vt instrumenti facultate subducta, debitor caperetur: posse debitorem, si pecuniam soluat, pignoraticia agere. opera autem in eo data: tunc & ante pecuniam solutam in id, quod interest, cum creditore agi.

Titius

Titius pecuniam mutuam accepit à Caio Seio sub pignore culleorum. istos culleos cùm Seius in horreo haberet, missus ex officio annonæ cẽturio, culleos ad annonam sustulit, postea instantia Caij Seij creditoris recuperati sunt. quæro: intertriturã, quæ ex operis facta est, vtrũ Titius debitor, an Seius creditor agnoscere debeat? Respondi. secundum ea, quę proponerentur, ob id, quod eo nomine intertrimenti accidisset, non teneri. D

DIGESTORVM SEV PANdectarum Liber XIIII.

E

DE EXERCITORIA ACTIONE. Titulus I.

VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

VTILITATEM huius edicti patere nemo est, qui ignoret. nam cùm interdum ignari, cuius sint conditionis, vel quales, cum magistris propter nauigandi necessitatem cõtrahamus: æquum fuit eum, qui magistrum naui imposuit, teneri: vt tenetur, qui institorem tabernæ, vel negocio præposuit: cùm sit maior necessitas contrahendi cum magistro, quàm institore. quippe res patitur, vt de conditione quis institoris dispiciat, & sic contrahat: in nauis magistro non ita. nam interdum locus, tempus non patitur plenius deliberandi consilium. Magistrum nauis accipere debemus, cui totius nauis cura mandata est. F

Si cum quolibet nautarum sit contractum, non datur actio in exercitorem: quanquam ex delicto cuiusvis eorum, qui nauis nauigandæ caussa in naue sunt, detur actio in exercitorem. alia est enim cõtrahendi caussa, alia delinquẽdi. siquidem qui magistrum præponit, contrahi cũ eo permittit: qui nautas adhibet, non contrahi cũ eis permittit, sed culpa & dolo carere eos curare debet. Magistri autem imponuntur, vel locandis nauibus, vel mercibus, aut

aut vectoribus conducendis, armamentísve emendis, sed
A & si mercibus emendis vel vendendis fuerit præpositus: etiam hoc nomine obligat exercitorem. Cuius autem conditionis sit magister iste, nihil interest: vtrum liber, an seruus: & vtrum exercitoris, an alienus. sed nec cuius ætatis sit, intererit: sibi imputaturo, qui præposuit. Magistrum autem accipimus non solùm, quẽ exercitor præposuit: sed & eum, quem magister. & hoc consultus Iulianus in ignorante exercitore respondit. cæterùm si scit, & passus eum est in naue magisterio fungi: ipse eum imposuisse videtur. quæ sententia mihi videtur probabilis, omnia† enim facta magistri debet præstare, qui eum præposuit. alioquin contrahentes decipientur. & facilius hoc
B in magistro, quàm institore admittendum propter vtilitatem. quid tamen, si sic magistrum præposuit, ne alium ei liceret præponere? an adhuc Iuliani sententiam admittamus, videndum est. finge enim & nominatim eum prohibuisse, ne Titio magistro vtaris. dicendum tamen erit, eò vsque producendam vtilitatem nauigantium. Nauem accipere debemus, siue marinam, siue in aliquo stagno nauiget, siue schedia sit.

†Iuxta hanc sententiam est quod sẽtit Cic. li. 2 Epistol. ad Q. fratrẽ

Si magister contrahit in re in qua præpositus est, tacitè dominus obligatur, si in hanc caussam se contrahere exprimat. hoc primo. Item si contrahit simpliciter, nulla caussa expressa, dominus non tenetur, nisi in eius vtilitatem versum appareat. Item si contrahit in caussa
C *in qua expressè prohibitus est: sufficit tunc expressio. licet vera non fuerit. Bartolus.*

Non autem ex omni caussa prætor dat in exercitorem actionem: sed eius rei nomine, cuius ibi præpositus fuit, id est in eam rem, cui præpositus fuit. vtputa si onus vehendum locatũ sit, aut aliquas res emerit vtiles nauiganti: vel si quid reficiendæ nauis caussa contractum, vel impensum est: vel si quid nautæ operarum nomine petent.

Quid si mutuam pecuniam sumpserit: an eius rei nomine videatur gestum? & Pegasus existimat: si ad vsum eius rei, in quam præpositus est, fuerit mutuatus: dandam actionem. quam sententiam puto veram, quid enim si ad armandam, siue instruendam nauem, vel nautas exhibendos mutuatus est? Vnde quærit Ofilius, si ad reficiendam

nauem

nauem mutuatus, numos in suos vsus conuertit: an in exercitorem detur actio? & ait. si hac lege accepit, quasi in nauem impensurus, mox mutauit voluntatem: teneri exercitorem, imputaturum sibi, cur talem præposuerit? quod si ab initio consilium ceperit fraudandi creditoris, & hoc specialiter non expresserit, quod ad nauis caussam accipiat: contrà esse. quam distinctionem Pedius probat. Sed & si in preciis rerum emptarum fefellit magister: exercitoris erit damnum, non creditoris. Sed & si ab alio mutuatus, liberauit eum, qui in nauis refectionem crediderat: puto etiam huic dandam actionem, quasi in nauem crediderit. Igitur præpositio certam legem dat cōtrahentibus. quare si eum præposuit naui ad hoc solùm, vt vecturas exigat, non vt locet, quod fortè ipse locauerat: non tenebitur exercitor, si magister locauit. vel si ad locandum tantùm, non ad exigendum: idem erit dicendum. aut si ad hoc, vt vectoribus locet, nō vt mercibus nauem præstet, vel contrà modū egressus, non obligauit exercitorem. Sed & si, vt certis mercibus eam locet, præpositus est (puta legumini, cānabi) ille marmoribus, vel alij locauit materiæ: dicendum erit, exercitorem non teneri. quædam enim naues onerariæ†, quædam (vt ipsi dicunt) ἐπιβατηγοὶ sunt. & plerosque mandare scio, ne vectores recipiant, & sic vt certa regione & certo mari negocientur: vt ecce sunt naues, quæ Brundusium à Cassopa, vel à Dyrrachio vectores traiiciunt, ad onera inhabiles. Item quędam capaces fluminum ad mare non sufficientes. Si plures sint magistri, non diuisis officiis: quodcunque cū vno gestum erit, obligabit exercitorem. si diuisis: vt alter locando, alter exigendo: pro cuiusque officio obligabitur exercitor. Sed si sic præposuit, (vt plerunque faciunt) ne alter sine altero quid gerat: qui contraxit cum vno sibi imputabit. Exercitorem autem eum dicimus, ad quem obuentiones & reditus omnes perueniunt: siue is dominus nauis sit, siue à domino nauē per auersionem conduxit, vel ad tempus, vel in perpetuum. Parui autem refert, qui exercet, masculus sit, an mulier: paterfamiliâs, an filiusfamiliâs, vel seruus. pupillus autem si nauem exerceat, exigemus tutoris authoritatem. Est autem nobis

Gell. li. 10 cap. 25. & Plin. li. 7. cap. 25.

D E F

electio

electio, vtrum exercitorem, an magistrum conuenire ve-
A limus. sed ex cõtrario exercenti nauem aduersus eos, qui cum magistro contraxerunt, actio non pollicetur: quod non eodem auxilio indigebat. Sed aut ex locato cum magistro, si mercede operam ei exhibet: aut si gratuitam, mãdati agere potest. solent tamen præfecti propter ministerium annonæ, item in prouinciis præsides prouinciarũ, extra ordinem eos iuuare ex contractu magistrorum. Si is, qui nauem exercuit, in aliena potestate erit, eiúsque voluntate nauem exercuerit: quod cum eius magistro gestum erit, in eum, cuius in potestate is erit, qui nauem exercuit, iudicium datur. Licet autem datur actio in eum, cuius in potestate est, qui nauem exercet: tamen ita de-
B mum datur, si voluntate eius exerceat. Ideo autem ex voluntate in solidum tenetur, qui habet in potestate exercitorem: quia ad summam reipublicæ nauium exercitio pertinet. At† institorum nõ idem vsus est. ea propter in tributum dumtaxat vocantur, qui contraxerunt cum eo, qui in merce peculiari sciente domino negociatur. Sed si sciente dumtaxat, non etiam volente domino, cum magistro contractum sit: vtrum quasi in volentem dabimus actionem in solidum, an verò exemplo tributoriæ? In re igitur dubia melius est verbis edicti seruire: & neque scientiam solam & nudam patris dominíve in nauibus onerare, neque in peculiaribus mercibus voluntatem ex-
C tendere ad solidi obligationem. & ita videtur etiã Pomponius significare: si sit in aliena potestate, si quidem voluntate gerat: in solidum eum obligari. si minus: in peculium. In potestate aũt accipiemus vtriusque sexus filios vel filias, seruos vel seruas. si tamen seruus peculiaris volente filiofamiliâs, in cuius peculio erat: vel seruo, vicarius eius nauem exercuit: pater dominúsve, qui voluntatem non accommodauit, dumtaxat de peculio tenebitur: sed filius ipse in solidum. planè si voluntate domini vel patris exercuit: in solidum tenebitur. & præterea filius, si & ipse voluntatem accommodauerit, in solidum erit obligatus. Quanquam autem, si cum magistro eius gestum sit, dumtaxat pollicetur prætor actionem: tamen (vt Iulianus quoque scripsit) etiam si cum ipso exercito-

† *Pulchrè in hunc locum Arist. li. 7. Polit. cap. 6.*

re sit cōtractum, pater dominúsve in solidum tenebitur. Hæc actio ex persona magistri in exercitorem dabitur. & ideo si cum alterutro eorū actum est: cum altero agi non potest. sed si quid solutum sit: siquidem à magistro: ipso iure minuitur obligatio. sed & si ab exercitore: siue suo nomine, id est, propter honorariam obligationem, siue magistri nomine soluerit: minuetur obligatio, quoniam & alius pro me soluendo me liberat. Si plures nauem exerceant, cum quolibet eorum in solidum agi potest: D

II. CAIVS *lib.* VIII. *ad edictum prouinciale.*

NE in plures aduersarios distringatur, qui cum vno contraxerit.

III. PAVLVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

NEc quidquam facere, quotam quisque portionem in naue habeat: eúmque, qui præstiterit, societatis iudicio à cæteris consecuturum. E

IIII. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

SI tamen plures per se nauem exerceant: pro portionibus exercitionis conueniuntur. neque enim inuicem sui magistri videbuntur. sed si plures exerceant, vnum autem de numero suo magistrum fecerint: huius nomine in solidum poterunt conueniri. Sed & si seruus plurium nauem exerceat voluntate eorum: idem placuit, quod in pluribus exercitoribus. planè si vni ex omnium voluntate exercuit: in solidum ille tenebitur. & ideo puto in isto & in superiore casu in solidum omnes teneri. Si seruus sit, qui nauē exercuit voluntate domini, & alienatus fuerit: nihilominus is, qui eum alienauit, tenebitur. proinde & si decesserit seruus, tenebitur. nam & magistro defuncto tenebitur. Hæ actiones perpetuò, & hæredibus, & in hæredes dantur. proinde & si seruus, qui volūtate domini exercuit, decessit: etiam post annum hæc actio dabitur, quamuis de peculio vltra annum non detur. F

Tenetur exercitor, licet inter magistrum & contrahentem secum non cadat obligatio. & dominus magistri serui tenetur actiones sibi quæsitas exercitori cedere. Baldus.

V. PAVLVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

SI eum, qui in mea potestate sit, magistrum nauis habeas: mihi quoque in te competit actio, si quid cum

eo contraxero. idem, si communis seruus nobis erit. ex lo
A cato tamen mecum ages, quòd operas serui mei conduxeris: quia & si cum alio contraxisset, ageres mecũ, vt actiones, quas eo nomine habui, tibi præstarem: quẽadmodum cum libero, (siquidem conduxeris) experireris. quòd si gratuitæ operæ fuerint: mandati ages.

Tenetur magister contrahenti secum, licet inter exercitorẽ & eum non cadat obligatio. Bartolus.

Item si seruus meus nauem exercebit, & cum magistro eius contraxero: nihil obstabit, quò minus aduersus magistrum experiar actione, quę mihi iure, vel ciuili, vel honorario competit. nam & cuiuis alij non obstat hoc edictum, quò minus cum magistro agere possit. hoc enim edicto non transfertur actio, sed adiicitur.
B Si vnus ex multis exercitoribus cum magistro nauis contraxerit: agere cum aliis exercitoribus poterit.

VI. IDEM *lib.* VIII. *breuis edicti.*

SI seruus non ex voluntate domini nauem exercuerit: si sciente eo, quasi tributoria: si ignorante, de peculio actio dabitur. Si communis seruus voluntate dominorum exerceat nauem: in singulos dari debebit in solidum actio.

Mutuans magistro habet exercitoriam quatuor cocurrentibus: scilicet caussa veritatis præpositionis, & caussa scientiæ & credulitate, congrua quantitate & loci congruitate, idem in institoribus.
C *Bartolus.*

VII. AFRICANVS *lib.* VIII. *Quæstionum.*

LVcius Titius Stichum magistrum naui præposuit. is pecuniam mutuatus, cauit se in refectionem nauis eam accepisse. quæsitum est, an non aliter Lucius Titius exercitoria teneretur, quàm si creditor probaret pecuniam in refectionem nauis esse consumptam? Respõdit. creditorem vtiliter acturum, si cũm pecunia crederetur, nauis in ea caussa fuisset, vt refici deberet. etenim non oportere creditorem ad hoc adstringi, vt ipse reficiendæ nauis curam suscipiat, & negocium domini gerat. quod certè futurum sit, si necesse habeat probare, pecuniam in refectionem erogatam esse. Itaque & illud exigendum, vt sciat in hoc se credere, cui rei magister quis sit præpo-

situs. quod certè aliter fieri nō possit, quàm si illud quoque scierit, necessariam refectioni pecuniam esse. quare & si in ea caussa fuerit nauis, vt refici deberet: multò tamen maior pecunia credita fuerit, quàm ad eam rem esset necessaria: non debere in solidum aduersus dominum nauis actionem dari. Interdum etiam illud æstimandum: an in eo loco pecunia credita sit, in quo id, propter quod credebatur, comparari potuerit. quid enim (inquit) si ad velum emendum in eiusmodi insula pecuniam quis crediderit, in qua omnino velum comparari non potuerit? & in summa: aliquam diligētiam in eam rem creditorem debere præstare. Eadem ferè dicenda ait, & si de institoria actione quæratur. nam tūc quoque creditorem scire debere: necessariam esse mercis comparationem, cui emendę seruus sit præpositus. & sufficere, si in hoc crediderit: non etiam illud exigendum, vt ipse curam suscipiat, an in hanc rem pecunia erogata sit.

D

E

DE LEGE RHODIA, DE IACTV. *Titulus* II.

PAVLVS *lib.* II. *Sententiarum.*

LEge Rhodia cauetur, vt si leuandæ nauis gratia iactus mercium factus sit, omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus factum est. F

Domini iactarum mercium habent actionem cum magistro: & magister cum cæteris non solùm habet actionem, sed etiam retentionem mercium vt fiat contributio. Bartolus.

II. IDEM *lib.* XXV. *ad Sabinum.*

SI laborāte naue iactus factus est: amissarum mercium domini, si merces vehendas locauerāt, ex locato cum magistro nauis agere debent. magister deinde cum reliquis, quorum merces saluæ sunt: ex conducto, vt detrimentum pro portione communicetur, agere potest. Seruius quidem respondit, ex locato agere cum magistro nauis debere, vt cæterorum vectorum merces retineat, donec portionem damni præstent. Imò & si retineat merces magister: vltrò ex locato habiturus est actionem cum vectoribus

ctoribus. quid enim si vectores sint, qui nullas sarcinas
A habeant? planè commodius est, si sint: retinere eas. at si
non: & totam nauem conduxerit: ex conducto aget, sicut
vectores, qui loca in naue conduxerunt. æquissimum e-
nim est, commune detrimentum fieri eorum, qui propter
amissas res aliorum consecuti sunt, vt merces suas saluas
haberent. Si conseruatis mercibus deterior facta sit na
uis, aut aliquid exarmauerit: nulla facienda est colla-
tio: quia dissimilis earum rerum caussa est, quæ nauis gra
tia parantur, & earum, pro quibus mercedem aliquis ac-
cepit. nam & si faber incudem aut malleum fregerit: non
imputatur ei, qui locauit opus. sed si voluntate vectorum,
vel propter aliquem metum id detrimentum factum sit:
B hoc ipsum sarciri oportet.

Dominus nauis & domini omnium rerum in ea existentium, excepto libero corpore & cibariis, pro portione æstimationis contribuunt: ad quod magister ex locato tenebitur. Bartolus.

Cùm in eadem naue varia mercium genera complures
mercatores coëgissent, prætereáque multi vectores serui
liberíque in eadem nauigarent: tempestate graui orta, ne-
cessariò iactura facta erat. quæsita deinde sunt hæc. an o-
mnes iacturam præstare oporteat? & quid si tales merces
imposuissent, quibus nauis non oneraretur: veluti gem-
mas, margaritas? & quæ portio præstanda esset? & an eti-
am pro liberis capitibus dari oporteat? & qua actione ea
C res expediri possit. Placuit omnes, quorum quid inter-
fuisset iacturam fieri, conferre oportere: quia id tribu-
tum ob seruatas res deberent. itaque dominum etiam na-
uis pro portione obligatum esse. Iacturæ summam pro
rerum precio distribui oportere. corporum liberorum
æstimationem nullam fieri posse. ex conducto dominos
rerum amissarum cum nauta, id est, cum magistro actu-
ros. Itidem agitatum est, an etiam vestimentorum cuius-
que, & anulorum æstimationem fieri oporteat? & om-
nium visum est: nisi si qua consumendi caussa imposita
forent, quo in numero essent cibaria. eò magis, quod si
quando ea deficerent in nauigationem: quid quisque ha-
beret, in commune conferret. Si nauis à piratis redem-
pta sit: Seruius, Ofilius, Labeo; omnes conferre debere

 aiunt.

aiunt. quod verò prædones abſtulerint: eum perdere, cuius fuerit: nec conferendum ei, qui ſuas merces redemerit. Portio autem pro æſtimatione rerum, quæ ſaluę ſunt, & earum, quæ amiſſæ ſunt, præſtari ſolet. nec ad rem pertinet, ſi hæ, quæ amiſſæ ſunt, pluris venire poterant: quoniam detrimenti, non lucri fit præſtatio. ſed in his rebus, quarum nomine conferendum eſt, æſtimatio debet haberi: non quanti emptæ ſunt, ſed quanti venire poſſunt. D

Seruorum quoque, qui in mari perierunt, non magis æſtimatio facienda eſt, quàm ſi ægri in naue deceſſerint, aut alioqui ſeſe pręcipitauerint. Si quis ex vectoribus ſoluendo non ſit: hoc detrimẽtum magiſtri nauis non erit. nec enim fortunas cuiuſque nauta excutere debet.

Si res, quæ iactæ ſunt, apparuerint: exoneratur collatio. quod ſi iam contributio facta ſit: tunc hi, qui ſoluerunt, agente ex locato cum magiſtro: vt is ex conducto experiatur, & quod exegerit, reddat. Res autem iacta domini manet, nec fit adprehendentis: quia pro derelicto non habetur. E

III. PAPINIANVS *lib.* IX. *Reſponſorum.*

CVm arbor aut aliud nauis inſtrumentum, remouendi communis periculi cauſſa, deiectum eſt: contributio debetur.

IIII. CALLISTRATVS *lib.* II. *Quæſtionum.*

NAuis onuſtæ leuandæ cauſſa (quia intrare portum, vel flumen non potuerit cum onere) ſi quædam merces in ſcapham traiectæ ſunt, ne aut extra flumen periclitetur, aut in ipſo hoſtio vel portu, eáque ſcapha ſubmerſa eſt: ratio haberi debet inter eos, qui in naue merces ſaluas habent, cum iis, qui in ſcapha perdiderunt, perinde tanquam ſi iactura facta eſſet: idque Sabinus libro ſecundo Reſponſorum probat. contrà ſi ſcapha cum parte merciũ ſalua eſt, nauis periit: ratio haberi non debet eorum, qui in naue perdiderũt: quia iactus in tributum naue ſalua venit. Sed ſi nauis, quæ in tẽpeſtate iactu merciũ vnius mercatoris leuata eſt, in alio loco ſubmerſa eſt, & aliquorum mercatorũ merces per vrinatores extractæ ſunt, data mercede: rationem haberi debere eius, cuius merces in nauigatione leuãdæ nauis cauſſa iactæ ſunt, ab F

his,

his, qui postea suas per vrinatores seruauerunt, Sabinus
A æque respondit. eorum vero, qui ita seruauerũt, inuicem rationem haberi non debere ab eo, qui in nauigatione iactum fecit: si quædã ex his mercibus per vrinatores extractæ sunt. eorum enim merces non possunt videri seruandæ nauis caussa iactæ esse, quæ periit. Cùm autem iactus de naue factus est, & alicuius res, quæ in naue remanserunt, deteriores factæ sunt: videndum, an conferre cogendus sit: quia non debet duplici damno onerari, & collationis, & quod res deteriores factæ sunt. Sed defendendum est, hunc conferre debere, precio rerum præsente. itaque (verbi gratia) si vicenum merces duorum fuerint, & alterius adspergine decem esse cœperint: ille, cu-
B ius res integræ sunt, pro vicenis conferret, hic pro decem. Potest tamen dici etiam illa sententia, distinguentibus nobis, deteriores ex qua caussa factæ sunt: id est, vtrũ propter iactum nudatis rebus damnum secutum est, an vero alia ex caussa: veluti quod alicubi iacebant merces aliquo in angulo, & vnda penetrauit. tunc enim conferre debebit. Sed an ex priore caussa, collationis onus pati nõ debet: quia iactus etiam hunc læsit? ad hæc nunquid & si adspergine propter iactum deteriores factæ sunt? sed distinctio subtilior adhibenda est. quid si plus sit in collatione, quàm in damno? (verbi gratia) hæ res vicenæ fuerunt: & collatio quidem facit decem, damnum autem
C duo: deducto hoc, quod damnum passus est, reliquum conferre debeat? quid ergo, si plus in damno erit, quàm in collatione? vtputa decem aureis res deteriores factæ sunt, duo autem collationis sunt? indubitatè vtrumque onus pati non debet. sed hîc videamus, num & ipsi conferri oporteat. quid enim interest, iactatas res meas amiserim, an nudatas deteriores habere cœperim? nam sicut ei, qui perdidit, subuenitur: ita & ei subueniri oportet, qui deteriores propter iacturam res habere cœpit. hoc ita Papyrius Fronto respondit.

V. HERMOGENIANVS *lib.* IIII. *iuris* ἐπιτομῶν.

AMissæ nauis damnum collationis consortio non sarcitur per eos, qui merces suas ex naufragio libera-

 runt.

runt. nam huiusmodi æquitatem tunc admitti placuit, cũ iactus remedio cæteris in communi periculo salua naue D consultum est. Arbore cæsa, vt nauis cum mercibus liberari possit, æquitas contributionis locum habebit.

VI. IVLIANVS *lib.* LXXXVI. *Digestorum.*

NAuis aduersa tempestate depressa, ictu fulminis deustis armamentis, & arbore, & antenna, Hipponem delata est: ibique tumultuariis armamentis ad præsens comparatis, Hostiam nauigauit, & onus integrum pertulit. quæsitum est, an hi, quorum onus fuit, nautæ pro dãno conferre debeant? Respondi, non debere. hunc enim sumptum instruendæ nauis magis, quàm conseruandarũ mercium gratia factum esse.

VII. PAVLVS *lib.* III. ἐπιτομῶν *Alfeni* Digestorũ. E

CVm depressa nauis, aut deiecta esset: id quod quisq; ex eo suum seruasset, sibi seruare respondit, tãquam ex incendio.

Iactata in dubio non videntur haberi pro derelicto, nisi ex modo iactus aliud præsumatur. Bar.

VIII. IVLIANVS *lib.* II. *ex* Minutio.

QVi leuandæ nauis gratia res aliquas proiiciunt: nõ hanc mentem habere, vt eas pro derelicto habeant: quippe, si inuenerint eas ablaturos: & si suspicati fuerint, in quem locum eiectæ sint, requisituros: vt perinde sit, ac si quis onere pressus vnam rem abiecerit, F mox cum aliis reuersurus, vt eandem auferret.

IX. VOLVSIVS MAETIANVS *ad* L. Rhodiã.

Ἀξίωσις Εὐδαίμονος Νικομηδέως πρὸς Ἀντωνῖνον βασιλέα. Κύριε βασιλεῦ Ἀντωνῖνε. ναυάγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, διηρπάγημεν ὑπὸ τῶν δημοσίων τῶν τὰς κυκλάδας νήσους οἰκούντων. Ἀντωνῖνος εἶπεν. Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης. τῷ νόμῳ τῶν ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ, ἐν οἷς μήτις τῶν ἡμετέρων αὐτῷ νόμος ἐναντιοῦται. τοῦτο δὲ αὐτὸ καὶ ὁ θειότατος Αὔγουστος ἔκρινεν.

X. LABEO *lib.* I. πιθανῶν *à Paulo in epitomen redactorum.*

SI vehenda mãcipia conduxisti: pro eo mãcipio, quod in naue mortuum est, vectura tibi non debetur. PAVLVS.

LVS.imò quæritur, quid actum est: vtrum pro his, qui
A impositi: an pro his, qui deportati essent, merces daretur?quod si hoc apparere non poterit: satis erit pro nauta, si probauerit impositum esse mancipium. Si ea conditione nauem conduxisti, vt ea merces tuæ portarentur: easque merces nauta, nulla necessitate coactus, in nauem deteriorem (cum id sciret te fieri nolle) transtulit, & merces tuæ cum ea naue perierunt, in qua nouissimè vectæ sunt: habes ex conducto cum priore nauta actionem. PAVLVS.imò cōtrà. si modo ea nauigatione vtraque nauis periit: cùm id sine dolo & culpa nautarum factum esset. Idem iuris erit, si prior nauta publicè retentus, nauigare cum tuis mercibus prohibitus fuerit. Idem
B iuris erit, si cum ea conditione à te conduxisset, vt certam pœnam tibi præstaret, nisi ante constitutum diē merces tuas eò loci exposuisset, in quem vehendas eas merces locasses: nec per eum staret, quò minus remissa sibi pœna spectaret. idem iuris in eodem genere cognitionis obseruabimus, si probatum fuerit, nautam morbo impeditum nauigare non potuisse. idem dicemus, si nauis eius vicium fecerit: sine dolo & culpa eius. Si conduxisti nauem amphorarum duorum milium, & ibi amphoras portasti: pro duobus milibus amphorarum precium debes. PAVLVS.imò si auersione nauis conducta est: pro duobus milibus merces debetūr. si pro numero imposi-
C tarum amphorarum merces constituta est: contrà se habet. nam pro tot amphoris precium debes, quot portasti.

DE INSTITORIA ACTIONE.
Tit. III.

Dominus ex testamento institoris obligatur: item agit, si eius seruus est institor, non aliàs, nisi cessa actione, vel in subsidium. Bar.

VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

Equum prætori visum est, sicut commoda sentimus ex contractu institorum, ita etiam obligari nos ex contractibus ipsorum, & conueniri. Sed nō idem facit circa eum, qui institorem præposuit, vt experiri possit. sed siquidem seruum proprium institorem habuit: potest esse se-

se securus, adquisitis sibi actionibus. si autem vel alienum seruum, vel etiam hominem liberum: actio deficiet. D
ipsum tamen institorem, vel dominum eius conuenire poterit, vel mandati, vel negociorum gestorum. Marcellus etiam ait, debere dari actionem ei, qui institoré præposuit, in eos, qui cum eo contraxerunt.

II. CAIVS *lib.* VIII. *ad edictum prouinciale.*

EO nomine, quo institor contraxit: si modo aliter rem suam seruare non potest.

Institor est ille qui alicui negociationi quæstuariæ præponitur, etiam certo loco non designato. Et obligat dominum cuiuscumque conditionis sit negociatio quæstuaria. secus si certæ rei vel negociationi non quæstuariæ præponitur. tunc enim magis procurator vocabitur. Bar. E

III. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

INstitor appellatus est ex eo, quod negocio gerendo insistat. nec multum facit, tabernæ sit præpositus, an cuilibet alij negociationi.

IIII. PAVLVS *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

CVm interdum etiam ad homines honestos adferant merces, & ibi vendant. nec mutat caussam actionis locus emendi vendendiúe: cùm vtroque modo verũ sit, institorem emisse, aut vendidisse.

V. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

CVicumque igitur negocio præpositus est, institor rectè appellabitur. nam & Seruius libro primo ad F
Brutum ait: si quid cum insulario gestum sit, vel cum eo, quem quis ædificio præposuit, vel frumento coëmendo: in solidum eum teneri. Labeo quoque scribit: si quis pecuniis fœnerandis, agris colendis, mercaturis, redempturisque faciendis præposuerit: in solidum eum teneri. sed & si mensæ habuerit quis seruum præpositum, nomine eius tenebitur. Sed etiam eos institores dicendos placuit, quibus vestiarij vel lintearij dant vestem circũferendam & distrahendam, quos vulgo circuitores appellamus. sed etiam muliones quis propriè institores appellet. Item fullonum & sarcinatorum præpositus, sed & stabularij quoque, loco institorum habendi sunt. Sed & si taber-

si tabernarius seruum suum peregre mitteret ad merces comparandas,& sibi mittendas: loco institoris habendū,
A Labeo scribit. Idem ait: si libitinarius, quem Græci νεκροθάπτην vocant, seruum pollinctorem habuerit, isque mortuum spoliauerit: dandam in eum quasi institoriam actionem, quamuis & furti, & iniuriarum actio cōpeteret. Idem Labeo ait. si quis pistor seruum suum solitus sit in certum locum mittere ad panem vendendum: deinde is pecunia accepta præsente, vt per dies singulos cui panem præstaret, conturbauerit: dubitari non oportere, quin si permisit ei ita dari summas, teneri debeat.

Sed & cùm fullo peregre proficiscens rogasset quem, vt discipulis suis, quibus tabernam instructam tradiderat, imperaret: post cuius profectionem vestimenta disci-
B pulus accepisset,& fugisset: fullonem non teneri, si quasi procurator fuerit relictus. sin verò quasi institor: teneri eum. planè si adfirmarit mihi, rectè me credere operariis suis: non institoria, sed ex locato tenebitur.

Dominus tenetur ex contractu institoris circa id, ad quod præpositus est expresse vel tacitè: nisi fortè præpositioni repugnet. Bar.

Non tamen omne, quod cum institore geritur, obligat eum, qui præposuit: sed ita, si eius rei gratia, cui præpositus fuerat, contractū est. proinde si præposui ad mercium distractionē: tenebor nomine eius ex empto actio-
C ne. Item si fortè ad emendum præposuero: tenebor dumtaxat ex vendito. Sed neque si ad emendum, & ille vendiderit: neque si ad vendendum, & ille emerit: debebo teneri. idemque Cassius scribit. Sed & si pecuniam quis crediderit institori ad emendas merces præposito, locus est institoriæ. idemque si ad pensionem pro taberna exsoluendam. quod ita verum puto: nisi prohibitus fuit mutuari. Si ei, quem ad vendendum emendumúe oleum præposui, oleum mutuum datum sit: dicendum erit institoriam locum habere. Item si institor cùm oleum vendidisset, anulum arræ nomine acceperit, neque eum reddat: dominum institoria teneri. Nam eius rei, *in quam præpositus est, contractum est: nisi fortè mādatū ei fuit, pręsente pecunia vendere. quarè & si forte pignus institor

*Subintel lige causa.

institor ob preciũ acceperit, institoriæ locus erit. Item fideiussori quoque, qui pro institore interuenerit, institoria competit. eius enim rei sequela est. D

Si institor præponatur à defuncto, obligatur hæres: si à legitimo administratore, obligatur ille cuius negocia geruntur: si à procuratore, obligatur dominus & præponens. Idem in gestore ratihabitione secuta. Bartolus.

Si institor sit præpositus, is tamen decesserit, qui præposuit: & hæres ei exstiterit, qui eodem institore vtatur: sine dubio teneri eum oportebit. nec non si ante aditam hæreditatem cum eo contractum est: æquum est vel ignorãti dari institoriam actionem. Sed & si procurator meus, tutor, curatórve institorem præposuerit: dicendum erit, veluti à me præposito, dandam institoriam actionem. E

VI. PAVLVS *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

SEd & in ipsum procuratorem (si omnium rerum procurator est) dari debebit institoria.

VII. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

SEd & si quis meam rem gerens præposuerit, & ratum habuero: idem erit dicendum. Parui autem refert, quis sit institor: masculus, an fœmina: liber, an seruus: proprius, vel alienus. Item quisquis præposuit. nam & si mulier præposuit, competet institoria actio, exemplo exercitoriæ actionis. & si mulier sit præposita, tenebitur etiam ipsa. Sed & si filiafamiliâs sit, vel ancilla præposita: competit institoria actio. pupillus etiam institor obligat eum, qui eum præposuit, institoria actione: quoniam sibi imputare debet, qui eum præposuerit. F

VIII. CAIVS *lib.* VIII. *ad edictum prouinciale.*

NAm plerique & pueros puellasq́ue tabernis præponunt.

IX. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

VErùm si ipse pupillus præposuerit: siquidem tutoris authoritate: obligabitur. si minus: non.

X. CAIVS *lib.* VIII. *ad edictum prouinciale.*

EAtenus tamen dabitur in eum actio, quatenus ex ea re locupletior est.

XI. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

SEd & si pupillus hæres exstiterit ei, qui præposuerat:

æquissimum

æquissimum erit, pupillum teneri, quamdiu præpositus manet. remouendus enim fuit à tutoribus, si nollent vti A operaeius. Sed & si minor vigintiquinque annis erit, qui præposuit: auxilio ætatis vtetur, nec sine caussę cognitione. De quo palam proscriptum fuerit, ne cum eo contrahatur: is præpositi loco non habebitur. non enim permittendum erit cum eo, quasi cum institore, contrahere. sed si quis nolit contrahi, prohibeat. Cæterùm qui præposuit, tenebitur ipsa præpositione. Proscribere palàm sic accipimus, claris literis, vt de plano rectè legi possint: ante tabernam scilicet, vel ante eum locum, in quo negociatio exercetur: nec in loco remoto, sed in euidenti. Literis, vtrum Græcis, an Latinis? puto secundum loci conditionem: ne quis caussari possit ignorantiam literarum. B Certè si quis dicat, ignorasse se literas, vel non obseruasse, quod propositum erat, cùm multi legerent, cumque palàm esset propositum: non audietur. proscriptum autem perpetuò esse oportet. cæterùm si id temporis, quo propositum non erat, vel obscurata proscriptione, contractum sit: institoria locum habebit. proinde si dominus quidé mercis proscripsisset, alius autem sustulisset, aut vetustate, vel pluuia, vel quo simili contigisset, ne proscriptum esset, vel non parêret: dicendum est eum, qui præposuit, teneri. Sed si ipse institor decipiẽdi mei caussa detraxit: dolus ipsius pręponenti nocere debet: nisi particeps doli fuerit, qui contraxit. C Conditio autem prępositionis seruanda est. quid enim si certa lege, vel interuentu cuiusdam personæ, vel sub pignore voluit cum eo contrahi, vel ad certam rem? æquissimum erit id obseruari, in quo præpositus est. Item si cùm plures habuit institores, vel cum omnibus simul cõtrahi voluit, vel cum vno solo: sed & si denunciauit cui, ne cum eo contraheret: non debet institoria teneri. nam & certam personam possumus prohibere contrahere, vel certum genus hominum vel negociatorum: & certis hominibus permittere. sed si aliâs cum alio contrahi vetuit, continua variatione: danda est omnibus aduersus eum actio. neque enim decipi debent contrahentes. Sed si in totum prohibuit cum eo contrahi, præpositi loco non habetur: cùm magis hic custodis sit loco, quàm institoris. ergo nec vendere

vendere mercem hic poterit, nec modicum quid ex taberna. Si inſtitoria recte actum eſt, tributoria ipſo iure locum non habet. neque enim poteſt habere locum tributoria in merce dominica. quod ſi nō fuerit inſtitor dominicæ mercis: tributoria ſupereſt actio. D

Tenetur præponens, licet inter contrahentem & inſtitorem nō cadat obligatio, & dominus ſerui tenetur præponēti de peculio. Bar.

Si à ſeruo tuo operas vicarij eius códuxero, & eum merci meæ inſtitorem fecero, iſque tibi mercem vendiderit: emptio eſt. nam cùm dominus à ſeruo emit: eſt emptio, licet dominus non ſit obligatus iure ciuili: vſque adeo, vt etiam pro emptore & poſſidere, & vſucapere dominus poſſit.

XII. IVLIANVS *lib.* XI. *Digeſtorum.* E

ET ideo vtilis inſtitoria actio aduerſus me tibi competet: mihi verò aduerſus te, vel de peculio diſpenſatoris, ſi ex conducto agere velim: vel de peculio vicarij, quod ei mercem vendendā mandauerim. precium quoque, quo emiſti, in rem tuā verſum videri poterit, eò quod debitor ſerui tui factus es.

Qui ſe adſtringit ad vnam cauſſam, ſi non probat, ſuccumbit: nec iterum eadem actione etiam ſi ex alia cauſſa agat, agere poteſt: niſi prius reſtitutione præhabita. Bartolus.

XIII. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

HAbebat quis ſeruum merci oleariæ præpoſitū Arelati: eundemque & mutuis pecuniis accipiendis. acceperat mutuam pecuniā. putans creditor ad merces eum accepiſſe, egit propoſita actione. probare non potuit, mercis gratia eum accepiſſe. licet conſumpta eſt actio, nec amplius agere poterit, quaſi pecuniis quoque mutuis accipiendis eſſet præpoſitus: tamen Iulianus vtilem ei actionem competere ait. Meminiſſe autem oportebit, inſtitoria dominum ita demum teneri: ſi non nouauerit quis eam obligationem, vel ab inſtitore, vel ab alio nouandi animo ſtipulando. F

Si plures eundem inſtitorem præponunt: quilibet tenetur inſolidum, ſi inter eos pro ſocio, vel communi diuidundo agatur. quibus iudiciis ceſſantibus, quilibet tenetur pro parte. Bartolus.

Si duo pluréſve tabernam exerceant, & ſeruum, quem ex diſpa-

ex disparibus habebāt partibus, institorem proposuerint: vtrum pro dominicis partibus teneantur, an pro æqualibus: an pro portione mercis, an verò in solidum, Iulianus
A quærit? & verius esse ait, exemplo exercitorum, & de peculio actionis in solidum vnumquenque conueniri posse: & quidquid is præstiterit, qui conuentus est, societatis iudicio, vel communi diuidundo consequi. quam sententiam & suprà probauimus.

XIIII. PAVLVS *lib.* IIII. *ad Plautium.*

IDem erit, & si alienus seruus communi merci præpositus sit. nam aduersus vtrumque actio in solidum dari debet: & quod quisque præstiterit, eius partem societatis, vel communi diuidundo iudicio consequetur. certè vbicunque actio societatis vel communi diuidundo cessat:
B quemque pro parte sua condemnari oportere constat: veluti si is, cuius seruo creditum est, duobus hæredibus institutis, ei seruo libertatem dederit. nam hæredum quisque pro sua parte conueniendus est: quia cessat inter eos communi diuidundo iudicium.

XV. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

NOuissimè sciendum est, has actiones perpetuò dari, & in hæredem, & hæredibus.

In negocio non quæstuario cessat institoria: aliàs secus. Bartolus.

XVI. PAVLVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

SI cùm villico alicuius contractum sit: non dabitur in
C dominum actio: quia villicus propter fructus percipiendos, non propter quæstum præponitur. si tamen villicum distrahendis quoque mercibus præpositum habuero: non erit iniquum, exemplo institoriæ, actionem in me cōpetere.

Venditio institoris obligat dominum vt tradat, & etiam redhibitoria. Bartolus.

XVII. IDEM *lib.* III. *ad edictum.*

SI quis mancipiis, vel iumentis, pecoribúsve emendis, vendendísue præpositus sit: non solùm institoria competit aduersus eum, qui præposuit: sed etiam redhibitoria, vel ex stipulatu duplæ simplæve in solidum actio danda est. Si seruum Titij institorem habueris: vel tecum ex hoc edicto, vel cum Titio ex inferioribus edictis agere

re potero. Sed si tu cum eo contrahi vetuisti: cum Titio dumtaxat agi poterit. D

Mandatum institoris non finitur morte mandantis. Bartolus.

Si impubes patri habenti institores, hæres exstiterit, deinde cum his contractum fuerit: dicendum est, in pupillum dari actionem, propter vtilitatem promiscui vsus: quemadmodum vbi post mortem tutoris, cuius authoritate institor præpositus est, cum eo contrahatur. Certè eius contractus nomine, qui ante aditam hæreditatem intercessit: & si furiosus hæres exstiterit, dandam actionem, etiam Pomponius scripsit. non enim imputandum ei est, qui sciens dominum decessisse, cum institore exercente mercem contrahat. Proculus ait. si denunciauero tibi, ne seruo à me præposito crederes: exceptionem dandam, E SI ILLE ILLI NON DENVNCIAVERIT, NE ILLI SERVO CREDERET. sed si ex eo cōtractu peculium habeam, aut in rem meam versum sit: nec velim, quo locupletior sim, soluere: replicari de dolo oportet. nam videri me dolum facere, qui ex aliena iactura lucrum quæram. Ex hac caussa etiam condici posse, verum est.

XVIII. IDEM *lib. singulari de variis lectionibus.*

INstitor is est, qui tabernæ locóve ad emendum vendendúmve præponitur, quíve sine loco ad eundem actum præponitur.

XIX. PAPINIANVS *lib.* IIII. *Responsorum.* F

IN eum, qui mutuis accipiendis pecuniis procuratorem præposuit, vtilis ad exemplum institorię dabitur actio. quod æquè faciendum erit, & si procurator soluendo sit, qui stipulanti pecuniam promisit. Si dominus, qui seruum institorem apud mensam pecuniis accipiēdis habuit, post libertatem quoque datam idem per libertum negocium exercuit: varietate status nō mutabitur periculi caussa. Tabernæ præpositus à patre filius, mercium caussa mutuam pecuniam accepit. pro eo pater fideiussit. etiam institoria ab eo petetur, cùm acceptæ pecuniæ speciem fideiubendo tabernæ negocio miscuerit.

Institor non obligat dominum, nisi ad id ad quod est præpositus. Bartolus.

Seruus

Seruus pecuniis tātùm fœnerandis præpositus, per intercessionem æs alienum suscipiens, aut institor, dominum
A in solidum iure prætorio non adstringit. quod autem pro eo, qui pecuniam fœnerauit, alij per delegationem promisit: à domino rectè petetur, cui pecuniæ creditæ contra eum, qui delegauit, actio quæsita est.

Contrahens apposito nomine officii, in dubio contemplatione officii contrahere videtur, & institor finito officio non tenetur. Bar.

XX. SCAEVOLA *lib* V. *Digestorum.*

LVcius Titius mensæ numulariæ, quam exercebat, habuit libertum præpositum. is Caio Seio cauit in hæc verba. Octauius Terminalis, rem agens Octauij Felicis, Domitio Felici salutem. Habes penes mēsam patroni mei
B denarios mille, quos denarios vobis numerare debebo pridie kalendas Maias. quæsitum est, Lucio Titio defuncto sine hærede, bonis eius venditis, an ex hac epistola iure conueniri Terminalis possit? respondi, nec iure his verbis obligatum, nec æquitatem cōueniendi eum superesse: cùm id ex institoris officio ad fidem mensæ præstandam scripsisset.

DE TRIBVTORIA ACTIOne. Titu. IIII.

De eo quod contractum est in merce peculiari cum eo, qui est in
C *alterius potestate eo sciente, competit tributoria, & verbum merces, accipitur generaliter: & verbum peculiare, nulla facta deductione. & verbum scientia, pro patientia, & verbum potestatis, etiam generaliter accipitur.* Bartolus.

VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

HVius quoque edicti non minima vtilitas est: vt dominus, qui alioquin in serui contractibus priuilegium habet (quippè cùm de peculio dumtaxat teneatur, cuius peculij æstimatio deducto eo, quod domino debetur, fit) tamen si scierit seruum in peculiari merce negociari: velut extraneus creditor, ex hoc edicto in tributum vocetur.

Licet mercis appellatio angustior sit, quàm vt ad seruos fullones, vel sarcinatores, vel textores, vel vena-

liciarios pertineat: tamen Pedius libro decimoquinto ſcribit, ad omnes negociationes porrigendum edictum. D

Peculiarem autem mercem, non ſicuti peculium accipimus: quippe peculium deducto, quod domino debetur, accipitur: merx peculiaris, etiam ſi nihil ſit in peculio, dominum tributoria obligat: ita demum, ſi ſciente eo negociabitur. Scientiam hic eam accipimus, quæ habet & voluntatem. ſed (vt ego puto) non voluntatem, ſed patientiam. *non enim velle debet dominus, ſed non nolle. ſi igitur ſcit, & non proteſtatur, ac contradicit: tenebitur actione tributoria. Poteſtatis verbum ad omnem ſexum, item ad omnes, qui ſunt alieno iuri ſubiecti, porrigendum erit. Non ſolùm ad ſeruos pertinebit tributoria actio, verùm ad eos quoque, qui nobis bona fide ſeruiunt: ſiue liberi, ſiue ſerui alieni ſunt, vel in quibus vſumfructum habemus. E

Id eſt, non nolle. c. 3. de re. iur.

II. PAVLVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

VT tamen merx, qua peculiariter negocietur, ad nos pertineat.

III. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

SEd & ſi ſeruus communis ſit, & ambo ſciant domini: in vtrumlibet ex illis dabitur actio. quod ſi alter ſciuit, alter ignorauit: in eum, qui ſciuit, dabitur actio: deducetur tamé in ſolidum, quod ei, qui ignorauit, debetur. At ſi ipſum quis ignorantem conuenerit: quoniam de peculio conuenitur, deducetur etiam id, quod ſcienti debetur, & quidem in ſolidum. nam & ſi ipſe de peculio conuentus eſſet: in ſolidum, quod ei deberetur, deduceretur, vt Iulianus libro duodecimo Digeſtorum ſcripſit. F

Dolus tutoris & curatoris non nocet his quorum negocia adminiſtrant, niſi quatenus ſunt locupletiores: & tunc tenentur cedere actionem, ſed ipſorum adminiſtrantium ſcientia ſufficit ad hanc actionem: pupillorum verò & adultorum dolus ipſis nocet, ſed ſcientia non ſufficit. procuratoris verò dolus & ſcientia nocet. Bar.

Si ſeruus pupilli vel furioſi, ſciente tutore vel curatore, merce peculiari negocietur: dolum quidem tutoris vel curatoris nocere pupillo vel furioſo non debere puto, nec tamen lucroſam eſſe debere. & ideo hactenus eum ex dolo tutoris tributoria teneri, ſi quid ad eum peruenit. idem & in furioſo

in furioso puto: quamuis Pomponius libro octauo Epistolarum, si soluendo tutor sit, ex dolo eius pupillum
A teneri scripserit. & sanè hactenus tenebitur, vt actionem, quam contra tutorem habet, præstet. Sed & si ipsius pupilli dolo factũ sit (si eius ætatis sit, vt doli capax sit) efficere, vt teneatur: quamuis scientia eius non sufficit ad negociationem. quid ergo? scientia quidem tutoris & curatoris debet facere locum huic actioni: dolus autem, quatenus noceat, ostendi.

IIII. PAVLVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

SI pupillus, cuius tutor scierit, pubes factus, vel furiosus sanæ mentis, dolum admittant: tenentur ex hoc edicto.

V. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

B PRocuratoris autem scientiam & dolum nocere debere domino, neque Pomponius dubitat, nec nos dubitamus.

Si sint plures, quorum vnus est dominus, alius quasi dominus, vtriusque scientia & ignorantia contemplatur, vt inducat hanc actionem. Bartolus.

Si vicarius serui mei negocietur, siquidem me sciente: tributoria tenebor. si me ignorante, ordinario sciente: de peculio eius actionem dandam, Pomponius libro sexagesimo scripsit: nec deducendum ex vicarij peculio, quod ordinario debetur: cùm id, quod mihi debetur, deducatur. Sed si vterque scierimus: & tributoriam, & de peculio
C actionem competere ait: tributoriã, vicarij nomine: de peculio vero, ordinarij. eligere tamen debere agenté, qua potius actione experiatur: sic tamen, vt vtrumque tribuatur, & quod mihi, & quod seruo debebitur: cum si seruus ordinarius ignorasset, integrũ deduceretur, quod ei à vicario deberetur. Sed & si ancilla negociabitur, admittédam tributoriam dicimus. Item parui refert, cum ipso seruo contrahatur, an cum institore eius.

Contrahentes tantùm circa merces habent actionem. contrahentes in potestate deducunt debitum eis etiam extra caussam mercis: nisi creditores ratione pignoris præferãtur. & sola merces, vel quod ex eis est redactum, veniunt in tributum. Bartolus.

MERCIS NOMINE meritò adiicitur: ne omnis negociatio cũ eo facta tributoriã inducat. Per hanc actio-

nem tribui iubetur,quod ex ea merce, & quod eo nomine receptum eſt. In tributum autem vocantur,qui in poteſtate ſeruos habent, à creditoribus mercis. Sed eſt quæſitum: vtrum dominus ita demum partietur ex merce,ſi quid ei mercis nomine debeatur: an verò & ſi ex alia cauſſa?& Labeo ait, ex quacunque cauſſa ei debeatur: paruiq; referre,ante mercem, an poſtea debere ei quid ſeruus cœperit.ſufficere enim, quod priuilegium deductionis perdidit.quid tamen ſi qui contrahebant, ipſam mercem pignori acceperint? puto debere dici, præferendos domino iure pignoris.Siue autem domino,ſiue his,qui in poteſtate eius ſunt, debeatur: vtique erit tribuendum. Sed & ſi duo pluréſve domini ſunt: vtique omnibus tribuetur pro rata ſui debiti. Non autem totum peculium venit in tributum,ſed id dũtaxat,quod ex ea merce eſt:ſiue merces manent, ſiue precium earum receptum conuerſúmve eſt in peculium.Sed & ſi adhuc debeatur mercis nomine à quibuſdam,quibus ſolebat ſeruus diſtrahere:hoc quoque tribuetur, pro vt fuerit receptum. Si propter mercem ſeruus iſte in taberna habet inſtrumentum:an hoc quoque tribuatur? & Labeo ait,etiam hoc tribui. & eſt æquiſſimũ. plerumque enim hic apparatus ex merce eſt, imò ſemper. cætera tamen, quæ extra hæc in peculium habuit,nõ tribuentur(vtputa argentum habuit vel aurum)niſi ſi hęc ex merce comparauit. Item ſi mancipia in negociatione habuit ex merce parata:etiam hæc tribuentur.

Si plures ſint negociationes,vel vna,ſed plura loca: plures & ſeparatæ fient contributiones. Bartolus.

Si plures habuit ſeruus creditores,ſed quoſdam in mercibus certis: an omnes in idem confundendi erunt,& omnes in tributum vocandi? vtputa duas negociationes exercebat (puta ſagariam & lintearíam) & ſeparatos habuit creditores. puto ſeparatim eos in tributum vocari. vnuſquiſque enim eorum merci magis, quàm ipſi credidit. Sed & ſi duas tabernas eiuſdem negociationis exercuit, & ego fui tabernæ (verbi gratia) quam ad Bucinum habuit, ratiocinator: alius eius, quam trans Tyberim: æquiſſimum puto, ſeparatim tributionem faciendam: ne ex alterius re mercéve, alij indemnes fiant, alij damnum ſentiant.

sentiant.

A *Creditores habentes personales actiones, vocãtur in tributum: & habentes reales, suum integrum consequuntur.* Bartolus.

Planè si in eadem taberna merces eædem deferebantur: licet hæ, quæ exstent, ex vnius creditoris pecunia sint cõparatæ: dicendum erit, omnes in tributum venire, nisi fuerint creditori pignoratæ. Sed & si dedi mercem meam vendendam, & exstat: videamus, ne iniquum sit in tributum me vocari. & siquidem in creditum abij: tributio locum habebit. enimuero si non abij: quia res venditæ nõ aliâs desinent esse meæ (quamuis vendidero) nisi ære soluto, vel fideiussore dato, vel aliâs satisfacto: dicendum erit, vindicare me posse.

B *Creditores accipientes cauent se reddituros aliis creditoribus emergentibus, & etiam ipsi domino, qui potest si vult peculio renunciare.* Bartolus.

Tributio autem fit pro rata eius, quod cuique debetur. & ideo si vnus creditor veniat, desiderans tribui sibi integram portionem: consequitur. sed quoniam fieri potest, vt alius quoq;, vel alij existere possint mercis peculiaris creditores: cauere debet creditor iste, pro rata se refusurum, si fortè alij emerserint creditores.

VI. PAVLVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

NOn enim hæc actio, sicut de peculio, occupantis meliorem caussam facit: sed æqualem conditionẽ quãdoque agentium.

C

VII. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

ILlud quoque cauere debet: siquidem aliud domini debitum emerserit, refusurum se ei pro rata. finge enim cõditionale debitum imminere, vel in occulto esse. hoc quoque admittendum est. nam iniuriam dominus pati non debet, licet in tributum vocatur. quid tamen, si dominus tribuere nolit, nec hanc molestiam suscipere: sed peculio, vel mercibus cedere paratus sit? Pedius refert, audiendum eum. quæ sententia habet æquitatem: & plerumque arbitrum in hanc rem prætor debebit dare, cuius interuentu tribuantur merces peculiares.

Ex dolo commisso in male vel nihil contribuendo quis hac actione tenetur. Bartolus.

Si cuius dolo malo factum eſt, quò minus ita tribueretur: in eum tributoria datur, vt quantò minus tributum D ſit, quàm debuit, præſtet. quæ actio dolum malum coërcet domini. Minus autem tribuere dominus videtur, etiam ſi nihil tributum eſt. Si tamen ignorans in merce ſeruum habere, minus tribuit: non videtur minus dolo tribuiſſe. ſed re comperta, ſi non tribuat: dolo non caret. proinde ſi ex ea merce ſibi ſolui fecit: vtique dolo videtur minus tribuiſſe. Sed & ſi mercem perire paſſus eſt, aut eam auertit, aut vilioris data opera diſtraxit, vel ſi ab emptoribus precium non exegit: dicendum erit, teneri eum tributoria, ſi dolus interuenit. Sed & ſi negauerit dominus cuiquam deberi: videndum erit, an tributoriæ locus ſit. & eſt verior Labeonis ſententia, tributoriam locum habere. alioquin expediret domino negare. E

Actio iſta non eſt de dolo, ideo datur perpetuò: ſed eſt propter dolum, nec purgatur per actionem ex contractu: ideo hæres tenetur inquantum ad eum peruenit. Bartolus.

Hæc actio & perpetuò, & in hæredem datur, de eo dũtaxat, quod ad eum peruenit,

VIII. IVLIANVS *lib.* XV. *Digeſtorum.*

QVia non de dolo eſt, ſed rei perſecutionem cõtinet. quare etiam dominus mortuo ſeruo, itẽ hæres eius, perpetuò teneri debebit ꝑpter factũ defuncti: quãuis non aliter, quàm dolo interueniente, competat.

IX. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.* F

QVod in hæredẽ dicimus, idem erit & in cæteris ſucceſſoribus. Eligere quis debet, qua actione experiatur: vtrum de peculio, an tributoria: cùm ſcit ſibi regreſſum ad aliam nõ futurum. planè ſi quis velit ex alia cauſſa tributoria agere, ex alia cauſſa de peculio: audiendus erit.

Tenetur hæres qui ſeruo dedit libertatem ſine cautione vel deductione: & ex hoc ſuo dolo tenetur inſolidum. Bartolus.

Si ſeruo in teſtamẽto manumiſſo peculium legatum ſit: non debere hæredem tributoria teneri, quaſi neque ad eũ peruenerit, neq; dolo fecerit, Labeo ait. ſed Põponius libro ſexageſimo ſcripſit: hæredem, niſi curauerit caueri ſibi à ſeruo, vel deduxerit de peculio, quod tribuendum erat:

erat: teneri tributoria. quæ sententia non est sine ratione.
A ipse enim author doli est, qui egit, ne tribueret. toties enim in hæredem damus de eo, quod ad eum peruenit: quoties ex dolo defuncti conuenitur, non quoties ex suo.

X. PAVLVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

DE peculio actione etiam cum emptore serui agi potest: tributoria non potest.

XI. CAIVS *lib.* VIII. *ad edictum prouinciale.*

ALiquando etiam agentibus expedit potius de peculio agere, quàm tributoria. nam in hac actione, de qua loquimur, hoc solum in diuisione venit, quod in mercibus est, quibus negociatur, quódque eo nomine receptum est: at in actione de peculio totius peculij quantitas spectatur,
B in quo & merces continentur. & fieri potest, vt dimidia forte parte peculij, aut tertia, vel etiam minore negocietur. fieri præterea potest, vt patri dominóve nihil debeat.

De peculio deducitur id, ad quod quis ex dolosa difficultate tenetur. Bartolus.

XII. IVLIANVS *lib.* XXII. *Digestorum.*

ALius dumtaxat de peculio, alius tributoria serui nomine cum domino agit. quæsitum est, an deducere dominus de peculio debeat, quod tributoria agenti præstaturus sit? Respondi. tributoria actione tunc demum agi potest, cùm dominus in distribuendo precium mercis edicto prætoris non satisfecit: id est, cùm maiorem partem
C debiti sui deduxit, quàm creditoribus tribuit. veluti si cùm in merce triginta fuissent, in quam ipse quidem quindecim crediderat. duo autem extranei triginta: tota quindecim deduxerit, & creditoribus reliqua quindecim dederit: cùm deberet sola decem deducere, extraneis dena tribuere. cùm igitur hoc fecit: nec intelligendus est, seruum à se liberasse, eo quòd quinque adhuc nomine eius tributoria actione præstaturus sit. quare si agi de peculio cœperit (cùm fortè extra mercem peculium est) quinque, tanquam adhuc creditor serui, deducere debebit.

QVOD CVM EO, QVI IN ALIE- *na potestate est, gestum esse dicetur.*

Titulus V.

CAIVS lib. IX. *ad edictum prouinciale.*

*Omnia

OMnino* proconsul agit, vt qui contraxit cum eo, qui in aliena potestate fuit: etiam si deficiant superiores actiones, id est, exercitoria institoria, tributoriáve: nihilominus tamen, in quantũ ex bono & æquo res patitur, suum consequatur. siue enim iussu eius, cuius in potestate est, negocium gestum fuerit: in solidum eo nomine iudicium pollicetur. siue non iussu, sed tamen in rem eius versum fuerit: eatenus introduxit actionem, quatenus in rem eius versum fuerit. siue neutrum eorum sit: de peculio actionem constituit. D

II. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

AIt prætor. IN EVM, QVI EMANCIPATVS AVT EXHAEREDATVS ERIT, QVIVE ABSTINVERIT HAEREDITATE EIVS, CVIVS IN POTESTATE, CVM MORIRETVR, FVERIT: EIVS REI NOMINE, QVAE CVM EO CONTRACTA ERIT, CVM IN POTESTATE ESSET: SIVE SVA VOLVNTATE, SIVE IVSSV EIVS, IN CVIVS POTESTATE ERIT, CONTRAXERIT: SIVE IN PECVLIVM IPSIVS, SIVE IN PATRIMONIVM EIVS, CVIVS IN POTESTATE FVERIT, EA RES REDACTA FVERIT: ACTIONEM CAVSSA COGNITA DABO. IN ID, QVOD FACERE POTEST. Sed & si citra emancipationem sui iuris factus sit, vel in adoptionem datus, deinde pater naturalis decesserit: itẽ si quis ex minima parte sit institutus: æquissimum est, caussa cognita etiam in hũc dari actionem in id, quod facere potest. E F

In hac actione deducitur, quod debetur creditoribus priuilegiatis, vel postea contrahentibus, non aliis. Bartolus.

III. IDEM *lib.* III. *Disputationum.*

SEd an hîc detrahi debeat, quod aliis debetur, tractari potest. & siquidem sint creditores, qui cùm esset alienæ potestatis, cum eo contraxerũt: rectè dicetur, occupantis meliorem esse conditionem, nisi si quis priuilegiarius veniat. huius enim non sine ratione prius ratio habebitur.

quòd

quòd si qui sunt, qui postea, quàm sui iuris factus est, cum
A eo contraxerunt: puto horum rationem habendam.

Institutus ex parte non modica, potest conueniri in solidum, vel pro hæreditaria portione: & interdum habet beneficium, ne conueniatur, vltra quàm facere possit. Bartolus.

IIII. IDEM *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

SEd & si ex parte non modica sit hæres scriptus filius: in arbitrio est creditoris, vtrum pro portione hæreditaria, an in solidum eum conueniat? Sed & hic iudex æstimare debet, ne fortè in id, quod facere potest, debeat conueniri. Interdum autem & si exhæredatus filius, vel emancipatus sit, in solidum actio aduersus eum dabitur: vtputa si patremfamiliâs se mentitus est, cùm contraheretur cum
B eo. nam libro secundo Digestorum Marcellus scripsit: etiam si facere non possit, conueniendum propter mendacium. Quanquam autem ex contractu in id, quod facere potest, actio in eum datur: tamen ex delictis in solidum conuenietur. Soli autem filio succurritur, non etiam hæredi eius. & Papinianus libro nono Quæstionum scribit, in hæredem filij in solidum dandam actionem. Sed an etiam temporis ratio haberi debeat: vt siquidem ex continenti cum filio agatur, detur actio in id, quod facere potest: si verò post multos annos, nõ debeat indulgeri? & mihi videtur, rationem habendam esse. in hoc enim caussę cognitio vertitur. Is, qui de peculio egit, cũ posset QVOD
C IVSSV: in ea caussa est, ne possit QVOD IVSSV post ea agere: & ita Proculus existimat. & si errore deceptus, de peculio egit: putat Celsus succurrendum ei. quæ sententia habet rationem.

Beneficium huius edicti habet etiam locum contra actionem iudicati. Bartolus.

V. PAVLVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

SI filiusfamiliâs viuo patre conuentus, & condemnatus sit: in emancipatum, vel exhæredatum postea, iudicati actio in id, quod facere potest, danda est.

Fideicommissarius vniuersalis in effectu hæres esse videtur. Bar.

Si filio exhæredato ex senatusconsulto Trebelliano hæreditas patris restituta sit: non debebit in quantũ facere potest, sed in solidum condemnari. effectu enim quodammodo

modo hæres est. Sed si coactus immiscuerit se, vt restituat hæreditatem: perinde obseruandum, ac si se abstinuisset. D

Propter mendacium perditur istud beneficium. Bartolus.

VI. VLPIANVS *lib. I. Disputationum.*

EVm, qui se patremfamiliâs simulauit, & mandante aliquo stipulatus est: mandati teneri, Marcellus scribit, quamuis rem præstare non possit. & sanè verum est, teneri eum debere: quia dolo fecit. hoc & in omnibus bonæ fidei iudiciis dicendum erit.

Potest agi contra hæredes pro hæreditatis portione, vel contra filium insolidum: sed in condemnatione filius habebit huius edicti beneficium. Bartolus.

VII. SCAEVOLA *lib. I. Responsorum.*

PAter filio permisit mutuam pecuniam accipere, & per epistolam creditori mandauit, vt ei crederet. filius ex minima parte patri hæres exstitit. Respondi, esse in potestate creditoris, vtrum filium, cui credidisset, in solidum: an hæredes, pro qua parte quisque successisset, mallet conuenire. sed filius condemnatur, in quantum facere potest. E

Ex sola patientia videtur quis institorem præponere. Item iudex appellationis potest sententiam confirmare ex noua caussa. Bartolus.

VIII. PAVLVS *lib. I. Decretorum.*

TItianus Primus præposuerat seruum mutuis pecuniis dandis, & pignoribus accipiendis. sed seruus etiam negociatorib' hordei solebat pro emptore suscipere debitum, & soluere. cùm fugisset seruus, & is, cui obligatus fuerat dare precium hordei, conueniret dominum nomine institoris: negabat eo se nomine conueniri posse, quia non in eam rem præpositus fuisset. cùm autem & alia quædam gessisse, & horrea conduxisse, & multis soluisse, idem seruus probaretur: præfectus annonæ contra dominum dederat sententiam. dicebamus, quasi fideiussionem esse videri, cùm pro alio solueret debitum. non solere autem ex ea caussa in dominum dari actionem: nec videri hoc dominum mandasse. Sed quia videbatur, in omnibus eum suo nomine substituisse: sententiam confirmauit Imperator. F

DE SENATVSCONSVLTO MAcedoniano. Tit. VI.

In hūc titulū Alexā. ab Alexā. lib. I. ca. 3.

A

Ex mutuo facto filiofamilias non competit actio cum effectu contra ipsum etiam factum sui iuris, quia obstat exceptio Macedoniani. *Paulus de castro.*

VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

VErba senatusconsulti Macedoniani hæc sunt. CVM INTER CAETERAS SCELERIS CAVSSAS MACEDO, QVAS ILLI NATVRA ADMINISTRABAT, ETIAM AES ALIENVM ADHIBVISSET: ET SAEPE MATERIAM PECCANDI MALIS MORIBVS PRAESTARET, QVVM PECVNIAM (NE QVID AMPLIVS DICATVR) INCERTIS NOMINIBVS CREDERET: PLACERE, NE CVI, QVI FILIOFAMILIAS MVTVAM PECVNIAM DEDISSET, ETIAM POST MORTEM PARENTIS EIVS, CVIVS IN POTESTATE FVISSET, ACTIO PETITIOQVE DARETVR: VT SCIRENT, QVI PESIMO EXEMPLO FOENERARENT, NVLLIVS POSSE FILIIFAMILIAS BONVM NOMEN, EXPECTATA PATRIS MORTE, FIERI. Si pendeat, an sit in potestate filius (vtputa quoniam patrem apud hostes habet) in pendenti est, an in senatusconsultum sit commissum. nam si reciderit in potestatem: senatusconsulto locus est. si minus: cessat. interim igitur deneganda est actio. Certè & si adrogatus mutuam pecuniam acceperit, deinde sit restitutus, vt emanciparetur: senatusconsultum locum habebit. fuit enim filiusfamiliâs. In filiofamiliâs nihil dignitas facit, quò minus senatusconsultum Macedonianum locum habeat. nam & si consul sit, vel cuius vis dignitatis, senatusconsulto locus est: nisi fortè castrense peculium habeat. tunc enim senatusconsultum cessabit,

B

C

II. IDEM *lib.* XXX. *ad edictum.*

VSq; ad quantitatē castrēsis peculij: cū filiifamiliarū in castrensi peculio vice patrumfamiliarū fungātur.

Communis

Communis opinio, quem excusat. item in pupillo & minore præsumitur ignorantia. Bar. D

III. IDEM *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

SI quis patremfamiliâs esse crediderit, non vana simplicitate deceptus, nec iuris ignorantia: sed quia publicè paterfamiliâs plerisque videbatur, sic agebat, sic contrahebat, sic muneribus fungebatur: cessat senatusconsultum. vnde Iulianus lib. duodecimo Digestorum, in eo, qui vectigalia conducta habebat, scribit, & est sæpe constitutum, cessare senatusconsultum. proinde & in eo, qui scire non potuit, an filiusfamiliâs sit: Iulianus lib. duodecimo Digestorum, cessare senatuscõsultum ait. vtputa in pupillo, vel minore vigintiquinque annis. sed in minore caussa cognita, & à prætore succurrendum. in pupillo autem, etiam E alia ratione debuit dicere, cessare senatusconsultum: quod mutua pecunia non sit, quam sine tutoris authoritate pupillus dat: quemadmodum ipse Iulianus lib. duodecimo Digestorũ dicit, si filiusfamiliâs crediderit: cessare senatusconsultum, quod mutua pecunia non sit, quamuis liberam peculij administrationem habuit. non enim perdere ei peculium patrem concedere, cùm peculij administrationem permittit. & ideo vindicationem numorum patri superesse ait. Is autem solus senatusconsultum offendit, qui mutuam pecuniam filiofamiliâs dedit, non qui aliâs contraxit: puta vendidit, locauit, vel alio modo contraxit. nam pecuniæ datio perniciosa parentibus eorum visa est. ideo F & si in creditũ abij filiofamiliâs, vel ex caussa emptionis, vel alio contractu, in quo pecuniam non numeraui, & stipulatus sim: licet cœperit esse mutua pecunia: tamen quia pecuniæ numeratio cõcurrit, cessat senatusconsultũ. quod ita demum erit dicendum, si non fraus senatusconsulto sit cogitata: vt qui credere non potuit, magis ei venderet, vt ille rei precium haberet in mutui vicem. Si à filiofamiliâs stipulatus sum, & patrifamiliâs facto crediderim: siue capite minutus sit, siue morte patris, vel aliâs sui iuris sine capitis deminutione fuerit effectus: debet dici, cessare senatusconsultum: quia mutua pecunia iam patrifamiliâs data est.

IIII. SCAEVOLA *lib.* II. *Quæstionum.*

Quia

A QVia quod vulgo dicitur, filiofamiliâs credi non licere: nõ ad verba, ſed ad numerationẽ referendũ eſt.

V. PAVLVS *lib.* II. *Quæſtionum.*

ERgo hic & in ſolidum damnabitur, non in id, quod facere poteſt.

VI. SCAEVOLA *lib.* II. *Quæſtionum.*

COntrà etiam rectè dicetur, ſi à patrefamiliâs ſtipulatus, credam poſtea filiofamiliâs facto, ſenatuſconſulti poteſtatem exercendam: quia expleta eſt numeratione ſubſtantia obligationis.

Filiusfamiliâs fideiubendo obligatur, niſi factum fuerit in fraudem. Idem eſt in conſtitutione duorum reorum. Bar.

VII. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

B ITem ſi filiusfamiliâs fideiuſſerit: Neratius libro primo & ſecundo Reſponſorum, ceſſare ſenatuſconſultũ ait. Idem & Celſus lib. quarto. Sed Iulianus adiicit. ſi color quæſitus ſit, vt filiusfamiliâs, qui mutuam accepturus erat, fideiuberet alio reo dato: fraudem ſenatuſconſulto factam nocere, & dandam exceptionem tam filiofamiliâs, quàm reo: quoniam & fideiuſſori filij ſubueniatur. Idem ait. ſi duos reos accepero, filiumfamiliâs & Titium, cùm ad filiumfamiliâs eſſet peruentura pecunia: ideo autem reum Titium acceperim, ne quaſi fideiuſſor auxilio ſenatuſconſulti vteretur: vtilem eſſe exceptionem aduerſus fraudem dandam. Sed ſi filiusfamiliâs patre ſuo relegato, vel lon-
C go tempore abſente, dotem pro filia promiſerit, & rem patris pignori dederit: ſenatuſcõſultum quidem ceſſabit, patris tamen res non tenebitur. planè ſi patri hæres exſtiterit filius, & pignus perſequatur: exceptione doli ſubmouebitur. Mutui dationem non ſolùm numeratæ pecuniæ, verum omnium, quæ mutuo dari poſſunt, an accipere debeamus, videndum. ſed verba videntur mihi ad numeratam pecuniam referri. ait enim ſenatus, MVTVAM PECVNIAM DEDISSET. ſed ſi fraus ſit ſenatuſconſulto adhibita: puta frumento, vel vino, vel oleo mutuo dato, vt his diſtractis fructibus, vteretur pecunia: ſubueniendum eſt filiofamiliâs. Si filiusfamiliâs in alterius erat poteſtate, cùm mutua daretur, nunc item in alterius: mens ſenatuſconſulti nõ ceſſat. dabitur ei itaque exceptio.

Sed &

Sed & ſi patris eius non mors, ſed alia cauſſa inciderit, quò minus ſit in ciuitate: dicendum, ſenatuſconſulto locum eſſe. D

Hæc exceptio eſt in rem ex parte eius, cui opponitur. Bar.

Non ſolùm ei, qui mutuam dediſſet, ſed & ſucceſſoribus eius deneganda eſt actio. proinde & ſi alius pecuniam mutuam dedit, alius ſtipulatus eſt: dabitur aduerſus eum exceptio, licet hic non dederit. Sed & ſi alteruter eorum ignorauit in patris eſſe poteſtate ſe: verius dicendum eſt, vtrique alterius ſcientiam nocere. idem eſt in duobus reis ſtipulandi.

In duobus reis debendi inſpicitur conditio eius, ad quem pecunia peruenit. Bar.

Item ſi duos filiosfamiliâs accepero reos, ſed alterum putaui patremfamiliâs: intererit ad quem peruenerit pecunia: vt ſi eum ſciui filiumfamiliâs, ad quem peruenit pecunia: exceptione ſubmouear. ſi ad eum, quem ignorem: nõ ſubmouear. Siue autem ſub vſuris mutua ſit data, ſiue ſine vſuris: ad ſenatuſconſultum ſpectat. E

Hæc exceptio competit filiofamiliâs & fideiuſſoribus eius, nõ tamen ei, qui inſtitorem præponit tacitè vel expreſſe. Bar.

Quanquam autem non declaret ſenatus, cui exceptionem det: tamen ſciendum eſt, & hæredem filij, ſi paterfamiliâs deceſſerit: & patrem eius, ſi filiusfamiliâs deceſſerit, exceptione vti poſſe. Interdum tamen & ſi ſenatuſconſulto locus ſit, tamen in alium datur actio: vtputa ſi filiusfamiliâs inſtitor mutuam pecuniã acceperit. ſcribit enim Iulianus lib. duodecimo, ipſum quidem inſtitorem exceptione ſenatuſconſulti vſurum, ſi conueniatur: ſed inſtitoriam actionem aduerſus eum, qui præpoſuit, competere. quamquam (inquit) ſi ipſe pater eum præpoſuiſſet merci ſuæ, vel mercem peculiarem exercere paſſus eſſet, ceſſaret ſenatuſconſultum: quoniam patris voluntate contractum videretur. nam ſi ſcit eum negociari: etiam hoc permiſiſſe videtur, ſi non nominatim prohibuit mutuum accipere. proinde ſi accepit pecuniam, & in rem patris vertit: ceſſat ſenatuſconſultum. patri enim, non ſibi accepit. Sed & ſi ab initio non ſic accepit, verum poſtea in rem patris vertit: ceſſare ſenatuſconſultum, lib. duodecimo Digeſtorum F

gestorum Iulianus ait:intelligendumque esse,ab initio sic
A accepisse,vt in rem patris verteret. non tamen vertisse videbitur, si mutuam pecuniam acceptam patri in debitum proprium soluit.& ideo si pater ignorauit:adhuc senatusconsulto locus erit. Quod dicitur in eo, qui studiorum caussa absens mutuum acceperat,cessare senatuscósultum: ita locum habet,si probabilé modũ in mutuando non excesserit:nempe eam quantitatem,quam pater solebat subministrare.

Hanc exceptionem cessare facit in necessariam caussam acceptio; & patris solutio, & pignoris datio vsque ad pignorum quantitatem.Bar.

Si filiusfamiliâs acceperit mutuam pecuniam, vt eum
B liberaret,qui si peteret,exceptione non submoueretur: senatusconsulti cessabit exceptio. hoc amplius cessabit senatusconsultum, si pater soluere cœpit, quod filiusfamiliâs mutuum sumpserat, quasi ratum habuerit. Si paterfamiliâs factus partem soluerit debiti,cessabit senatuscósultum:nec solutum repetere potest.

VIII. PAVLVS *lib.* XXX.*ad edictum.*

CVm tamen à curatore per ignorãtiam solutum sit,repetere potest.

IX. VLPIANVS *lib.* XXVIII.*ad edictum.*

SEd si paterfamiliâs factus,rem pignori dederit: dicendum erit,senatusconsulti exceptionem ei denegandam
C vsque ad pignoris quantitatem. Si ab alio donatam sibi pecuniam filius creditori soluerit: an pater vindicare, vel repetere possit? & ait Iulianus, siquidem hac conditione ei donata sit pecunia,vt creditori soluat: videri à donatore profectam protinus ad creditorem,& fieri numos accipientis.si verò simpliciter ei donauit:alienationem eorum filium non habuisse.& ideo si soluerit, condictionem patri ex omni euentu competere. Hoc senatusconsultum ad filias quoque familiarum pertinet.nec ad rem pertinet, si adfirmetur,ornamenta ex ea pecunia comparasse. nam si ei quoque,qui filiofamiliâs credidit, decreto amplissimi ordinis actio denegatur: nec interest, cósumpti sint numi, an exstent in peculio: multò igitur magis seueritate senatusconsulti eius contractus improbabitur, qui filiæfamiliâs

liâs mutuum dedit. Non ſolùm filiofamiliâs & patri eius ſuccurritur, verùm fideiuſſori quoque, & mandatori eius: quia & ipſi mandati habent regreſſum: niſi fortè animo donandi interceſſerint. tunc enim cùm nullum regreſſum habeant, ſenatuſconſultum locum non habebit. Sed ſi non donandi animo, patris tamen voluntate interceſſerũt: totus contractus à patre videbitur comprobatus. & tamen hi, qui pro filiofamiliâs, ſine voluntate patris eius interceſſerunt, ſoluendo non repetent. hoc enim & diuus Hadrianus conſtituit, & poteſt dici non repetituros. atquin perpetua exceptione tuti ſunt. ſed & ipſe filiusfamiliâs: & tamen non repetit: quia hi demum ſolutum non repetũt, qui ob pœnam creditorum actione liberantur, non quoniam exonerare eos lex voluit. Quamquam autem ſoluendo non repetunt: D E

X. PAVLVS lib. XXX. ad edictum.

QVia naturalis obligatio manet:

XI. VLPIANVS lib. XXVIII. ad edictum.

TAmen ſi non oppoſita exceptione condemnati ſunt: vtentur ſenatuſconſulti exceptione. & ita Iulianus ſcribit in ipſo filiofamiliâs, exemplo mulieris intercedentis.

XII. PAVLVS lib. XXX. ad edictum.

SI tamen ſciente patre creditum ſit filio: dicendum eſt, ceſſare ſenatuſconſultum. Sed & ſi iuſſerit pater filio credi, deinde ignorante creditore mutauerit voluntatem: locus ſenatuſconſulto non erit, quoniam initium contractus ſpectandum eſt. F

XIII. CAIVS lib. XIII. ad edictum prouinciale.

SI quod alij mutuum dedimus, à filiofamiliâs nouandi cauſſa ſtipulemur: non eſſe impedimento ſenatuſconſultum, Iulianus ſcripſit.

XIIII. IVLIANVS lib. XII. Digeſtorum.

FIlium habeo, & ex eo nepotem. nepoti meo creditum eſt iuſſu patris eius. quæſitum eſt, an contra ſenatuſcõſultum fieret? dixi. & ſi verbis ſenatuſconſulti filij continerentur, tamen & in perſona nepotis idem ſeruari debere. iuſſum autem huius patris non efficere, quò minus contra ſenatuſconſultum creditum exiſtimaretur: cùm ipſe in

ea cauſſa

ea caussa esset, vt pecuniam mutuam inuito patre suo accipere non posset.

A

XV. MARTIANVS *lib.* XIIII. *Institutionum.*

NIhil interest, quis filiofamiliâs crediderit: vtrum priuatus, an ciuitas. nam in ciuitate quoque senatusconsultum locum habere, diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.

Ratione conuentionis, qui epistolam recipit, videtur adprobare quod in epistola continetur. Bar.

XVI. PAVLVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

SI filiusfamiliâs absente patre, cùm quasi mandatu eius pecuniam acciperet, cauit: & ad patrem literas emisit, vt eam pecuniam in prouincia solueret: debet pater, si a-

B ctum improbat, continuò testationem interponere contrariæ voluntatis.

XVII. IDEM *lib.* II. *Sententiarum.*

SI filiusfamiliâs in id acceperit mutuam pecuniam, vt eam pro sorore sua in dotem daret: pater eius de in rê verso actione tenebitur. ipsi enim, mortua in matrimonio puella, repetitio dotis datur.

Mortuo filiofamiliâs, qui mutuum accepit dum erat in potestate, pro illa obligatione non potest accipi fideiussor. Bar.

XVIII. VENVLEIVS *lib.* I *Stipulationum.*

CReditorem filiifamiliâs, mortuo eo, fideiussorem accipere non posse, Iulianus scribit: quia nulla obliga-

C tio aut ciuilis, aut naturalis supersit, cui fideiussor accedat. planè à patre, eius actionis nomine, quæ de peculio aduersus eum competit, fideiussorem rectè accipi.

XIX. POMPONIVS *lib.* V. *ex variis lectionibus.*

IVlianus scribit, exceptionem senatusconsulti Macedoniani nulli obstare nisi ei, qui sciret: aut scire potuisset, filiumfamiliâs eum esse, cui credebat.

XX. IDEM *lib.* III. *Senatusconsultorum.*

SI is, cui dum in potestate patris esset, mutua pecunia data fuerat: paterfamiliâs factus, per ignorantiam facti, nouatione facta eam pecuniam expromiserit: si petatur ex ea stipulatione, in factum excipiendum erit.

DIGESTORVM SEV PANdectarum Liber decimusquintus. D

DE PECVLIO. Tit. I.

VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

ORDINARIVM prætor arbitratus eſt, prius eos contractus exponere eorũ, qui alienæ poteſtati ſubiecti ſunt, qui in ſolidum tribuunt actionem: ſic deinde ad hoc peruenire, vbi de peculio datur actio. Eſt autem triplex hoc edictum. aut enim de peculio, aut de in rem verſo, aut quod iuſſu hinc oritur actio. Verba autem edicti talia ſunt. QVOD CVM EO, QVI IN ALTERIVS POTESTATE ESSET, NEGOCIVM GESTVM ERIT. E

De eo loquitur, non de ea: ſed tamen & ob eam, quæ eſt fœminini ſexus, dabitur ex hoc edicto actio. Si cũ impubere filiofamiliâs, vel ſeruo contractum ſit: ita datur in dominum vel patrem de peculio actio, ſi locupletius eorum peculium factum ſit. Poteſtatis verbum communiter accipiendum eſt, tam in filio, quàm in ſeruo: nec magis dominium ſeruorum ſpectandum, quàm facultas habendi eos. non enim ſolùm ſeruorum propriorum nomine conueniemur, item communium: verùm eorum quoque, qui bonæ fide nobis ſeruiunt, ſiue liberi, ſiue ſerui alieni. F

II. POMPONIVS *lib.* III. *ad Sabinum.*

EX ea cauſſa, ex qua ſoleret ſeruus fructuarius vel vſuarius adquirere: in eum, cuius vſusfructus, vel vſus ſit, actio dumtaxat de peculio, cæteræque honorariæ dãtur: ex reliquis in dominum proprietatis.

III. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

LIcet tantùm prætor, ſi cum eo, qui in poteſtate ſit, negocium geſtum erit, polliceatur actionem: tamen

sciendum est, & si in nullius sit potestate, dari de peculio actionem: vtputa si cum seruo hæreditario contractum sit
A ante aditam hæreditatem. Vnde Labeo scribit. & si secundo tertioúe gradu substitutus sit seruus, & deliberantibus primis hæredibus cum eo contractum sit, mox repudiantibus eis ipse liber hæresque exstiterit: posse dici, de peculio eum conueniri, & de in rem verso. Parui autem refert, seruus quis masculi, an mulieris fuerit. nam de peculio & mulier conuenietur. Pedius etiam impuberes dominas de peculio obligari ait. non enim cum ipsis impuberibus contrahitur, vt tutoris authoritatem spectemus. Idem adiicit, pupillum non posse seruo peculium constituere, nec tutoris authoritate. In furiosi quoque
B curatorem dicimus dandam de peculio actionem. nam & huius seruus peculium habere potest: non si fuerit concessum, vt habeat: sed si non fuerit prohibitum, ne habeat.

Seruus fideiubendo vel mandando extra causam de peculio: non obligat dominum de peculio: sed fideiussori dato à filio contra patrē, actione hac succurritur, si ipse est creditor. aliàs mandatarius totum condicit, & fideiussor vtitur exceptione. Bar.

Si filiusfamiliàs vel seruus pro aliquo fideiusserint, vel aliâs interuenerint, vel mandauerint: tractatum est, an sit de peculio actio. & est verius, in seruo caussam fideiubendi, vel mandandi spectandam. quam sententiam & Celsus
C libro sexto probat in seruo fideiussore. si igitur quasi intercessor seruus interuenerit, non rem peculiarem agens: non obligabitur dominus de peculio. Iulianus quoque libro duodecimo Digestorum scribit. si seruus mandauerit, vt creditori solueretur: referre ait, quam caussam mandandi habuerit. si pro creditore suo solui mandarit: obligatum esse dominum de peculio. quod si intercessoris officio functus sit: non obligari dominum de peculio.

Cui cógruit, quod idem Iulianus scribit. si à filio meo fideiussorem accepero: quidquid à fideiussore accepero, id me non de in rem verso, sed de peculio actione mandati præstaturum. idem accipias & in serui fideiussore. idéque si alius mihi pro filio meo debitore soluisset. quòd si filius meus debitor non fuisset: exceptione doli fideius-

ſorem vſurum: & ſi ſoluiſſet, cóndicturum ſcribit. Si ſeruus, cùm ſe pro libero gereret, compromiſit: quæritur, an de peculio actio ex pœna compromiſſi, quaſi ex negocio geſto danda ſit, ſicuti traiectitiæ pecuniæ datur? Sed hoc & Neruæ filio, & mihi videtur verius, ex compromiſſo ſerui non dandam de peculio actionem: quia nec ſi iudicio condemnetur ſeruus, datur in eum actio. D

Filius fideiubendo, compromittendo, & cotrahendo, patrem obligat de peculio. h. d & in hoc differt à ſeruo. Bar.

Sed ſi filius fideiuſſor, vel quaſi interuentor acceptus ſit: an de peculio patrem obliget, quæritur? & eſt vera Sabini & Caſſij ſententia exiſtimantium, ſemper obligari patrem de peculio, & diſtare in hoc à ſeruo. quarè & ex compromiſſo pater tenebitur: & ita Papinianus quoque libro nono Quæſtionum ſcribit. nec intereſt ait, ex qua cauſſa compromiſerit: vtrum ex ea cauſſa, ex qua potuit cum patre de peculio agi: an verò ex ea, ex qua non potuit, cùm ex ſtipulatu pater conueniatur. E

In iudicio quaſi contrahitur: & ideo iudicati pater tenetur, primæ actionis origine non inſpecta. Bar.

Idem ſcribit, iudicati quoque patrē de peculio actione teneri. quod Marcellus putat etiam eius actionis nomine, ex qua non potuit pater de peculio actionem pati. nam ſicut ſtipulatione contrahatur cum filio, ita iudicio contrahi. proinde non originem iudicij ſpectandam, ſed ipſam iudicati veluti obligationem. quarè & ſi quaſi defenſor condemnatus ſit: idem putat. F

Ex maleficio non datur hac actio, niſi inquantum locupletatur peculium. Bar.

Ex furtiua cauſſa à filio quidem familiâs condici poſſe conſtat. an verò in patrem vel in dominum de peculio danda ſit, quæritur? & eſt verius, in quantum locupletior dominus factus eſt, ex furto facto actionem de peculio dandam. idem Labeo probat: quia iniquiſſimum eſt, ex furto ſerui dominum locupletari impune. nam & circa rerum amotarum actionem filiæfamiliâs nomine in id, quod ad patrem peruenit, competit actio de peculio.

Qui obligatur ſaluam facere rem pupilli, non obligatur de quolibet ſingulari. Bar.

Si ſi-

Si filiusfamiliâs duûmuir pupillo rem saluam fore ca-
A ueri non curauit: Papinianus libro nono Quæstionum de peculio actionem competere ait. nec quidquam mutare arbitror, an voluntate patris decurio factus sit: quoniam rempublicam saluam fore pater obstrictus est.

Peculium sola voluntate domini constituitur, interueniente traditione vera vel ficta. Secus si nulla traditio interueniat. Bar.

IIII. POMPONIVS *lib.* IX. *ad Sabinum.*

PEculii est non id, cuius seruus seorsum à domino rationem habuit: sed quod dominus ipse separauit in substantiam seruo, suum à serui ratione discernens nam cùm serui peculium totum adimere, vel augere, vel minuere
B dominus possit: animaduertendum est, non quid seruus, sed quid dominus constituendi seruilis peculij gratia fecerit. Sed hoc ita verum puto, si debito seruum liberare voluit dominus: vt etiam si nuda voluntate remiserit dominus, quod debuit, desinat seruus debitor esse. si verò nomina ita fecerit dominus, vt quasi debitorem se seruo faceret, cùm debitor non esset: contrà puto. re enim, non verbis peculium augendum est. Ex his apparet, nõ quod seruus ignorante domino habuit, peculium esse: sed quod volente. alioquin & quod subripuit seruus domino, fiet peculij. quod non est verum. Sed sæpe fit, vt ignorante domino, incipiat minui serui peculium: veluti cùm damnum domino dat seruus, aut furtum facit.
C Si opem ferente seruo meo, furtum feceris mihi: id de peculio deducendum est, quod minus ob rem subreptam consequi possim. Si ære alieno dominico exhauriatur peculium serui: res tamen in caussa peculiari manet. nam etsi aut seruo donasset debitum dominus, aut nomine serui alius domino intulisset: peculium suppleretur, nec esset noua concessione domini opus. Non solùm id in peculium vicariorum ponendum est, cuius rei à domino, sed etiam id, cuius ab eo, cuius in peculio sunt, seorsum rationem habent.

In negocio gesto computantur contractus depositi, & precarii, & iuramenti delatio à filiofamiliâs facta. Bar.

V. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

DEpoſiti nomine pater vel dominus dumtaxat de peculio conueniuntur, & ſi quis dolo malo eorum captus ſit. Sed & ſi precariò res filiofamiliâs vel ſeruo data ſit: dumtaxat de peculio pater dominusúe obligatur. Si filiusfamiliâs iuſiurandum detulerit, & iuratum ſit: de peculio danda eſt actio, quaſi contractum ſit. ſed in ſeruo diuerſum eſt. Peculium dictum eſt, quaſi puſilla pecunia, ſiue puſillum patrimonium. Peculium autem, Tubero quidem ſic definiuit (vt Celſus libro ſexto Digeſtorum refert) quod ſeruus domini permiſſu ſeparatum à rationibus dominicis habet, deducto inde, ſi quid domino debetur. D

VI. CELSVS *lib.* VI. *Digeſtorum.*

DEfinitionem peculij, quam Tubero expoſuit, Labeo ait, ad vicariorum peculia non pertinere. quod falſum eſt. nam eo ipſo, quod dominus ſeruo peculium conſtituit, etiam vicariis conſtituiſſe exiſtimandus eſt. E

Informis patientia habetur pro conſenſu in iis, quæ ſunt modici praiudicii: ſecus ſi magni. Bar.

VII. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

QVam Tuberonis ſententiam & ipſe Celſus probat: & adiicit, pupillum vel furioſum conſtituere quidem peculium ſeruo non poſſe: verùm antè conſtitutum, id eſt vel ante furorem vel à patre pupilli, nō adimi ex his cauſſis. quæ ſententia vera eſt, & congruit cum eo, quod Marcellus apud Iulianum notans adiicit: poſſe fieri, vt apud alterum ex dominis ſeruus peculium habeat, apud alterū non: vt puta ſi alter ex dominis furioſus ſit, vel pupillus: ſi vt quidam (inquit) putant peculiū ſeruus habere non poteſt, niſi concedente domino: ego autem puto, non eſſe opus concedi à domino, peculium ſeruum habere, ſed non adimi, vt habeat. Alia cauſſa eſt peculij liberæ adminiſtrationis. nā ſpecialiter concedenda eſt. F

Scire autem non vtique ſingulas res debet ex neceſſitate, ſed παχυμερέστερον. & in hanc ſententiam Pomponius inclinat. Tam autem pupillum filium, quàm ſeruum peculium habere poſſe, Pedius libro decimoquinto ſcribit: cùm hoc (inquit) totum ex domini conſtitutione pendeat. Ergo & ſi furere cœperit ſeruus vel

filius,

filius, retinebunt peculium. In peculio autẽ res esse posſ
A sunt omnes, & mobiles, & soli. vicarios quoque in peculium potest habere, & vicariorum peculium. hoc amplius & nomina debitorum. Sed & si quid furti actione seruo debetur, vel alia actione: in peculium computabitur. hæreditas quoque, & legatum, vt Labeo ait. sed & id, quod dominus debet, sibi in peculium habebit: si fortè in domini rationes impédit, & dominus ei debitor manere voluit: aut si debitorem eius dominus conuenit. quare si fortè ex serui emptione euictionis nomine duplum dominus exegit: in peculium serui erit conuersum: nisi fortè dominus eo proposito fuit, vt nollet hoc esse in peculium serui. Sed & si quid ei conseruus debet, erit peculij: si modò ille ha-
B bet peculium, vel habebit.

VIII. PAVLVS *lib.* XVII. *ad Sabinum.*

NOn statim quod dominus voluit ex re sua peculij esse, peculium fecit: sed si tradidit, aut cùm apud eum esset, pro tradito habuit. desiderat enim res naturalem dationem. Contrà autem, simul atque noluit peculium serui: desinit peculium esse.

Quod dominus subtraxit vel deleuit, non est in peculio. secus si seruus subtraxit. Bartolus.

IX. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

SEd si damnum seruo dominus dederit in peculio: hoc non computabitur, non magis, quàm si subripuerit.

C Planè si conseruus dederit damnum, vel subripuerit: in peculium videtur haberi. & ita Pomponius lib. vicesimosecundo scribit. nam & si quid dominus ab eo, qui rem peculiarem subripuit: vel consecutus est, vel consequi potuit: in peculium esse computandum, Neratius libro secundo Responsorum scribit. Peculium autem deducto, quod domino debetur, computandum est: quia præuenisse dominus, & cum seruo suo egisse creditur. Huic definitioni Seruius adiecit, ET SI QVID HIS DEBEATVR, QVI SVNT IN EIVS POTESTATE: quoniam hoc quoque domino deberi, nemo ambigit.

Præterea id etiam deducetur, quod his personis debetur, quæ sunt in tutela, vel in cura domini, vel patris, vel quorum negocia administrant: dúmodo dolo careāt: quo-

 niam

niam & si per dolum peculium vel ademerint, vel minuerint, tenentur. nam si semper præuenire dominus & agere videtur: cur non dicatur etiam hoc nomine eum secũ egisse, quo vel tutelæ, vel negociorum gestorum, vel vtili actione tenebitur. nam (vt eleganter Pedius ait) ideo hoc min⁹ in peculio est, quod domino vel patri debetur: quoniam non est verisimile, dominum id concedere seruo in peculium habere, quod sibi debetur. sanè cùm ex cæteris caussis ipsum à semetipso exegisse dicimus, qui negocia vel tutelã gerit: cur non etiã in specie peculiari exegerit, quod exigi debuit? defendendum igitur erit, quasi sibi eũ soluere, cũ quis agere de peculio conabitur. Sed & creditor serui, qui hæres exstitit domino eius, deducit de peculio, quod sibi debetur: siue libertatem seruus acceperit, siue non. idemque etsi purè legatus sit seruus. nam quasi præuenerit, & ipse cum seruo egerit: sic deducet, quod sibi debetur, si conueniatur: licet nullo momento dominium in manumisso, vel legato purè habuerit. & ita Iulianus libro duodecimo scribit. certè si sub conditione seruus libertatem acceperit, minus dubitatur. & Iulianus eodem loco scribit, hæredem deducere. dominus enim factus est. ad defensionem sententiæ suæ Iulianus etiam illud adfert: quod si ei, qui post mortem serui, vel filij intra annum potuit conueniri de peculio, hæres exstiterim: proculdubio deducam, quod mihi debetur. Siue autem ex contractu quid domino debeatur, siue ex rationum reliquis: deducet dominus. Sed etsi ex delicto ei debeatur: vtputa ob furtũ, quod fecit: æquè deducetur. Sed est quæstionis, vtrum ipsa furti æstimatio, id est solum, quod domino abest: an verò tantũ, quantũ si alienus seruus cómisisset, id est cum furti pœnis? sed prior sententia verior est, vt ipsa furti æstimatio sola deducatur. Si ipse seruus sese vulnerauerit: non debet hoc damnum deducere: non magis, quàm si se occiderit, vel præcipitauerit. licet enim seruis naturaliter in suum corpus sæuire. sed si à se vulneratum seruum dominus curauerit: sumptuum nomine debitorem eum domino puto effectum: quanquàm si ægrum eum curasset, rem suam potius egisset. Item deducetur de peculio, si quid dominus serui nomine obligatus

D

E

F

gatus

gatus est, aut præstitit obligatus. ita & si quid ei creditum
A est iussu domini. nam hoc deducendũ Iulianus libro duodecimo Digestorum scribit. Sed hoc ita demum verum puto, si non in rem domini vel patris, quod acceptum est, peruenit. alioquin secum debebit compensare. Sed etsi pro seruo fideiusserit: deducendum Iulianus libro duodecimo Digestorum scribit. Marcellus autem in vtroque, si nondum quidquam domino absit: melius esse ait, præstare creditori, vt caueat refusurum se, si quid præstiterit dominus hoc nomine conuentus: quàm ab initio deduci, vt medij temporis interusurium magis creditor consequatur. Sed si de peculio conuentus dominus, & condemnatus est: debet in sequente actione de peculio deduci.
B sed si alius de peculio egit, & vicit, oportet deduci. cœpit enim dominus vel pater iudicati teneri. nam etsi quid serui nomine non condemnatus præstitisset: creditori etiam hoc deduceret.

X. CAIVS *lib.* VIII. *ad edictum prouinciale.*

SI verò adhuc in suspenso est, prius iudicium de peculio, & ex posteriore iudicio res iudicatur: nullo modo debet prioris iudicij ratio haberi in posteriore condemnatione: quia in actione & de peculio occupantis melior est conditio. occupare autem videtur, non qui prior litem contestatus est, sed qui prior ad sententiam iudicis peruenit.

C *Si dominus noxali conuentus pecuniam præstiterit, deducitur de peculio. secus si ipsum seruum. ex contractu verò vel quasi indistincte deducitur. quod de naturali debito intelligitur, à quo per deductionem liberabitur seruus.* Bartolus.

XI. IDEM. *lib.* IX. *ad edictum.*

SI noxali iudicio conuentus dominus litis æstimationem obtulerit: de peculio deducendum est. quod si noxæ dediderit: nihil est deducendum. Sed etsi quid dominus soluturum se serui nomine repromiserit: deduci oportebit, quemadmodum si quid domino seruus pro debitore expromiserit. Idem est, etsi pro libertate quid domino expromisit, quasi debitor domino sit effectus: sed ita demum, si manumisso eo agatur. sed si à debitore dominico seruus exegerit: an domino debitorem se fecerit, quæritur?

ritur? & Iulianus libro duodecimo Digestorum non aliter dominum deducturum ait, quàm si ratum habuisset, quod exactum est. eadem & in filiosfamiliâs dicenda sunt. & puto veram Iuliani sententiam. naturalia enim debita spectamus in peculij deductione. est autem natura æquum, liberari filium vel seruum obligatione, eo quod videtur in debitum exegisse. D

Quod semel deductum fuit verbo & re, iterum non deducetur. secus si verbo tantùm deductio facta fuit. Bartolus.

Est etiam quæstionis, an id quod dominus semel deduxit, cùm conueniretur: rursus, si conueniatur, de peculio eximere debeat: an verò veluti solutum ei videatur, semel facta deductione? & Neratius & Nerua putant. Item Iulianus libro duodecimo Digestorum scribit: siquidem abstulit hoc de peculio, non debere deduci. si verò eandem positionem peculij reliquit: debere eum deducere. E Denique scribit. si seruus vicarium quinque valentem in peculium habuisset, & domino quinque deberet, pro quibus vicarium dominus deduxisset: & postea, vicario mortuo, alium eiusdem precij seruus comparasset: non desinere domini esse debitorem, quasi vicarius ille domino decesserit: nisi fortè, cùm eum seruo ademisset, & sibi soluisset, tunc decesserit. Idem rectè ait. si cùm vicarius valeret decem, dominus conuentus de peculio, quinque pro eo seruo præstitisset, quoniam quinque ipsi debebantur: mox hic vicarius decessisset: aduersus alium agentem de peculio, decem dominum deducturum: quia in eo, quod iam F pro eo soluit, debitorem sibi seruum fecerit. quæ sententia vera est: nisi seruo ademit vicarium, vt sibi solueret. Quod autem deduci debere diximus id, quod debetur ei, qui de peculio conuenitur: ita accipiendum est, si non hoc aliunde consequi potuit. denique Iulianus scribit, venditorem, qui seruum cum peculio vendidit, si de peculio cõueniatur, non debere deducere, quod sibi debetur. potuit enim hoc ex ratione peculij detrahere, & nunc condicere, quasi indebitum: quoniam non est in peculio, quod domino debetur. potest etiam (inquit) ex vendito agere. quod ita erit probandum, si tantum fuit in peculio, cùm venderet, vt satisfacere debito dominus posset. cæterùm si postea

postea quid accessit, conditionibus debiti existentibus, A quod dominus non distraxerat: contrà erit dicendũ. idem scribit: si quis seruum, cuius nomine de peculio habebat actionem, comparasset: an possit deducere, quod sibi debeatur, quoniam aduersus venditorem habet actionem de peculio? & rectè ait posse. nam & quiuis alius potest eligere, vtrum cum emptore, an cum venditore agere velit. hũc igitur eligere posse pro actione deductionem. nec video quid habeant creditores, quod querantur: cùm possint ipsi venditorem conuenire, si quid fortè putant esse in peculio. Non solùm autem quod ei debetur, qui conuenitur, deducendum est: verùm etiam si socio eius quid debetur. & ita Iulianus libro duodecimo Digestorum scribit. nam B qua ratione in solidum alteruter conuenitur: pari ratione deducere eum oportet, quod alteri debetur. quæ sententia recepta est.

XII. IVLIANVS *lib.* XII. *Digestorum.*

QVia hoc casu etiam cum eo agi potest, penes quem peculium non est.

XIII. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

SEd in emptore & venditore vera non est, item in fructuario & proprietario, & cæteris, qui non sunt socij. sed & in domino, & bonæ fidei emptore. nam & Iulianus libro duodecimo Digestorum scribit, neutrum eorum deducere id, quod alteri debetur.

C XIIII. IVLIANVS *lib.* XII. *Digestorum.*

ITem cum testamento præsente die seruus liber esse iussus est: cum omnibus hæredibus de peculio agendũ est: nec quisquam eorum amplius deducet, quàm id, quod ipsi debetur. Item cùm seruus viuo domino mortuus est, deinde dominus intra annum plures hæredes reliquit: & de peculio actio, & deductionis ius scinditur.

XV. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

SEd & si duo sint bonæ fidei possessores: adhuc dicendum erit, neutrum plus deducturum, quàm quod sibi debetur. idemque, etsi duo sint fructuarij: quia nullam inter se habent societatem. idem dicitur interdum & in sociis: si fortè separata apud se peculia habeant: vt alter alterius

alterius peculij nomine non conueniatur. cæterùm si commune sit peculium: & in solidum conuenientur, & deducetur, quod vtrique debetur. D

XVI. IVLIANVS *lib.* XII. *Digestorum.*

QVis ergo casus est, quo peculium serui communis ad alterũ ex dominis solum pertineat? in primis si quis serui partem dimidiam vẽdiderit, nec peculium ei concesserit. deinde si quis seruo communi pecuniam, vel res aliquas ea mente dederit: vt proprietatem earum retineret, administrationem autem seruo concederet. MARCELLVS NOTAT. est etiam ille casus, si alter ademerit: vel si omni quidem modo concesserit dominus, sed in nominibus erit concessio.

Si agitur de peculio vicarii, deducitur quod ipse debet domino, vel ordinario. Item quod ordinarius debet domino: secus de eo quod ordinarius debet ordinario. Item dominus non tenetur de debito vicarii non habentis peculium. Bartolus. E

XVII. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

SI seruus meus ordinarius vicarios habeat: id quod vicarij mihi debent, an deducam ex peculio serui ordinarij? & prima illa quæstio est, an hæc peculia in peculio serui ordinarij computẽtur? & Proculus & Atilicinus existimant: sicut ipsi vicarij sunt in peculio, ita etiam peculia eorum. & id quidem, quod mihi dominus eorum, id est ordinarius seruus debet, etiam de peculio eorum detrahetur: id verò, quod ipsi vicarij debẽt, dumtaxat ex ipsorum peculio. Sed & si quid non mihi, sed ordinario seruo debent: deducetur de peculio eorum, quasi conseruo debitũ. id verò, quod ipsis debet ordinarius seruus, nõ deducetur de peculio ordinarij serui: quia peculium eorũ in peculio ipsi⁹ est. & ita Serui⁹ respõdit. Sed peculiũ eorũ augebitur (vt opinor) quemadmodum si dominus seruo suo debeat. F

XVIII. PAVLVS *lib.* III. *Quæstionum.*

CVi consequens est, vt si Sticho peculium suum legatum sit, isque ex testamento agat: non aliter cogatur id, quod vicarius eius testatori debet, relinquere: nisi is vicarius peculium habeat.

Maritus tenetur de peculio serui dotalis simpliciter, siue ad se siue ad vxorẽ pertineat. fructuarius verò vel dominus simpliciter non tenetur,

tenetur, ſed prius conueniendus eſt ille, ad quem negocium pertineat:& in ſubſidium deuenitur ad alium. Idem *in pluribus bonæ fidei poſſeſſoribus.* Bartolus.

A

XIX. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

Hinc quæritur: ſi ordinarij ſerui nomine actum ſit de peculio, an agi poſſit & vicariorum? & puto non poſſe: licet ſi actum ſit de peculio vicarij, agi poterit & de peculio ordinarij. Poteſt eſſe apud me duplicis iuris peculium: vtputa ſi ſeruus dotalis eſt, poteſt habere peculium, quod ad me reſpiciat: poteſt & quod ad mulierem. nam quod ex re mariti quæſiit, vel ex operis ſuis: id ad maritum pertinet. & ideo ſi reſpectu mariti hęres ſit inſtitutus, vel ei legatum datũ: id eum non debere reſtituere, Pomponius ſcribit. igitur ſi mecum agatur ex eo contractu, qui

B

ad me reſpicit: vtrum omne deducam, quidquid mihi debetur (ſiue ex mea cauſſa, ſiue ex ea, quæ ad vxorem reſpicit) an verò ſeparamus cauſſas, quaſi in duobus peculiis, vt & cauſſa debiti, quod petitur, ſpectetur: vt ſiquidem ex eo peculio agatur, quod ad mulierem ſpectat, id deducam, quod ex eo contractu debeatur: ſi ex eo contractu, qui ad me reſpicit, meum deducam? quæ quæſtio dilucidius eſt in fructuario tractata, vtrũ ex eo cõtractu demum poteſt de peculio conueniri, quod ad ſe pertinet, an ex omni? & Marcellus etiam fructuarium teneri ſcribit, ex omni cõtractu. eum enim, qui contrahit, totũ ſerui peculium,

C

velut patrimonium, intuitum. certè illud admittendum omnimodo dicit: vt priore conuento, ad quem res reſpicit, in ſuperfluum is, cui quæſitum non eſt, conueniatur. quæ ſententia probabilior eſt, & à Papiniano probatur. quod & in duobus bonæ fidei emptoribus erit dicendum. Sed in marito melius eſt dicere, ſimpliciter de peculio eum teneri. Sin autẽ maritus huiuſmodi ſerui nomine aliquid præſtiterit: an aduerſus mulierem agentem, dotis nomine deducere id poſſit? & ait, ſi id, quod creditori præſtitum eſt, ad vtriuſque generis peculium pertinebit: pro rata vtrique peculio decedere debere. ex quo intelligi poteſt, ſi ad alterum peculium contractus pertinebit: modo ſoli vxori detrahi: modò non detrahi, ſi ad id peculium pertinuit contractus, quod apud maritum reſedit. Interdum & ipſi

ipſi fructuario aduerſus dominum datur actio de peculio: vtputa ſi apud eum habeat peculium, apud ipſum verò aut nihil, aut minus, quàm fructuario debetur. idem etiam contrà eueniet: quamuis in duobus dominis ſufficiat pro ſocio, vel communi diuidundo actio. D

XX. PAVLVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

NAm inter ſe agere ſocij de peculio non poſſunt.

Hæc actio competit de eo, quod dolo conuenti in peculio eſſe deſiit: qui dolus præſumitur, ſi ademptio, intricatio, vel in alium translatio indebitè facta fuerit. Bartolus.

XXI. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

SVmma cum ratione etiam hoc peculio prætor imputabit, quod dolo malo domini factum eſt, quò minus in peculio eſſet. Sed dolum malum accipere debemus, ſi ei ademit peculium. ſed etſi eum intricare peculium in necem creditorum paſſus eſt, Mela ſcribit dolo malo eius factum. Sed & ſi quis, cùm ſuſpicatur alium ſecum acturũ, aliò peculium auertat: dolo non caret. ſed ſi alij ſoluerit: non dubito de hoc, quin non teneatur: quoniam creditori ſoluit, & licet creditori vigilare ad ſuum conſequendum. E

Si dolo tutoris, vel curatoris furioſi, vel procuratoris factum ſit: an pupillus, vel furioſus, vel dominus de peculio conueniatur, videndum eſt. & puto, ſi ſoluendo tutor ſit, præſtare pupillũ ex dolo eius: maximè ſi quid ad eum peruenit. ita & Pomponius libro octauo Epiſtolarum ſcribit. idem in curatore & procuratore erit dicendum. Emptor autem ex dolo venditoris non tenebitur, nec hæres, vel alius ſucceſſor: niſi in id, quod ad eum peruenit. Siue autem poſt iudicium acceptum, ſiue antè, dolo factum ſit: continetur officio iudicis. Si dominus vel pater recuſet de peculio actionem: nõ eſt audiendus, ſed cogendus, quaſi aliam quamuis perſonalem actionem ſuſcipere. F

XXII. POMPONIVS *lib.* VIII. *ad Sabinum.*

SI damni infecti ædium peculiarium nomine promiſit dominus: ratio eius haberi debet. & ideo ab eo, qui de peculio agit, domino cauendum eſt.

XXIII. IDEM. *lib.* IX. *ad Sabinum.*

AEdium autem peculiarium nomine in ſolidum damni infecti promitti debet, ſicut vicarij nomine noxale iudicium

dicium in solidum pati: quia pro pignore eas, si non defen
A dantur, actor possidet.

XXIIII. VLPIANVS *lib.* XXVII. *ad Sabinum.*

CVrator furiosi administrationé peculij & dare, & denegare potest, tam furiosi seruo, quàm filio.

XXV. POMPONIVS *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

ID vestimentum peculij esse incipit, quod ita dedit dominus, vt eo vestitu seruum perpetuò vti vellet: eóque nomine ei tradidit, ne quis alius eo vteretur, idque ab eo eius vsus gratia custodiretur. sed quod vestimentum seruo dominus ita dedit vtendum, vt non semper, sed ad certum vsum, certisque temporibus eo vteretur: veluti cùm sequeretur eum, siue cœnanti ministraret: id vestimentum
B non est peculij.

Si semel est habita ratio doli commissi per dominum vno agente, non debet amplius haberi alio agente: quia non debet bis compelli ad soluendum pro eodem dolo. Paulus de castro.

XXVI. PAVLVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

SI semel ex ea caussa, quod dolo fecerit, dominus pręstitit de peculio conuentus: cęteris ex eadem caussa nihil præstabit. sed & si tantundem seruus ei debeat, quantum dolo minuit: non erit condemnandus. his consequens erit, vt manumisso quoq;, vel alienato seruo, ex caussa doli intra annum teneatur.

XXVII. CAIVS *lib.* IX. *ad edictum prouinciale.*

C ET ancillarum & filiarumfamiliarum nomine de peculio actio datur: maximè si qua sarcinatrix, aut textrix erit, aut aliud artificium vulgare exerceat. datur propter eas actio depositi quoque: & commodati actionem dandam earum nomine, Iulianus ait. Sed & tributoriam actionem, si peculiari merce sciente patre dominóve negocientur, dandã esse, longè magis non dubitatur. etsi in rem versum est, quidve iussu patris dominíve contractum. Constat hæredem domini id quoque deducere debere, quod seruus, cuius nomine cum eo de peculio ageretur, ante aditam hæreditatem ex bonis hæreditariis amouisset, consumpsisset, corrupisset.

Seruo contra venditorẽ, & cõtra emptorem actio de peculio competit pro parte & in solidum. sed ipsi venditori de eo quod sibi, vel

serua

ſeruo eius debetur, non competit contra emptorem. emptori verò competit contra venditorem facta prius de ſuo peculio deductione. Bar. D

Si ſeruus alienatus ſit: quamuis in eum, qui alienauit, intra annum prætor de peculio actionem pollicetur: tamen nihilominus & in nouū dominum actio datur. & nihil intereſt, aliud apud eum adquiſierit peculium, an quod pariter cùm eum emit, vel ex donatione accepit, eidem conceſſerit. Illud quoque placuit, (quod & Iulianus probat) omnimodo permittendum creditoribus, vel in partes cum ſingulis agere, vel cum vno in ſolidum. Sed ipſi, qui vendidit ſeruum, non putat Iulianus de eo, quod ante venditionem credidit, cum emptore de peculio agere permittendum. Sed etſi alieno credidero, eúmque redemero, deinde alienauero: æquè nō putat mihi in emptorem debere dari. E In venditorem autem dumtaxat intra annum, poſt redemptionem numerādum, de eo quod adhuc alieno crediderim, dandam eſſe mihi actionem exiſtimat: deducto ſcilicet eo, quod apud me peculij ſeruus habebat. Sicut autem de eo, quod ipſe crediderim ſeruo meo, non putat Iulianus in emptorem, alienato eo, actionem mihi dari debere: ita & de eo, quod ſeruus meus ſeruo meo crediderit (ſi is, cui creditum fuerit, alienatus ſit) negat permitti mihi debere cum emptore experiri.

Vbi eſt communio ſerui & peculii, quilibet cōuenitur inſolidum, & etiam reſpectu peculii quod eſt penes alterum, & quod præſtiterit, ab alio conſequitur. Bartolus. F

Si quis cum ſeruo duorum pluriúmve cōtraxerit: permittendum eſt ei, cum quo velit dominorum, in ſolidum experiri. eſt enim iniquum in plures aduerſarios diſtringi eum, qui cum vno contraxit. nec huius dumtaxat peculij ratio haberi debet, quod apud eum, cum quo agitur, is ſeruus habet: ſed etiam eius, quod apud alterum. nec enim res damnoſa futura eſt ei, qui condemnatus eſt: cùm poſſit rurſus ipſe iudicio ſocietatis, vel communi diuidundo, quod amplius ſua portione ſoluit, à ſocio ſociíſve ſuis cōſequi. quod Iulianus ita locum habere ait, ſi apud alterum quoque fuit peculium: quia eo caſu ſoluendo quiſque ſocium etiam ære alieno liberare videtur. at ſi nullum ſit apud alterum peculium, contrà eſſe: quia nec liberare vllo modo

ære

ære alieno eum intelligitur.

A XXVIII. IVLIANVS *lib.* XII. *Digestorum.*

QVare & si socio neque hæres, neque bonorum possessor exstitisset: eatenus dãnari debet is, cum quo actũ fuerit, quatenus peculiũ apud eum erit, & quantum ex bonis consequi potest.

XXIX. CAIVS *lib.* IX. *ad edictum prouinciale.*

SI quis seruum testamento liberum esse iusserit, relictis hæredibus his, qui cum seruo contraxerunt: possunt inter se cohæredes vel de peculio agere: quia de eo quisque peculio, quod apud eum est, quolibet alio agente tenetur. Etiam si prohibuit cum seruo contrahi dominus, erit in eum de peculio actio.

B XXX. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

QVæsitum est, an teneat actio de peculio, etiam si nihil sit in peculio, cùm ageretur: si modò sit rei iudicatæ tempore? Proculus & Pegasus nihilominus teneri aiunt. intendi enim rectè, etiam si nihil sit in peculio. idem & circa ad exhibendum & in rem actionem placuit. quæ sententia & à nobis probanda est.

Hæc actio contra hæredẽ datur, quatenus ad eum ex peculio peruenit: sed filius cum quo contractum est, si est hæres, tenetur in solidum. & sic contra cohæredem actio est cedenda. Bartolus.

Si cùm ex parte hærede domini vel patris agatur: dumtaxat de peculio condemnandum, quod apud eum hæredem sit, qui conuenitur. idem & de in rem verso pro C parte: nisi si quid in ipsius hæredis rem vertisset. nec quasi vnum ex sociis esse hunc hæredem conueniendum, sed pro parte dumtaxat. Sed & si ipse seruus sit hæres ex parte institutus: æquè cum eo agendum erit. Si verò filius sit: quamuis ex parte institutus: nihilominus in solidũ actionem patietur. sed si velit pro partę nomen cohæredis redimere: audiendus est. quid enim, si in rem patris versum sit? cur non consequatur filius à cohærede, quod in patris re est? idem etsi peculium locuples sit. Is qui semel de peculio egit: rursus aucto peculio, de residuo debiti agere potest.

Exceptio quæ competit actori, non transit ad successorem, si in eius persona caussa cedendæ actionis deficiat: aliàs secus. Bartolus.

Si annua exceptione repulsus sit à venditore creditor: subueniri ei aduersus emptorē debet. sed si alia exceptione: hactenus, vt deducta ea quantitate, quam à venditore consequi potuisset, ab emptore residuum consequatur. D

Replicationes sunt temporales, sicut actiones. Bartolus.

In dolo obiiciendo temporis ratio habetur. fortassis enim post tempus de dolo actionis non patietur dolum malum obiici prætor: quoniam nec de dolo actio post statutum tempus datur. in hæredem autem doli clausula in id, quod ad eum peruenit, fieri debet: vltrà non.

XXXI. PAVLVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

SEd si ipse hæres dolo fecerit, solidum præstat.

Electione vnius ex pluribus non habentibus communionem serui & peculii, alii liberantur: sed de æquitate in residuo cæteri tenebuntur: & quantum sit in peculio, sententiæ tēpore inspicitur. Bartolus. E

XXXII. VLPIANVS *lib.* II. *Disputationum.*

SI ex duobus vel pluribus heredibus eius, qui manumisso seruo, vel libero esse iusso, vel alienato, vel mortuo, intra annum conueniri poterat, vnus fuerit conuentus: omnes heredes liberabuntur: quamuis non in maiore quantitate, quàm eius peculii, quod penes se habet, qui conuenitur, condemnetur. idque ita Iulianus scripsit. idemque est, & si in alterius rem fuerit versum. Sed etsi plures sint fructuarij, vel bonæ fidei possessores: vnus conuentus, cæteros liberat: quāuis non maioris peculij quantitate, quàm penes se est, condemnari debeat. Sed licet hoc iure contingat: tamen æquitas dictat, iudicium in eos dari, qui occasione iuris liberantur: vt magis eos perceptio, quàm intentio liberet. nam qui cum seruo contrahit: vniuersum peculium eius, quod vbicunque est, veluti patrimonium, intuetur. In hoc autem iudicio licet restauratur recedens: tamen & augmenti, & decessionis rationem haberi oportet. ideo siue hodie nihil sit in peculio, siue accesserit aliquid: præsens status peculij spectandus est. quare circa venditorem quoque & emptorem hoc nobis videtur verius: quod accessit peculio, posse nos ab emptore cōsequi: nec retrorsum, velut in vno iudicio, ad id tempus conuentionem reducere emptoris, quo venditor conuentus sit. F

Si pro peculio precium expresse non fuit constitutum: hic conuenitur a-

tur apud quē peculium reperitur. aliàs hic qui pro peculio precium nominatim recipit. Bartolus.

A Venditor serui si cum peculio seruum vendiderit,& tradiderit peculium: ne intra annum quidem de peculio conuenietur. neque enim hoc precium serui peculium est, vt Neratius scripsit.

XXXIII. IABOLENVS *lib.* XII. *ex Cassio.*

SEd si quis seruum ita vendiderit, vt precium pro peculio acciperet: penes eum videtur esse peculium, ad quē precium peculij peruenit,

XXXIIII. POMPONIVS *lib.* XII. *ex variis lectionib.*

NOn penes quem res peculiaris fit.

XXXV. IABOLENVS. *lib.* XII. *ex Cassio.*

B AT cùm hæres iussus est peculium dare, accepta certa summa: non videtur penes hæredem esse peculium.

In contractibus bonæ fidei pater & dominus non solùm de peculio, sed etiam de eorum proprio dolo tenentur. Bartolus.

XXXVI. VLPIANVS *lib.* II. *Disputationum.*

IN bonæ fidei contractibus quæstionis est, de peculio, an in solidū pater vel dominus teneatur? vt est in actione de dote agitatum, si filiofamiliâs dos data sit: an pater dumtaxat de peculio conueniatur? ego autem arbitror non solùm de peculio: sed & si quid prēterea dolo malo patris capta fraudatáq; est mulier, cōpetere actionem. nam si habeat res, nec restituere sit paratus: æquum est eum, quāti ea C res est, cōdemnari. nam quod in seruo, cui res pignori data est, expressum est: hoc & in cēteris bonæ fidei iudiciis accipiendum esse, Pomponius scribit. namque etsi seruo res pignori data sit: non solùm de peculio, & in rē verso competit actio: verùm hanc quoque habet actionem, ET SI QVID DOLO MALO DOMINI CAPTVS FRAVDATVSQVE EST ACTOR. videtur autem dolo facere dominus, qui cùm habet restituendi facultatem, non vult restituere.

Quando quantitas petitur vt species, ad aliam quantitatem non admittitur compensatio. Bartolus.

XXXVII. IVLIANVS *lib.* XII. *Digestorum.*

SI creditor filij tui hæredem te instituerit, & tu hæreditatem eius vendideris: illa parte stipulationis, quanta

pecunia ex hæreditate ad te peruenerit, teneberis de peculio. Si ſeruo tuo permiſeris vicariũ emere aureis octo, illе decem emerit,& tibi ſcripſerit ſe emiſſe octo,túque ei permiſeris eos octo ex tua pecunia ſoluere, & is decẽ ſoluit:hoc nomine duos aureos tãtùm vindicabis. ſed hi venditori præſtabuntur dumtaxat de peculio ſerui. D

Si cum vno agatur,eius peculii quod fuit apud eum qui quondã fuit ſocius, ratio non habetur. Item ſi agatur contra emptorem poſt annum, non habetur ratio eius quod eſt penes venditorem : ſecus ſi intra annum. Bartolus.

Seruum,quem cõmunem cum Titio,aut cum Sempronio habui:vendidi Titio antè, quàm eius nomine ageretur mecum de peculio.quæſitum eſt,ſi de peculio cum Titio, aut cum Sempronio ageretur: an eius peculij , quod apud me eſſet,ratio haberi debeat?dixi. ſi cum Sempronio ageretur , nunquam rationem eius peculij, quod apud me eſſet, haberi debere : quia is nullam aduerſus me actionem haberet,per quam id ,quod præſtitiſſet, conſequi poſſet. Sed & ſi cum Titio poſt annum, quàm vendidiſſem, ageretur:ſimiliter non eſſe computandum peculium,quod apud me eſſet : quia iam mecum agi de peculio non poſſet. Sin autem intra annum ageretur : tunc quoque habendam huius peculij rationem:poſtquam placuit,alienato homine,permittendum creditori,& cum venditore,& cum emptore agere. E

Quod quis à fructuario conſequi non potuit per actionem de peculio,recuperat à proprietario. Paulus de caſtro. F

Si actum ſit de peculio cum eo, qui vſumfructum in ſeruo habeat, & minus conſecutus ſit creditor : non eſt iniquum,vt ex vniuerſo eius peculio(ſiue apud fructuarium, ſiue apud proprietarium erit) rem cõſequatur. Nihil intereſt, operas ſuas conduxerit ſeruus à fructuario,an pecuniam mutuam ab eo acceperit. dari itaque debebit actio ei aduerſus dominum proprietatis, deducto eo,quod ſeruus peculij nomine apud fructuarium habet.

Vbi non eſt peculium , non poteſt actio de peculio intentari, ſed eſt ad alias actiones congruas recurrendum. Bartolus.

D XXXVIII. AFRICANVS *lib.* IX. *Quæſtionum.* Epoſui apud filiumfamiliâs decem, & ago depoſiti de pe-

de peculio. quāuis nihil patri filius debeat, & hæc decem
A teneat: nihilo magis tamen patrem damnandum existimauit, si nullum præterea peculium sit. hanc enim pecuniam, cùm mea maneat, non esse peculij. denique quolibet alio agente de peculio, minimè dubitādum ait, computari non oportere. itaque ad exhibendum agere me, & exhibitā vindicare debere.

Liberatio ab obligatione de dote soluto matrimonio absque alia condictione deducitur. Bartolus.

Si nuptura filiofamiliâs dotis nomine certā pecuniam promiserit, & diuortio facto agat de dote cum patre: vtrúmne tota promissione, an deducto eo, quod patri filius debeat, liberari eam oporteat? respondit. tota promissione
B eam liberādam esse: cùm certè etsi ex promissione cum eo ageretur, exceptione doli mali tueri se posset.

Quod debet domino seruus vicarius, qui non habet peculium, ex peculio ordinarii non deducitur. Bartolus.

Stichus habebat in peculio Pamphilum, qui est decem. idem Pamphilus debet domino quinque. si ageretur de peculio Stichi nomine: placebat æstimari debere precium Pamphili, & quidem totum: non deducto eo, quod domino Pamphilus deberet. neminem enim posse intelligi, ipsum in suo peculio esse. hoc ergo casu damnum dominum passurum, vt pateretur, si cuilibet alij seruorum suorum peculium non habēnti credidisset. idque ita se habe-
C re, euidentius appariturum ait, si Sticho peculium legatum esse proponatur: qui certè, si ex testamento agat, cogendus non est, eius, quod vicarius seruus suus debet, aliter, quàm ex peculio ipsius deductionem pati. alioquin futurum, vt si tantundem vicarius domino debeat: ipse nihil in peculio habere intelligatur. quod certè absurdum est.

Contractus qui celebrantur venditione serui perfecta, ad peculium quod penes venditorem remansit, non pertinent. Bartolus.

Seruo, quem tibi vendideram, pecuniam credidi. quæsitum est, an ita mihi in te actio de peculio dari debeat, vt deducatur id, quod apud me ex eo remanserit? quod quidem minimè verum est. nec interierit intra annum, quàm vendiderim, an postea, experiar. nam nec cæteris quidem,

qui tunc cum eo contraxerunt, in me actio datur. in contrarium quoque, agétibus mecum his, qui antea cum eo ser D
uo contraxissent: non deducam id, quod postea mihi debere cœperit. ex quo adparebit, onus eius peculij, quod apud me remansit, ad posterioris temporis cótractus pertinere non debere.

XXXIX. FLORENTINVS *lib.* X. *Institutionum.*

PEculiū & ex eo cōsistit, quod parsimonia sua quis parauit, vel officio meruit à quolibet sibi donari: idque, velut propriū patrimoniū, seruū suū habere quis voluit.

XL. MARTIANVS *lib.* V. *Regularum.*

PEculium nascitur, crescit, decrescit, & moritur. & ideo eleganter Papyrius Fronto dicebat, peculium homini simile esse. Quomodo autem peculium nascatur, E
quæsitum est. & ita veteres distinguunt, si id adquisiuit seruus, quod dominus necesse non habet præstare: id esse peculium. si verò tunicas, aut aliquid simile, quod ei dominus necesse habet præstare: non esse peculium. ita igitur nascitur peculium. crescit, cùm auctum fuit. decrescit, cùm serui vicarij moriuntur, res intercidunt. moritur, cùm ademptum est.

XLI. VLPIANVS *lib.* XLIII. *ad Sabinum.*

NEc seruus quidquam debere potest, nec seruo potest deberi. Sed & cum eo verbo abutimur: factum magis demonstramus, quàm ad ius ciuile referimus obligationem. itaque quod seruo debetur, ab extraneis dominus re- F
ctè petet. quod seruus ipse debet: eo nomine in peculium, & si quid inde in rem domini versum est, in dominum actio datur.

In patrem arrogatorem datur actio de peculio, sicut in patrem legitimum & naturalem. Paulus de castro.

XLII. IDEM *lib.* XII. *ad edictum.*

IN adrogatorem de peculio actionem dandam, quidam rectè putant: quamuis Sabinus & Cassius ex antè gesto de peculio actionem non esse dandam existiment.

Alienans post litem sibi motam videtur fraudulenter alienare: & perinde condemnabitur ac si non alienasset. Paulus de castro.

XLIII. PAVLVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

SI postea, quàm tecum de peculio egi, ante rem iudicatam

tam seruum vendideris: Labeo ait. etiam eius peculij no-
A mine, quod apud emptorem quæsierit, damnari te debere: nec succurrendum tibi. culpa enim tua accidisse, quod seruum vendidisses.

XLIIII. VLPIANVS *lib.* LXIII. *ad edictum.*

Si quis cum filiofamiliâs contraxerit, duos habet debitores: filiũ in solidũ, & patrẽ dumtaxat de peculio.

XLV. PAVLVS *lib.* LX. *ad edictum.*

Ideoq; si pater filio peculiũ ademerit: nihilominus creditores cum filio agere possunt.

XLVI. IDEM *lib.* LXI. *ad edictum.*

Qui peculij administrationem concedit: videtur permittere generaliter, quod & specialiter permissurus
B esset.

XLVII. IDEM *lib.* III. *ad Plautium.*

Quoties in taberna scriptũ fuisset, CVM IANVARIO SERVO MEO GERI NEGOCIVM VETO: hoc solùm consecuturũ esse dominũ constat, ne institoria teneatur, non etiã ne de peculio. Sabinus respondit, non aliâs dandam de peculio actionem in dominum, cùm seruus fideiussisset: nisi in rem domini, aut ob rem peculiarem fideiussisset. Si semel actũ sit de peculio: quamuis minus inueniatur rei iudicandæ tempore in peculio, quàm debet: tamen cautionibus locum esse nõ placuit de futuro incremento peculij. hoc enim in pro socio
C actione locum habet, quia socius vniuersum debet.

Si creditor serui ab emptore esset partem consecutus: competere in reliquum in venditorem vtile iudiciũ, Proculus ait. Sed re integra, non esse permittendum actori, diuidere actionem: vt simul cum emptore, & cum venditore experiatur. satis enim esse, hoc solum ei tribui, vt rescisso superiore iudicio, in alterum detur exactio: cũ electo reo minus esset consecutus. & hoc iure vtimur. Non tantũ autem quiuis creditor cum venditore ex antè gesto agere potest, sed & ipse emptor, idque & Iuliano videtur: quãuis & deducere ipse potest aduersus alium agentem: dum tamen id, quod apud se habet, computet. Si seruus deducto peculio venditus sit: procedit, vt venditor, & deductione vti possit. sed si post venditionem cœperit aliquid

venditori ſeruus debere: non minuit peculia, quia nõ domino debet. Quæ diximus in emptore & venditore: eadem ſunt, & ſi alio quouis genere dominium mutatum ſit (vt legato, dotis datione) quia quaſi patrimonium liberi hominis, peculium ſerui intelligitur, vbicumque eſt. D

Mutata conditione perſonæ in deterius, reuocatur mandatũ. Bal.

XLVIII. IDEM *lib.* XVI. *ad Plautium.*

Libera peculij adminiſtratio nõ permanet, neque in fugitiuo, neque in ſubrepto: ſed neque in eo, de quo neſciat quis, viuat, an mortuus ſit. Cui peculij adminiſtratio data eſt: delegare debitorem ſuum poteſt.

XLIX. POMPONIVS *lib.* III. *ad Qu. Mutium.*

NOn ſolùm id peculium eſt, quod dominus ſeruo conceſſit: verùm id quoque, quod ignorante quidem eo adquiſitum ſit: tamen ſi reſciſſet, paſſurus erat eſſe in peculio. Si ignorante me ſeruus meus negocia mea adminiſtrauerit: tantidem debitor mihi intelligitur, quanti teneretur, ſi liber negocia mea adminiſtraſſet. Vt debitor, vel ſeruus dominó, vel domin⁹ ſeruo intelligatur: ex cauſſa ciuili computandum eſt. ideoque ſi dominus in rationes ſuas referat, ſe debere ſeruo ſuo: cùm omnino neque mutuum acceperit, neque vlla cauſſa præceſſerit debendi: nuda ratio non facit eum debitorem. E

Primum decretum non poteſt interponi occaſione debiti, quod certum eſt non poſſe exigi de præſenti, licet poſſibile ſit debitum iri. Itẽ pro futuro debito poteſt accipi fideiuſſor. F

L. PAPINIANVS *lib.* VII. *Quæſtionum.*

EO tẽpore, quo in peculio nihil eſt, pater latitat. in bonorum poſſeſſionem eius rei ſeruandæ cauſſa mitti nõ poſſum, qui de peculio cum eo acturus ſum: quia non fraudationis cauſſa latitat, qui ſi iudicium acciperet, abſolui deberet. nec ad rem pertinet, quod fieri poteſt, vt damnatio ſequatur. nam & ſi in diem, vel ſub conditione debeatur: fraudationis cauſſa non videtur latitare: tametſi poteſt iudicis iniuria condemnari. Sed fideiuſſorem datum eo tempore, quo nihil in peculio eſt, teneri putat Iulianus: quoniã fideiuſſor futuræ quoque obligationis accipi poſſit: ſi tamen ſic acceptus ſit. Si creditor patrem, qui de peculio tenebatur, hæredem inſtituerit: quia mortis tẽ-

pus in

pus in Falcidiæ ratione ſpectatur, illius temporis peculiū
A conſiderabitur. Etiam poſtquam dominus de peculio conuentus eſt, fideiuſſor pro ſeruo accipi poteſt. & ideo qua ratione, ſi poſt actionem dictatam ſeruus pecuniam exſoluit, non magis repetere poteſt, quàm ſi iudicium dictatum non fuiſſet: eadem ratione fideiuſſor quoque vtiliter acceptus videbitur: quia naturalis obligatio, quam etiam ſeruus ſuſcipere videtur, in litem tranſlata non eſt.

Pro eo quod pro libertate danda accepit bona fidei poſſeſſor, actione de peculio non tenetur ipſe, ſed verus dominus, qui eum poterit vindicare. Bar.

Seruus alienus, cùm bona fide mihi ſeruiret, numos à Titio mutuatus, mihi dedit, vt eum manumitterem, & manumiſi. creditor quærebat, quem de peculio conueniret?
B dixi. quanquam creditor electionem aliâs haberet, tamen in propoſito dominum eſſe conueniendum: & eum ad exhibendum mecum acturum pecuniæ nomine, quæ ipſi eſſet adquiſita, nec in eam cauſſam alienata, quæ pro capite ſerui data proponeretur. neque enim admittendum eſſe diſtinctionem exiſtimantium: ſi non manumittam, domini pecuniam eſſe: manumiſſione verò ſecuta videri pecuniã ex re mea quæſitam mihi: quoniam magis propter rẽ meã, quàm ex re mea pecunia mihi daretur.

Dubius eſt litis euentus. & qui ideo tenetur, quia actionem habet: eam cedendo liberatur. Bart.

C LI. SCAEVOLA *lib.* II. *Quæſtionum.*

QVod debetur ſeruo ab extraneis, agenti de peculio non omnimodo dominus ad quantitatem debiti cõdemnandus eſt: cùm & ſumptus in petendo, & euentus exſecutionis poſſit eſſe incertus: & cogitanda ſit mora temporis, quod datur iudicatis, aut venditionis bonorum, ſi id magis faciendum ſit. ergo ſi paratus ſit actionem mandare, abſoluetur. quod enim dicitur, ſi cum vno ex ſociis agatur, vniuerſum peculium computandum, quia ſit cum ſocio actio: in idem redibit, ſi actiones paratus ſit præſtare. & in omnibus, quos idcirco teneri dicimus, quia habent actionem: delegatio pro iuſta præſtatione eſt.

Cum pater vel dominus actione de peculio perſonali conuenitur: in deducendo omni priuilegio anteponitur: ſecus ſi reali: licet inter creditores

creditores peculiares ille qui habet priuilegium præponatur. Item sufficit quem esse dominum cùm de peculio conuenitur. Item patrimonium eius qui se gerit pro libero, pro peculio remittitur. Bart. D

LII. PAVLVS *lib.* III. *Quæstionum.*

EX facto quæritur. qui tutelam quasi liber administrabat, seruus pronunciatus est. an si conueniatur eius dominus à pupillo (cuius quidem potiorem caussam, quàm creditorum cæterorum serui habẽdam, rescriptum est) vel id deducatur ex peculio, quod domino debetur? & si putaueris posse deduci: an intersit, vtrum cùm adhuc in libertatem ageret, debitor domini factus est, an postea? & an de peculio impuberi competat. respondi nullum priuilegium præponi patri vel domino potest, cùm ex persona filij vel serui de peculio conueniuntur. planè in cæteris creditoribus habenda est ratio priuilegiorum. quid enim si filius dotem accepit: tutelam administrauit? meritò ergo & in seruo, qui pro tutore egit, id rescriptum est: & quia occupantis melior solet esse conditio, q̃ cæterorum: inhibebitur actio. Planè si ex re pupilli nomina fecit, vel pecuniam in arcam deposuit: datur ei vindicatio nummorum, & aduersus debitores vtilis actio: scilicet si nummos consumpserunt. hic enim alienare eos non potuit. quod & in quouis tutore dicendum est. nec tamen interesse puto, quando domino debere cœperit: vtrum cùm in libertatis possessione esset, an postea. nam & si Titij seruo credidero, eiusque dominus esse cœpero: deducam, quod prius credidi, si conueniri de peculio cœpero. quid ergo est? quia de peculio actio deficit, vtilis actio in dominum quasi tutelæ erit: vt quod ille pro patrimonio habuit, peculium esse intelligatur. Si dos filiofamiliâs sit data, vel tutelam administrauerit: habenda erit ratio priuilegiorum in actione de peculio, dilata interim cæterorum creditorum actione: vel interposita cautione, si priores agant, qui priuilegiũ non habent: restituiri, *quod acceperunt, si inferatur postea cum patre actio priuilegiorum. E F

**elegãter pro restitutum iri.*

LIII. IDEM *lib.* XII. *Quæstionum.*

SI Sticho peculium, cùm manumitteretur, ademptũ non est: videtur concessum. debitores autem conuenire, nisi mandatis

mandatis sibi actionibus, non potest.

LIIII. SCAEVOLA *lib.I.Responsorum.*

A Filiofamiliâs vni ex hæredibus prædia prælegauit, vt instructa erant cum seruis. hi serui domini debitores fuerunt. quæsitum est, an cæteris hæredibus aduersus eum actio de peculio competat? respondi, non competere.

LV. NERATIVS *lib.I.Responsorum.*

IS, cum quo de peculio agebam, à te vi exemptus est. quod tunc, cùm vi eximeres, in eo peculio fuerit, spectari.

LVI. PAVLVS *lib.II.ad* Neratium.

QVod seruus meus pro debitore meo mihi expromisit, ex peculio deduci debet, & à debitore nihilominus debetur. Sed videamus, ne credendum sit B peculiare fieri nomen eius, pro quo expromissum est, PAVLVS. vtique, si de peculio agente aliquo, deducere velit: illud nomen peculiare facit.

Si is, de cuius peculio agitur, lite pendente decedat, quantum sit in peculio mortis tempore inspicitur. si ei legetur peculium, tempus inspicitur quo dies legati cedat cum omni incremento. sed si legetur extraneo, rerum tantum incrementum accedit. Bar.

LVII. TRIPHONINVS *lib.* VIII. *Disputationum.*

SI filius vel seruus, cuius nomine dumtaxat de peculio actum est, ante finitum iudicium decesserit: id peculiũ C inspicietur, quod aliquis eorum, cùm moriebatur, habuit. Sed eum, qui seruum testamento liberum esse iubet, & ei peculium legat: eius temporis peculium legare intelligi, Iulianus scribit, quo libertas competit. ideóque omnia incrementa peculij, quoquo modo ante aditam hæreditatem adquisita, ad manumissum pertinere. at si quis extraneo peculium serui legauerit, in coniectura voluntatis testatoris quæstionem esse: & verisimilius esse, id legatum, quod mortis tempore in peculio fuerit: ita, vt quæ ex rebus peculiaribus ante aditam hæreditatem accesserint, debeantur: veluti partus ancillarum, & fœtus pecudum. quæ autem seruo donata fuerint, siue ex operis suis adquisierit: ad legatarium non pertinere.

LVIII.

LVIII. SCAEVOLA *lib. V. Digestorum.*

Ca. vlt. de distractio. pigno. VNi ex hæredibus prædia prælegauit, vt instructa erant, cum seruis, & cæteris rebus, & quidquid ibi esset. hi serui domini debitores fuerant, tam ex aliis caussis, quàm ex ratione kalendarij. quæsitum est, an cęteris hæredibus aduersus eum pecuniæ ab his debitæ actio de peculio competat? respondi non competere. D

QVANDO ACTIO DE PECVlio annalis sit. Titu. II.

VLPIANVS *lib. XXIX. ad edictum.*

PRætor ait. POST MORTEM EIVS, QVI IN ALTERIVS POTESTATE FVERIT: POSTEAVE, QVAM IS EMANCIPATVS, MANVMISSVS, ALIENATVSVE FVERIT: DVMTAXAT DE PECVLIO, ET SI QVID DOLO MALO EIVS, IN CVIVS POTESTATE EST, FACTVM FVERIT, QVO MINVS PECVLII ESSET: IN ANNO, QVO PRIMVM DE EA RE EXPERIVNDI POTESTAS ERIT, IVDICIVM DABO. Quandiu seruus vel filius in potestate est, de peculio actio perpetua est: post mortem autem eius, vel postquam emancipatus, manumissus, alienatúsve fuerit: temporaria esse incipit, id est annalis. Annus autem vtilis computabitur. & ideo si conditionalis sit obligatio: Iulianus scripsit, ex eo computandum annum, non ex quo emancipatus est, sed ex quo peti potuit conditione existente. Meritò autem tẽporariam in hoc casu fecit prætor actionem. nam cũ morte vel alienatione exstinguatur peculium: sufficiebat vsque ad annum produci obligationem. Alienatio autem & manumissio ad seruos pertinet, non ad filios: mors autem tam ad seruos, quàm ad filios refertur: emancipatio verò ad solum filium. Sed & si alio modo sine emancipatione desierit esse in potestate: annalis erit actio. Sed & si morte patris, vel deportatione, sui iuris fuerit effectus filius: de peculio intra annum hęres patris, vel fiscus tenebuntur.

E

F

buntur. In alienatione accipitur vtique venditor, qui a-
A ctione de peculio intra annũ tenetur. Sed & si donauit ser-
uum, vel permutauit, vel in dotem dedit: in eadem caussa
est. Item hæres eius, qui seruum legauit, non cum pecu-
lio. nam si cum peculio, vel legauit, vel liberum esse iussit:
quęstionis fuit. & mihi verius videtur, non dandam, neque
in manumissum, neq; in eum, cui legatum sit peculium, de
peculio actionem. an ergo teneatur hæres? & ait Cælius
teneri: quia peculium penes eum sit, qui tradendo id, à le-
gatario se liberauit. Pegasus autem caueri hæredi debere
ait ab eo, cui peculium legatum sit: quia ad eum veniunt
creditores. ergo si tradiderit sine cautione, erit conueni-
endus. Si præcepto seruo & peculio, rogatus sit hæres
B restituere hæreditatem: si de peculio conueniatur, Tre-
belliani exceptione non vtetur, vt Marcellus tractans ad-
mittit. is enim, cui restituta est hæreditas, non tenetur (vt
Scæuola ait.) cùm peculium non habeat, nec dolo fecerit,
quò minus haberet. Vsufructu quoque exstincto, intra
annum actionem dandam in vsufructuarium, Pomponius
libro vndecimo scripsit. Quæsitum est apud Labeonẽ.
si cùm filius viueret, tu credens eum mortuum, annali a-
ctione egeris: & quia annus præterierat, exceptione sis re-
pulsus: an rursus experiri tibi, comperto errore, permit-
tendum sit? & ait, permitti debere dumtaxat de peculio,
non etiam de in rem verso. nam priore iudicio de in rem
C verso rectè actum esse: quia annua exceptio ad peculium,
non ad in rem versum pertineret.

II. PAVLVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

Cvm post mortem filiifamiliâs annua aduersus patrem actio est, quemadmodum aduersus eum esset perpetua, viuo filio: ideo si ex caussa redhibitionis erat de peculio actio, sex mensium erit post mortem filij. idem dicendum erit in omnibus temporalibus actionibus. Si seruus, cui creditum est, apud hostes sit: de peculio actio in dominum non anno finienda est: quia postliminio reuerti potest.

III. POMPONIVS *lib.* III. *ad Qu.Mutium.*

Efinitione peculij interdum vtendum est, etiã si seruus in rerum natura esse desiit, & actionem prætor de peculio

de peculio intra annum dat. nam & tunc accessiones & decessiones quasi peculij recipiendas; quanquam desiit morte serui, vel manumissione esse peculium: vt possit & accedere peculio, veluti fructibus, pecorum fœtu, ancillarumque partubus: & decedere, veluti si mortuum sit animal, vel alio quolibet modo perierit. D

DE IN REM VERSO. Tit. III.

VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

SI hi, qui in potestate aliena sunt, nihil in peculio habent: vel habeant, nō in solidum tamen: tenentur, qui eos habent in potestate, si in rem eorum, quod acceptum est, cōuersum sit: quasi cum ipsis potius contractum esse videatur. E nec videtur frustra de in rem verso actio permissa, quasi sufficeret de peculio. rectissimè enim Labeo dicit, fieri posse, vt & in rē versum sit: etiāsi cesset de peculio actio. quid enim si dominus peculium ademit sine dolo malo? quid si morte serui exstinctū est peculium, & annus vtilis præteriit? de in rem verso nanque actio perpetua est: & locū habet, siue ademit sine dolo malo, siue actio de peculio anno finita est. Item si plures agant de peculio: proficere hoc ei, cuius pecunia in rem versa est, debet, vt ipse vberiorem actionem habeat. certè si præuentum sit ab aliquo, & actū de peculio: de in rem verso actio, an cesset, videndum. & F refert Pomponius Iulianum existimare, de peculio actione perimi de in rem verso actionem: quia in peculium conuersum esset, quod in rem domini versum erat: & pro seruo solutum esset, quemadmodum si ipsi seruo à domino fuisset solutum. Sed ita demum: si præstiterit ex actione de peculio dominus, quod seruus in rem eius verterat. cæterùm si non præstiterit: manet actio de in rem verso.

II. IABOLENVS *lib.* XI. *ex Cassio.*

QVi numis acceptis seruum manumisit, agi cum eo de in rem verso non potest: quia dando libertatem locupletior ex numis non fit.

III. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

QVòd si seruus domino quantitatem dederit, vt manumittatur, quam à me mutuam accepit: in peculium

culium quidem hanc quantitatem non computari : in rem
A autē videri verſum, ſi quid plus ſit in eo, quod ſeruus dedit, quàm eſt in ſerui precio. In rem autem verſum videtur: ſiue idipſum, quod ſeruus accepit, in rem domini cōuerterit: veluti ſi triticum accepit, & idipſum in familiam domini cibariorum nomine conſumpſit : aut ſi pecuniam à creditore acceptam dominico creditori ſoluerit. Sed & ſi errauit in ſoluendo, & putauit creditorem eum, qui non erat: æquè in rem verſum eſſe, Pomponius libro vndecimo ait, quatenus indebiti repetitionem dominus haberet. ſiue cùm ſeruus dominici negocij gerendi adminiſtrādíve cauſſa quid geſſit: veluti ſi mutuatus eſt pecuniam, vt frumentum compararet ad familiam alendam, vel veſtimenta,
B ad veſtiendam : ſiue peculiariter mutuatus, poſtea in rem domini vertit. hoc enim iure vtimur, vt etiam ſi prius in peculium vertit pecuniam, mox in rem domini : de in rem verſo eſſe actio poſſit. Et regulariter dicimus, toties de in rem verſo actionē eſſe: quibus caſibus procurator mandati, vel qui negocium geſſit, negociorum geſtorum haberet actionem: quotiesque aliquid ita conſumpſit ſeruus, vt aut rem meliorem dominus haberet, aut non deteriorem.

Proinde ſi ſeruus ſumpſit pecuniam, vt ſe aleret, & veſtiret ſecundum conſuetudinem domini, id eſt, vſque ad eum modum, quem dominus ei præſtare conſueuerat: in rem domini videri vertiſſe, labeo ſcribit. ergo idem erit
C & in filio. Sed ſi mutuâ pecunia accepta, domum dominicam exornauit tectoriis, & quibuſdā aliis quæ magis ad voluptatem pertinent, quàm ad vtilitatē: non videtur verſum, quia nec procurator hoc imputat: niſi fortè mādatum domini, aut voluntatem habuerit. nec debet ex eo onerari dominus, quod ipſe facturus non eſſet. quid ergo? pati debet dominus, creditorem hoc auferre, ſine domus ſuæ videlicet iniuria: ne cogendus ſit dominus vendere domum, vt quanti precioſior facta eſt, id præſtet. Item Labeo ait. ſi ſeruus mutuatus numos à me, alij eos crediderit : de in rem verſo dominum teneri, quod nomē ei adquiſitum ſit. quam ſententiam ita Pomponius probat, ſi non peculiare nomen fecit, ſed quaſi dominicæ rationis. ex qua cauſſa hactenus erit dominus obligatus: vt ſi non putat ſibi expedire, no-

re nomen debitoris habere: cedat creditori actionibus, procuratoremque eum faciat. Nec non illud quoque in rem domini versum, Labeo ait, quod mutuatus seruus, domino emit volenti ad luxuriæ materiam (vnguenta fortè) vel quod ad delicias, vel ad turpes sumptus subministrauit. neque enim spectamus, an bono domini accesserit, quod consumptum est: sed an in negocium domini. Vnde rectè dicitur: etsi frumentum comparauit seruus ad alendam domini familiam, & in horreo dominico reposuit, & hoc periit, vel corruptum est, vel arsit: videri in rem versum. Sed & si seruum domino necessarium emisset, isque decessisset: vel insulam fulcisset, eaque ruisset: dicerem esse actionem de in rem verso. Sed si accepit, quasi in rem domini verteret, nec vertit, & decepit creditorem: non videtur versum, nec tenetur dominus: ne credulitas creditoris domino obesset, vel calliditas serui noceret. quid tamen, si is fuit seruus, qui solitus erat accipiens vertere? adhuc non puto nocere domino, si alia mente seruus accepit: aut si cùm hac mente accepisset, post ea aliò vertit. curiosus igitur debet esse creditor, quò vertatur. D E

Sufficit negocium vtiliter esse cœptum ad hoc vt actio de in rem verso competat. Item si pluribus ex eadem caussa competit hac actio, melior est conditio occupantis. Baldus.

Sed si mutuatus sit pecuniam seruus ad vestem comparandam, & numi perierint: quis de in rem verso agere possit, vtrum creditor, an vẽditor? puto autem, siquidem precium numeratum sit: creditorem de in rem verso acturum, & si vestis perierit. Si autem non fuit precium solutum, ad hoc tamen data pecunia, vt vestis emeretur, & pecunia periit, vestis tamen familiæ diuisa est: vtique creditorem de in rem verso actionem habere. num & venditor habeat actionem? quia res eius peruenerunt in rem domini: ratio hoc facit, vt teneatur. vnde incipiet dominus teneri ex vna caussa duobus. proinde & si tam pecunia, quàm vestis periit: dicendum erit, vtrique dominũ teneri. quoniam ambo in rem domini vertere voluerunt. F

IIII. CAIVS *lib.* IX. *ad edictum prouinciale.*

SEd dicendum est, occupantis meliorem conditionem esse debere. nam vtrinque condemnari dominum de in rem

in rem verso, iniquum est.

A *In rebus non necessariis verum precium: in necessariis precium conuentum inspicitur. Bartolus.*

V. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

SI res domino non necessarias emerit seruus, quasi domino necessarias, veluti seruos: hactenus videri in rem eius versum, Pomponius libro quinto scribit, quatenus seruorum verum precium faciat: cùm si necessarias emisset, in solidum quãto venissent, teneretur. Idem ait, siue ratum habeat serui contractum dominus, siue non: de in rem verso esse actionem. Quod seruus domino emit, siquidem voluntate eius emit, potest quod iussu agi. si verò non ex voluntate: siquidem dominus ratum habuerit, vel alioquin rem necessariã, vel vtilem domino emerit: de in rem

B verso actio erit. si verò nihil eorum est: de peculio erit actio.

Si seruus ab initio peculiare negocium gerit, actio de in rem verso locum habet, si seruus in rem domini vertat animo dominum obligandi. secus si facto domini vel alterius, seu facto serui non animo dominum obligandi. sed si ab initio gerit negocium dominicum: quocunque modo in rem domini vertatur, hac actio habet locum. Bartolus.

Placet non solùm eam pecuniam in rem verti, quæ statim à creditore ad dominum peruenerit: sed & quæ prius fuerit in peculio. hoc autem toties verum est, quoties ser-

C uus rem domini gerens, locupletioré eum facit numis peculiarib᷒. alioquin si seruo peculium dominus adimat, vel vendat eum cum peculio, vel rem eius peculiarem, & precium exigat: non videtur in rem versum.

VI. TRIPHONINVS *lib.* I. *Disputationum.*

NAm si hoc verum esset: etiã antè, quàm venderet rem peculiarem, de in rem verso teneretur: quia hoc ipso, quod seruus rem in peculio haberet, locupletior fieret. quod apertè falsum est.

VII. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

ET ideo & si donauit seruus domino rem peculiarem, actio de in rem verso cessabit. & sunt ista vera. Planè si mutuum seruus accepit, & donãdi animò soluit, dum nõ vult eum debitorem facere peculiarem: de in rem ver-

ſo actio eſt. Illud verum non eſt, quod Mela ſcribit: ſi ſeruo meo argẽtum dederis, vt pocula tibi faceret ex quolibet argento, & factis mox poculis ſeruus deceſſerit: eſſe tibi aduerſus me de in rem verſo actionem: quoniam poſſum pocula vindicare. D

In rem domini verſum dicitur, quando verſum eſt in cauſſam in quam dominus erat verſurus, licet non ex neceſſitate, ſed ex conſuetudine vel honeſtate, etiam ſi nullam ſentiat vtilitatem: multo magis ſi ex neceſſitate, vel ſi vtilitatem ſentiat. Paulus.

Illud planè verum eſt, quod Labeo ſcribit: ſi odores & vnguenta ſeruus emerit, & ad funus erogauerit, quod ad dominum ſuum pertinebat: videri in rem domini verſum.

Idem ait, & ſi hæreditatem à ſeruo tuo emero, quæ ad te pertinebat, & creditoribus pecuniam ſoluero: deinde hæreditatem mihi abſtuleris: ex empto actione me id ipſum conſecuturum. videri enim in rem tuam verſum. nam & ſi hæreditatem à ſeruo emero, vt quod mihi ab ipſo ſeruo debebatur, compenſarem: licet nihil ſolui, tamen conſequi me ex empto, quod ad dominum peruenit. ego autem non puto de in rem verſo eſſe actionem emptori: niſi hoc animo geſſerit ſeruus, vt in rem domini verteret. E

Si filiusfamiliâs pecuniam mutuatus, pro filia ſua dotem dederit: in rem patris videtur verſum, quatenus auus pro nepte daturus fuit. quæ ſententia ita demum mihi vera videtur, ſi hoc animo dedit, vt patris negocium gerens.

VIII. PAVLVS *lib.* XXX. *ad edictum.* F

ET nihil intereſſe, Pomponius ait: filiæ ſuæ nomine, an ſororis, vel neptis ex altero filio natæ dederit. idem ergo dicem*, & ſi ſeruus mutuatus fuerit, & domini ſui filiæ nomine in dotem dederit.

IX. IABOLENVS *lib.* XII. *ex Caſſio.*

SI verò pater dotẽ daturus non fuit: in rem patris verſum eſſe non videtur.

X. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

SI pro patre fili* fideiuſſerit, & creditori ſoluerit: in rẽ patris videtur verſum, quia patrem liberauit. cui ſimile eſt, quod Papinianus libro nono Quæſtionum ſcribit. ſi filius quaſi defenſor patris iudicium ſuſceperit, & ſit condemnatus: de in rem verſo teneri patrem. nanque filius

cum

cũ iudicio ſuſcepto liberauit. Idem tractat Papinianus,
A & ſi quod patrem dare oporteret, à filio ſim ſtipulatus: & ita conuenerim filium. nam & hic de in rem verſo fore actionem: niſi ſi donare patri filius voluit, dum ſe obligat. quare poteſt dici: & ſi de peculio actionem, quaſi defenſor patris, ſuſceperit: teneri patrem de in rem verſo, vſque ad peculij quantitatem. cuius ſententiæ id erit emolumentum: vt ſi finita ſit actio de peculio, de in rem verſo conueniatur. ego & ante condemnationem, poſt iudicium patris nomine acceptum, de in rem verſo patré teneri puto. In ré verſum auté videtur, prout aliquid verſum eſt. proinde ſi pars verſa eſt, de parte erit actio. Sed vtrũ in ſortem dumtaxat tenebitur dominus, an & in vſuras? &
B ſiquidem promiſit vſuras: Marcellus libro quinto Digeſtorum ſcribit, dominum prę̨ſtaturum. Sed ſi non ſint promiſſæ: vtique non debebuntur: quia in ſtipulatum deductæ non ſunt. planè ſi contemplatione domini pecuniam dedi, non gerenti ſeruo negocia domini, ſed ipſe gerens: negociorum geſtorum actione potero etiam de vſuris experiri. Verſum autem ſic accipimus, vt duret verſum: & ita demum de in rem verſo competit actio, ſi non ſit à domino ſeruo vel filio ſolutum. Si tamen in necem creditoris, id eſt, perdituro ſeruo, vel filio ſolutũ ſit: definit quidem verſum, æquiſſimum autem eſt, de dolo malo aduerſus patrem vel dominum competere actionem. nam & pe-
C culiaris debitor, ſi fraudulẽter ſeruo ſoluerit, quod ei debebat, non liberatur.

Si pater vel dominus ſoluit debitum, nõ videtur in rem eius verſum: & ſi pater vel dominus cedat, deſinit verſum. ſecus ſi donet, niſi animo remunerandi. Bartolus.

Si domini debitor ſit ſeruus, & ab alio mutuatus, ei ſoluerit: hactenus non vertit, quatenus domino debet: quod excedit, vertit. proinde ſi cum domino deberet triginta, mutuatus quadraginta, creditori eius ſoluerit, vel familiã exhibuerit: dicendum erit, de in rem verſo in decem competere actionem. at ſi tantumdem debeat: nihil videtur verſum. nã(vt Pomponius ſcribit) aduerſus lucrũ domini videtur ſubuentũ. & ideo ſiue debitor fuit domino, cũ in ré verteret: nihil videri verſũ. ſiue poſtea debitor eſſe domini

cœpit: desinere versum. idemque & si soluerit ei. Plus dicit. & si tantumdem ei donauit dominus, quantum creditori soluit pro se: siquidem remunerandi animo: non videri versum. si verò aliâs donauit: durare versum. D

Euanescit actio de in rem verso, si dominus cedat seruo: & remanet actio de peculio. nec recõualescit, si postea seruus cedat. Bar.

Idem quærit. si decem in rem domini verterit, & postea tantandem summam à domino mutuatus sit, habeat præterea & peculium decem: vtrum desiit esse versum? an verò, quoniam est peculium, vnde detrahatur debitum, de in rem verso non tollimus actionem? an potius ex vtroque pro rata detrahimus? ego autem puto sublatam de in rem verso actionem, cùm debitor domini sit cõstitutus. Item quærit. si in rem tuã vertit, & debitor tuus factus sit: mox creditor eiusdem summæ, quam tibi debuit: an renascatur de in rem verso actio, an verò ex post facto nõ conualescat? quod verum est. E

Si filius idem cũ patre correus soluat, videtur in rem patris vertere, quatenus de pecunia ad patrem peruenit. Bartolus.

Idem tractat, an ex euentu possit in rem patris filius vertere: veluti si duo rei pater & filius fuerint, & filius mutuatus suo nomine soluat: vel si filio iussu patris credideris, & filius creditum tibi soluerit. mihi videtur, siquidem pecunia ad patrẽ peruenerat: videri in rem versum. quod si non fuit, & suum negocium gerens filius soluit: non esse de in rem verso actionem. F

XI. PAVLVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

QVod si seruus in hoc mutuat[9] fuerit, vt creditori suo solueret: non erit in rem versum, quamuis actione de peculio liberatus sit dominus.

XII. CAIVS *lib.* IX. *ad edictum prouinciale.*

SI fundum patri dominóve emit seruus vel filiusfamiliâs: versum quidem esse videtur: ita tamẽ, vt siue minoris sit, quàm est emptus: tantum videatur in rem versum, quanti dignus sit. siue pluris sit: non plus videatur in rem versum, quàm est emptus.

XIII. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

*in Flo. SI in rem *alterius ex dominis versum sit: vtrum is solus, in cuius rem versum est, an & socius possit conueniri,

niri, quæritur? & Iulianus scribit, eum solum conueniri, in
A cuius rem versum est, sicuti cùm solus iussit. quam sententiam puto veram.

XIIII. IVLIANVS *lib.* XI. *Digestorum.*

MArcellus notat. interdum & propter hoc, quod in rem alterius socij versum est, de in rem verso cum altero agi potest: qui conuentus, à socio petere potest id, in quo damnatus fuerit. quid enim dicemus, si peculium seruo ab altero ademptũ fuerit? PAVLVS. Ergo hæc quæstio ita procedit, si de peculio agi non potest.

Filius constituendo non dicitur in rem patris vertere, nisi soluat. Bartolus.

XV. VLPIANVS *lib.* II. *Disputationum.*

B SI filiusfamiliâs constituerit, quod pater debuit: videndum est, an de in rem verso actio dari debeat. at qui nõ liberauit patrem. nam qui constituit, se quidem obligat, patrem verò non liberat. planè si post soluit constitutum: licet pro se videatur soluisse, hoc est ob id, quod cõstituit: in rem tamen patris vertisse meritò dicetur.

Qui agit actione de peculio, consequitur quod superest deducto eo quod domino debetur. sed qui agit de in rem verso, consequitur quod superest in eo quod dominus dedit pro re. Bartolus.

XVI. ALFENVS *lib.* II. *Digestorum.*

QVidam fundum colẽdum seruo suo locauerat, & boues ei dederat. cùm hi boues non essent idonei: iusserat eos venire, & his numis, qui recepti essent,
C alios reparari. seruus boues vendiderat. alios redemerat. numos venditori non soluerat. postea conturbauerat. qui boues vendiderat, vtrum numos à domino petat actione de peculio, an quod in rem domini versum est: cùm boues, pro quibus pecunia peteretur, penes dominum essent? Respondit, non videri peculij quidquam esse: nisi si quid deducto eo, quod seruus domino debuisset, reliquum fieret. illud sibi videri: boues quidem in rem domini versos esse, sed pro ea re soluisse tantum, quanti priores boues venissent. si quid amplioris pecuniæ posteriores boues essent: eius oportere dominum condemnari.

Ad hanc actionem sufficit negocium vtiliter cœptum: sicut in actione mandati & negociorum gestorum. Bartolus.

XVII. AFRICANVS *lib.* VII. *Quæſtionum.*

SEruus ſi in rem domini pecuniam mutuatus, ſine culpa eam perdidit: nihilominus poſſe cum domino de in rem verſo agi exiſtimaui. nam etſi procurator meus in negocia mea impenſurus, pecuniam mutuatus, ſine culpa eam perdiderit: rectè eum hoc nomine mandati, vel negociorum geſtorum acturum. D

De eo quod datur vicario, ſi in rem domini vertatur, agitur hac actione ſecundum eius naturam. ſi verò in peculium ordinarii ſit cõuerſum, reſpectu ordinarii habet hanc naturam, reſpectu domini naturam actionis de peculio. Bartolus.

Cum Sticho vicario ſerui tui Pamphili contraxi. actio de peculio, & de in rem verſo dari debet: vt quod vel in tuam, vel ipſius rem, vel in peculiũ Pamphili verſum ſit, cõprehendatur: ſcilicet etiã ſi mortuo, vel alienato Sticho agatur. quod ſi Pamphilo mortuo agam: magis eſt, vt quãuis Stichus viuat: tamen de eo, quod in peculio Pamphili verſum eſt, nõ niſi intra annũ, quàm is deceſſit, actio dari debeat. etenim quodãmodo de peculio Pamphili, tum videbor experiri: ſicuti & ſi quid iuſſu eius crediidiſſem, experirer. nec nos mouere debet, quod Stichus, de cuius peculio agitur, viuat: quãdo non aliter ea res in peculio eius eſſe poteſt, quàm ſi Pamphili peculiũ maneat. eadem ratio efficiet, vt id, quod in peculiũ Pãphili verſum eſt, ita præſtari debere dicam⁹: vt prius eius, quod tibi Pãphilus debuit, deductio fiat. quod verò in tuã rẽ verſũ fuerit: præſtetur, etiã nõ deducto eo, quod Pãphilus tibi debebat. E F

Actio de in rem verſo competit ei, qui principaliter contrahit vt in rem domini vertatur. Bar.

XVIII. NERATIVS *lib.* VI. *Membranarum.*

QVamuis in eam rem pro ſeruo meo fideiuſſeris, quæ ita contracta eſt, vt in rem meam verteretur: veluti ſi cùm ſeruus frumentum emiſſet, quo familia aleretur, venditori frumenti fideiuſſeris: propius eſt tamen, vt de peculio eo nomine, non de in rem verſo agere poſſis: vt vnius dumtaxat in quoquo cõtractu de in rem verſo actio ſit, qui id ipſum credidit, quod in rem dñi verſũ eſt.

Si filius emit rem ſibi neceſſariam, & extunc ipſam rem pater in ipſius filii funus conuertit: in rem eius verſa videtur. Itẽ in actione de

ne de peculio venit quod in rem eſt verſum, & ſic poſt annum hæc
A *actio eſt neceſſaria.* Bartolus.

XIX. PAVLVS *lib.* III. *Quæſtionum.*

Filiusfamiliâs togã emit. mortuo deinde eo, pater ignorans, & putans ſuam eſſe, dedicauit eam in funus eius. Neratius libro ſecundo Reſpõſorum ait, in rem patris verſum videri. in actione autẽ de peculio, quod in rerum natura non eſſet, vno modo æſtimari debere: ſi dolo malo eius, cum quo ageretur, factum eſſet. atquin ſi filio pater togam emere debuit: in rem patris verſa eſt, non nũc, cùm funeratur, ſed quo tempore emit. funus enim filij æs alienum patris eſt. & Neratius quoque, qui de in rem verſo patrem teneri putauit: oſtendit negocium hoc (id eſt ſepulturam, &
B funus filij) patris eſſe æs alienum, non filij. Factus eſt ergo debitor peculij, quamuis res non exſtet, vt etiam de peculio poſſit conueniri. in quam actionẽ venit, & quod in rem verſum eſt. quæ tamen adiectio tunc neceſſaria eſt, cùm annus poſt mortem filij exceſſit.

Si filia mutuum in alimenta conuertit, tenetur pater de in rem uerſo, ſi onus alimentorum ad patrem ſpectabat. Bartolus.

XX. SCAEVOLA *lib.* I. *Reſponſorum.*

Pater pro filia dotem promiſit: & conuenit, vt ipſe filiam aleret. non præſtãte patre, filia à viro mutuam pecuniam accepit, & mortua eſt in matrimonio. Reſpondi. ſi ad ea id, quod creditum eſt, erogatum eſſet, ſine quibus aut
C ſe tueri, aut ſeruos paternos exhibere non potuiſſet: dandam de in rem verſo vtilem actionem.

Promiſſio tutoris non tollit actionem de in rem verſo contra pupillum. Bartolus.

Seruus abſentis reipublicæ cauſſa, pupilli ſeruis pecuniam credidit: ſubſcribente tutore, ſtipulatione in perſonam tutoris tranſlata. quæſitum eſt, an aduerſus pupillum competat actio? Reſpõdi. ſi cùm in rem pupilli daretur, id in rem eius verſum eſt: & quò magis actus ſeruorum confirmaretur, tutor ſpopondit: poſſe nihilominus dici, de in rem verſo cum pupillo actionem fore.

XXI. IDEM *lib.* V. *Digeſtorum.*

Filiamfamiliâs duxit quis vxorem, patre dotem promittente: & conuenit inter omnes perſonas, vti eam pater,

aut ipsa se tueretur. maritus ei mutuos numos dedit: cùm iustè putaret, patrem eius ministraturum tantum salarium, quantum dare filiæ suæ instituerat. eos numos illa in vsus necessarios sibi,& in seruos,quos secum habebat, consum psit.aliquantum etiam, cùm ei res familiaris credita esset, ex pecunia mariti in easdem caussas conuertit. deinde prius,quàm pater salariũ expleret,moritur filia. pater impensam recusat. maritus res mulieris retinet. quæro, an de in rem verso aduersus patrem actio competat? Respondi. si ad ea id,quod creditum est,erogatum esset,sine quibus aut se tueri, aut seruos paternos exhibere non potuisset: dandam de in rem verso vtilem actionem. D

QVOD IVSSV. Tit. IIII. E

VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

MEritò ex iussu domini vel patris, in solidum aduersus eum iudicium datur. nam quodammodo cum eo contrahitur, qui iubet. Iussum autem accipiendum est: siue testatò quis, siue per epistolam, siue verbis, aut per nuncium,siue specialiter in vnum contractum iusserit,siue generaliter. & ideo si sic contestatus sit, QVOD VOLES CVM STICHO SERVO MEO NEGOCIVM GERERE, PERICVLO MEO: videtur ad omnia iussisse, nisi certa lex aliquid prohibeat. Sed ego quæro,an reuocare hic iussum antè,quàm credatur,possit?& puto posse, quemadmodum si mandasset, & postea ante contractum contraria voluntate mandatum reuocasset, & me certiorasset. Sed & si mandauerit pater dominúsve, videtur iussisse. Sed & si serui chirographo subscripserit dominus:tenetur quod iussu. Quid ergo, si fideiusserit pro seruo? ait Marcellus, non teneri quod iussu. quasi extraneus enim interuenit.neq; hoc dicit ideo, quod teneatur ex caussa fideiussionis:sed quia aliud est fideiubere, aliud iubere.Denique idem scribit:& si inutiliter fideiusserit, tamen eum non obligari quasi iusserit. quæ sententia verior est. Si ratum habuerit quis, quod seruus eius gessit, vel filius:quod iussu actio in eum datur. Si pupillus do- F

minus

minus iusserit: vtique nō tenebitur, nisi tutore authore iussit. A Si iussu fructuarij erit cum seruo contractum, item eius, cui bona fide seruiit: Marcellus putat, quòd iussu dandam in eos actionem. quam sententiam & ego probo. Si curatore adolescentis, vel furiosi, vel prodigi iubente, cum seruo contractum sit: putat Labeo, quòd iussu dandam actionem in eos, quorum fuerit seruus. idem etiam in vero procuratore. sed si procurator verus non sit: in ipsum potius dandam actionem, idem Labeo ait.

II. PAVLVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

SI tutoris iussu seruo pupilli creditum sit: puto si ex vtilitate pupilli creditum sit: in pupillum esse dandam actionem, quod iussit tutor. Si iussu domini ancillæ, vel B iussu patris filiæ creditum sit: danda est in eos quòd iussu actio. Si iussu meo cum alieno seruo contractum fuerit, eúmque postea redemero: quod iussu actione non tenebor: ne actio quæ ab initio inutilis fuerat, euentu confirmetur.

III. VLPIANVS *lib.* II. *Responsorum.*

DOminum, qui iussit semissibus vsuris seruo suo mutuam pecuniam credi: hactenus teneri, quatenus iussit: nec pignoris obligationem locum habere in his prædiis, quæ seruus non ex voluntate domini obligauit.

IIII. IDEM *lib.* X. *ad edictum.*

C SI iussu eius, qui administrationi rerum ciuitatis præpositus est, cum seruo ciuitatis negocium contractum sit; Pomponius scribit, quod iussu cum eo agi posse.

V. PAVLVS *lib.* III. *ad Plautium.*

SI dominus vel pater pecuniam mutuā accepturus, iusserit seruo filióve numerari: nulla quæstio est, quin ipsi condici possit. imò in hoc casu de iussu actio non competit. Si vnus ex serui dominis iussit contrahi cum eo: is solus tenebitur. sed si duo iusserint: cum quouis in solidum agi potest: quia similes sunt duobus mandantibus.

DIGESTORVM SEV PANdectarum Liber decimussextus.

AD SE-

AD SENATVSCONSVLTVM Velleianum. Tit. I. D

PAVLVS *lib. XXX. ad edictum.*

VELLEIANO ſenatuſconſulto ple
niſſimè comprehēſum eſt, ne pro vl
lo fœminæ intercederent. nam ſicut
morib⁹ ciuilia officia adempta ſunt
fœminis, & pleraque ipſo iure non
valent: ita multò magis adimendum
eis fuit id officiũ, in quo non ſola o-
pera nudúmq; miniſteriũ earum ver
ſaretur, ſed etiam periculum rei familiaris. æquum autē vi
ſum eſt, ita mulieri ſuccurri: vt in veterem debitorē, aut in E
eum, qui pro ſe conſtituiſſet mulierem ream, actio daretur.
magis enim ille, quàm creditor mulierem decepit.

II. VLPIANVS *lib. XXIX. ad edictum.*

ET primo quidem temporibus diui Auguſti, mox dein
de Claudij, edictis eorũ erat interdictum, ne fœminæ
prò viris ſuis intercederent: poſtea factũ eſt ſenatuſcóſul
tum, quo pleniſſimè fœminis omnibus ſubuentum eſt. cu-
ius ſenatuſconſulti verba hæc ſunt. QVÒD MARCVS
SYLLANVS ET VELLEIVS TVTOR CON-
SVLES VERBA FECERVNT DE OBLIGA-
TIONIBVS FOEMINARVM, QVAE PRO A-
LIIS REAE FIERENT: QVID DE EA RE FI F
ERI OPORTERET, DE EA RE ITA CONSV
LVERVNT. QVOD AD FIDEIVSSIONES ET
MVTVI DATIONES PRO ALIIS, PRO QVI-
BVS INTERCESSERVNT FOEMINAE, PER-
TINET: (TAMETSI ANTEA VIDETVR I-
TA IVS DICTVM ESSE, NE EO NOMINE AB
HIS PETITIO FIAT, NEVE IN EAS ACTIO
DETVR) CVM EAS VIRILIBVS OFFICIIS
FVNGI, ET EIVS GENERIS OBLIGATIO-
NIBVS OBSTRINGI, NON SIT AEQVVM:
ARBITRARI SENATVM, RECTÈ EOS AT-
QVE ORDINE FACTVROS, AD QVOS DE
EA RE IN IVRE ADITVM ERIT: SI DEDE-
RINT

RINT OPERAM, VT IN EA RE SENATVS
A VOLVNTAS SERVETVR. Verba itaque ſenatuſconſulti excutiamus, prius prouidẽtia ampliſſimi ordinis laudata: qua opem tulit mulierib⁹, propter ſexus imbecillitatem multis huiuſcemodi caſibus ſuppoſitis, atque obiectis. ſed ita demum eis ſubuenit, ſi nõ callidè ſint verſatæ. hoc enim diuus Pius & Seuerus reſcripſerunt. nam deceptis, non decipiẽtibus iura opitulantur. & eſt egregiũ Seueri reſcriptũ. ταῖς ἀπατώσαις γυναιξὶ τὸ δόγμα τῆς συγκλήτου βουλῆς οὐ βοηθεῖ. Infirmitas enim fœminarũ, non calliditas auxilium commeruit. Omnis omnino obligatio ſenatuſcõſulto Velleiano comprehẽditur: ſiue verbis, ſiue re, ſiue quocunque alio contractu interceſſerint. Sed & ſi
B mulier defenſor alicuius extiterit: proculdubio intercedit. ſuſcipit enim in ſe alienam obligationem: quippe cùm ex hac re ſubeat condemnationem. proinde neque maritũ, neque filium, neque patrẽ permittitur mulieri defendere.

III. PAVLVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

SEd ſi eum defendat, qui dãnatus regreſſum ad eam habeat: veluti cùm venditorem hæreditatis ſibi venditę, vel fideiuſſorem ſuum defendat: intercedere non videtur.

Mulier intercedẽdo Velleiano iuuatur, ſi creditor interceſſionẽ ſciuerit, ſecus ſi ignorauerit. Itẽ mulier ſoluẽs vel donãs nõ iuuatur. B.

IIII. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

SEd ſi ego cum muliere ab initio cõtraxerim, cùm ignorarem, cui hoc factum vellet: non dubito ſenatuſcõſul
C tum ceſſare, & ita diuus Pius & Imperator noſter reſcripſerunt. proinde ſi dum vult Titio donatũ, cepit à me mutuam pecuniã, & eã Titio donauit: ſenatuſconſultũ ceſſabit. Sed etſi tibi donatura, creditori tuo numos numerauit: non intercedit. ſenatus enim obligatæ mulieri ſuccurrere voluit, non donanti. hoc ideo: quia facilius ſe mulier obligat, quàm alicui donat.

V. CAIVS *lib.* IX. *ad edictum prouinciale.*

NEc intereſt, pecuniã ſoluendi cauſſa numeret, an quãlibet ſuam rem in ſolutum det. nam & ſi vendiderit rem ſuam: ſiue precium acceptum pro alio ſoluit, ſiue emptorem delegauit creditori alieno: non puto ſenatuſconſulto locum eſſe.

Mulier

Mulier si fideiubet, vel alium fideiubere mandat: iuuatur Velleiano si recipiens hoc sciuerit. Bar.

D

VI. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

SI fideiussores pro defensore absentis filij mandatu matris eius intercesserint: quæritur, an etiam his senatusconsulto subueniatur? & ait Papinianus libro nono Quæstionum, exceptione eos vsuros. nec multum facere, quod pro defensore fideiusserunt: cum contemplatione mandati matris interuenerint. planè (inquit) si is, qui accepit eos fideiussores, matrem eis mandasse ignorauit: exceptionem senatusconsulti replicatione doli repellendam.

VII. PAPINIANVS *lib.* IX. *Quæstionum.*

QVamquam igitur fideiussor doli replicatione opposita defensionem exceptionis amittit: nullam tamen replicationem aduersus mulierẽ habebit: quia non poterit facti ignorationem prætendere. Sed non erit iniquum, dari negociorum gestorum actionem in defensorem: quia mandati caussa per senatusconsultum constituitur irrita, & pecunia fideiussoris liberatur. E

VIII. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

QVamuis pignoris datio intercessionem faciat: tamen Iulianus libro duodecimo Digestorum scribit, redhibitionem pignoris (si creditrix mulier rem, quam pignori acceperat, debitori liberauerit) non esse intercessionem. Si mulier interuenerit apud tutores filij sui, ne prædia eius distraherent, & indẽnitatem eis repromiserit: Papinianus libro nono Quæstionum, non putat eam intercessisse. nullam enim obligationem alienam recepisse, neque veterem, neque nouã: sed ipsam fecisse hãc obligationem. F

Mulier iuuatur Velleiano aduersus primum creditorem, & aduersus eum cui est delegata, licet Marcellus aliter distinxerit. Bar.

Si mulier apud Primum pro Secundo interuenerit, mox pro Primo apud creditorem eius: duas intercessiones factas esse, Iulianus libro duodecimo Digestorum scribit: vnam pro Secundo apud Primum, aliam pro Primo apud creditorem eius. & ideo Primo restitui obligationem, & aduersus eum. Marcellus autem notat, esse aliquam differentiam: vtrum hoc agatur, vt ab initio mulier in alterius

locum

locum subdatur, & onus debitoris , à quo obligationem
A trāsferre creditor voluit, suscipiat:an verò quasi debitrix delegetur:scilicet vt cùm quasi debitrix est delegata, vna sit intercessio.proinde secundum hanc suam distinctioné, in prima visione, vbi quasi debitrix delegata est:exceptionem ei senatusconsulti Marcellus non daret.sed condemnata, vel ante condemnationem, condicere vtique ei, à quo delegata est, poterit:vel quod ei abest, vel si nōdum abest, liberationem.

Mulier intercedens, siue soluat, siue deleget debitorem, repetit. si alium deleget, exceptione iuuabitur. Bar.

Interdum intercedenti mulieri & condictio competit: vtputa si contra senatuscōsultum obligata, debitorem suū
B delegauerit.nam hic ipsi competit cōdictio: quemadmodum & si pecuniam soluisset, condiceret. soluit enim & qui reum delegat. Sed si is, qui à muliere delegatus est, debitor eius non fuerit : exceptione senatusconsulti poterit vti, quemadmodum mulieris fideiussor. Planè si mulier intercessura debitorem suum delegauit, senatusconsultum cessat: quia & si pecuniam numerasset, cessaret senatusconsultum.mulier enim per senatusconsultum releuatur : non in his, quæ deminuit, restituitur. Sed si eū delegauerit, qui debitor eius non fuit : fraus senatusconsulto facta videbitur, & idcirco exceptio datur. Quoties pro debitore intercesserit mulier: datur in eum pristina actio, & si
C ille prius acceptilatione liberatus sit, quàm mulier intercesserit. Si conuenerit cum debitore, vt expromissorem daret, & acceptò ei latum sit:deinde is mulierem dederit, quæ auxilio senatusconsulti munita est:potest ei condici, quasi non dedisset.quid enim interest, non det, an talé det? non erit igitur actio vtilis necessaria, cùm cōdictio competat. Marcellus quoque scribit : si mulieri post intercessionem acceptò tulerit creditor : nihilominus restitutoriam actionem ei dari debere. inanem enim obligationé ei dimissam. Si mulier post intercessionem sic soluerit, ne repetere possit:iustè prior debitor actioné recusat.Sed cùm releuatur reus, si mulier sic soluit, vt repetere nō possit:& cùm ei mulieri, quæ repetere non poterat, si soluisset, acceptò tulerit creditor:similiter releuatur reus.

Quamquam

Quamquã in omnes, qui liberati ſunt, reſtituitur actio: non tamen omnibus reſtituitur. vtputa duo rei ſtipulandi fuerunt. apud alterum mulier interceſſit. ei ſoli reſtituitur obligatio, apud quem interceſſit. Si mulieris hæres extitit creditor: videndum, an reſtitutoria vti non poſſit. & ait Iulianus libro duodecimo, reſtitutoria eum nihilominus vſurum. nec immeritò: cum non obligatæ cùm effectu ſucceſſerit. denique in Falcidia hoc æs alienum non imputabitur. Planè ſi mihi proponas, mulierem veteri debitori ſucceſſiſſe: dicendum erit, reſtitutoria eam conueniri poſſe. ſed & directa actione. nihil enĩ eius intereſt, qua actione conueniatur. Si cum eſſem tibi contracturus mulier interuenerit, vt cùm ipſa potius contraham: videtur interceſſiſſe. quo caſu datur in te actio, quæ inſtituit magis, quàm reſtituit obligationem: vt perinde obligeris eodem genere obligationis, quo mulier obligata eſt. verbi gratia. ſi per ſtipulationem mulier: & tu quaſi ex ſtipulatu conueniaris. Illud videndum eſt: ſi mulier pro eo interuenit, qui ſi cum ipſo contractum eſſet, non obligaretur: an hac actione ille debeat teneri. vtputa ſi pro pupillo interceſſit, qui ſine tutoris authoritate non obligatur. & puto non obligari pupillum, niſi locupletior factus eſt ex hoc contractu. Item ſi minor vigintiquinque annis ſit, pro quo mulier interceſſit: in integrum reſtitutionem poterit implorare. vel cùm filius contra ſenatuſconſultum contracturus eſſet.

D

E

F

IX. PAVLVS *lib.* V. *Regularum.*

SEd ſi pro alieno ſeruo intercedat, quemadmodum in patremfamiliâs, prior ei reſtituitur actio: ita in dominum quoque reſtituenda erit.

Reſtitutoriæ actiones & inſtitoriæ dantur contra hæredem & in hæredem. Bar.

X. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

HAe actiones, quæ in eos, pro quibus mulier interceſſit, dantur: & hæredibus, & in hæredes, & perpetuò competunt. habent enim rei perſecutionem. cæteris quoque honorariis ſucceſſoribus dabuntur, & aduerſus eos.

Mulier non habet Velleianum, ſi creditor ignorauerit eam intercedere. Bart.

XI. PAV-

XI. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

A SI mulier, tanquam in vſus ſuos, pecuniam acceperit, alij creditura: non eſt locus ſenatuſconſulto. alioquin nemo cum fœminis cōtrahet: quia ignorari poteſt, quid acturæ ſint.

XII. IDEM *lib.* VII. *breuis edicti.*

IMò tunc locus eſt ſenatuſconſulto, cùm ſcit creditor eam intercedere.

Si obligatio in effectu ſpectat ad mulierem, licet ſit intercesſio, Velleiano non iuuatur. Bar.

XIII. CAIVS *lib.* IX *ad edictum prouinciale.*

ALiquando, licet alienam obligationem ſuſcipiat mulier, non adiuuatur hoc ſenatuſcōſulto. quod tum accidit, cùm prima facie quidem alienam, re vera autem ſuā
B obligationem ſuſcipit. vt ecce ſi ancilla ob pactionem libertatis expromiſſore dato, poſt manumiſſionem id ipſum ſuſcipiat, quod expromiſſor debebat: aut ſi hæreditatem emerit, & æs alienum hæreditarium in ſe transcribat: aut ſi pro fideiuſſore ſuo intercedat. De pignoribus prioris debitoris non eſt creditori noua actione opus: cùm quaſi Seruiana, quæ hypothecaria vocatur, in his vtilis ſit: quia verum eſt de pignoribus conueniſſe, nec ſolutam eſſe pecuniam. Si ſub conditione, vel in diem mulier pro alio interceſſerit: etiam pendente conditione, volenti creditori cum priore debitore experiri, actio danda eſt reſtitutoria.
C Quo enim bonum eſt, exſpectare conditioné, vel dié? cùm in ea cauſſa ſit prior iſte debitor, vt omnino ipſe debeat ſuſcipere actionem?

Muliere ſubducta reſtituitur actio in veterem debitorem, & in eius ſucceſſorem. Bar.

XIIII. IVLIANVS *lib.* XII. *Digeſtorum.*

SI mulier contra ſenatuſconſultum interceſſerit: æquū eſt, non ſolùm in veterem debitorem, ſed & in fideiuſſores eius actioné reſtitui. nam cùm mulieris perſona ſubtrahatur creditori propter ſenatuſconſultum, integra cauſſa priſtina reſtituenda eſt.

Si mulier promittit alium ratum habiturum quod ipſa geſſit, non iuuatur Velleiano. Bar.

XV. IDEM *lib.* L. *Digeſtorum.*

Si mu-

SI mulieri soluero id, quod tibi debebam, & ab ea ratā rem te habiturum stipulatus fuero, & fortè te ratum nō habente agere ex stipulatu instituero: exceptio senatuscō- D
sulti, quod de intercessionibus fœminarum factum est, nō proderit mulieri. non enim videri potest, alienam obligationem recusare, cùm maneam debito obligatus, & ipsa de lucro agat: ac potius reddere cogatur, quod non debitum acceperat, quàm pro alio soluere.

Mulier non iuuatur Velleiano, si debitor sibi soluit quod promisit. Bar.

XVI. IDEM *lib.* III. *ad Vrseium Ferocem.*

SI mulier contra senatusconsultum Velleianum pro me intercessisset Titio, egoque mulieri id soluissem, & ab ea Titius eam pecuniam peteret: exceptio senatusconsulti non est profutura mulieri. neque enim potuit periclitari, vt eam pecuniam perdat, cùm iam eam habeat. E

Mulier & fideiussor eius Velleiano iuuantur, & in primum debitorem actio restituitur. Bar.

Si ab ea muliere, quæ contra senatusconsultum intercessisset, fideiussorem accepissem: Caius Cassius respondit, ita demum fideiussori exceptionem dandam, si à muliere rogatus fuisset. ego autē puto, rectè fideiussori exceptionem dandam, etiam si mandati actionem aduersus mulierē non habeat: quia totam obligationem senatus improbat, & à prætore restituitur prior debitor creditori.

Non sufficit creditori credere mulierem in rem suam intercedere, quando pro alio promittit: nisi diligentius perquisierit. Bar. F

XVII. AFRICANVS *lib.* III. *Quæstionum.*

VIr vxori donationis caussa rem viliore precio addixerat, & in id precium creditori suo delegauerat. Respondi, venditionem nullius momenti esse: & si creditor pecuniam à muliere peteret, exceptionem vtilem fore: quamuis creditor existimauerit, mulierem debitricem mariti fuisse. nec id contrarium videri debere ei, quod placeat: si quando in hoc mulier mutuata esset, vt marito cederet: nō obstaturam exceptionem, si creditor ignorasset, in quam caussam mulier mutuaretur: quandoquidem plurimum intersit, vtrum cum muliere quis ab initio contrahat, an alienam obligationem in eam transferat. tunc enim diligen-

diligentiorem esse debere.

A *Si mulieri consentienti obligationi rei sibi obligatæ pecunia soluitur: Velleiano non iuuatur. aliàs secus.* Bar.

Si mulier dixisset sibi rem dotis nomine obligatam, & creditor curasset ei pecuniam dotis solui, quo idem pignus acciperet: & cùm mulieri etiam pecunia credita deberetur, possessor creditor aduersus eam Seruiana agentẽ exciperet, SI NON VOLVNTATE EIVS PIGNVS DATVM ESSET: replicationem mulieri senatusconsulti non profuturam, nisi creditor scisset, etiã aliam pecuniam ei deberi.

Si mulier cum alio mutuum vt duo rei accipiunt in caussam necessariam, Velleiano non iuuatur: sed si in caussam voluptariam, eatenus

B *iuuatur, quatenus ad alium pecunia peruenerit.* Bar.

Mulier & Titius, cùm in rem communem mutuarentur, eiusdem pecuniæ rei facti sunt. non omnimodo mulierem pro parte socij videri intercessisse dicebam. nam si ob eam caussam mutuati fuerint, ex qua si creditor pecuniam non dedisset, maius damnũ mulier passura fuerat: veluti quod communis insula fulta non esset, vel quod fundus communis in publicum committeretur: potius esse, vt senatusc̃osulto locus non sit. at si in aliquam emptionem mutua pecunia sit accepta: tunc pro parte intercessionem factã videri. & ideo creditorem partem dumtaxat pecuniæ à muliere petere posse. quòd si totum petierit: exceptione pro

C parte submouebitur.

XVIII. PAVLVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

IDem est, si pro debitore meo Titius & mulier duo rei intercesserint.

Si mulier alicui pro propria obligatione indemnitatem promisit, intercedere non videtur. secus si pro obligatione alterius. Bar.

XIX. AFRICANVS *lib.* III. *Quæstionum.*

TVtor pupilli decesserat, hærede instituto Titio. cùm de adeunda hæreditate dubitaret, quoniam male gesta tutela existimaretur: persuadente matre pupilli, vt suo periculo adiret, adiit: stipulatusque de ea caussa est, indẽnem se eo nomine præstari. si ex ea caussa Titius pupillo aliquid præstitisset, isque matrem conueniret: negauit exceptioni senatusconsulti locum esse: quando vix sit, vt

aliqua apud eũdem pro eo ipso intercessisse intelligi possit. nec dissimilem huic propositioni ex facto agitatam, cũ quidam vir prætorius decessisset, duobus filiis superstitibus, quorum alter impubes, alter legitimus fratri tutor esset: & cùm paterna hæreditate se abstinere vellet, mandatu vxoris defuncti, quæ mater pupillo esset, abstento pupillo solum se hæreditati miscuisset. vbi similiter se respondisse ait, si ex caussa agente pupillo damnum eo nomine passus esset: non impediri eum senatusconsulto, quò minus à muliere ré seruaret. In proposita specie & illud tractatum esse: an is, qui mandatu mulieris adierit, si damnum ob id patiatur, quod debitores hæreditarij soluendo non fuerint: senatusconsulto locus sit, quasi mulier quodammodo eorum obligationes susceperit. magis autem esse, vt ne ob hanc quidem caussam senatusconsultum locũ habeat: quãdo non ea mente fuerit, vt pro his intercederet: sed vt tutoris aduersus pupillum, & cæteros fortè creditores indénem præstaret hæredem. Deinde si proponas mulierem in emptione hæreditatis eo nomine damnum pati, quod debitores hæreditarij soluendo non sint: nulla puto dubitatio erit, quin senatusconsulto locus non sit: etiam si maximè creditoribus aliquantum præstiterit. quid ergo si cùm propterea de adeunda hæreditate dubitaret Titius, quòd parum idonea nomina debitorum viderentur: mulier hoc ipsum repromisit, vt quantò minus à quoquo eorum seruari possit, ipsa præstaret? propè est, vt sit intercessio.

Creditor delegatus à muliere intercedente antequam soluat, tutus est Velleiano: & si agat, exceptione Velleiani repellitur. Bar.

Cùm haberes Titium debitoré, & pro eo mulier intercedere vellet, nec tu mulieris nomen propter senatusconsultum sequereris: petiit à me mulier mutuam pecuniam, solutura tibi: & stipulanti mihi promisit, ignoranti, in quã rem mutuaretur: atque ita numerare me tibi iussit. deinde ego, quia ad manum nummos non habebam, stipulanti tibi promisi. quæsitum est, si eam pecuniam à muliere petam: an exceptio senatuscõsulti ei prosit? Respondit. videndũ, ne non sine ratione dicatur: eius loco, qui pro muliere fideiusserit, haberi me debere: vt quemadmodum illi (quãuis ignorauit mulierem intercedere) exceptio aduersus credito-

creditorem datur, ne in mulierem mandati actio competat: ita mihi quoque aduerſus te vtilis exceptio detur, A inque mulierem actio denegetur: quando hæc obligatio periculo mulieris futura ſit. & hæc Paulo expeditius dicenda, ſi prius, quàm ego tibi pecuniam ſoluere, compererim eam interceſſiſſe. cæterùm ſi antè ſoluerim, videndum, vtrúmne nihilominus mulieri quidem exceptio aduerſus me dari debeat, & ego tibi condicere pecuniam poſſim: an verò perinde habendum ſit, ac ſi ab initio ego pecuniam mulieri credidiſſem, ac rurſus tu mihi increditum iſſes, quod quidem magis dicendum exiſtimauit: vt ſic ſenatuſconſulto locus non ſit, ſicuti & cùm debitorem ſuum mulier deleget, interceſſioni locus non eſt. ſed poſtea non recte B comparari ait: quando delegatione debitoris facta mulier non obligetur, ſi (vt in propoſito) alienam obligationem in ſe tranſtulerit: quod certè ſenatus fieri noluit.

XX. IDEM *lib.* VIII. *Quæſtionum.*

SI pro vno reo interceſſerit mulier: aduerſum vtrumq; reſtituitur creditori actio.

Si mulier intercedit in rem ſuam animo nouandi, non iuuatur Velleiano. Bar.

XXI. CALLISTRATVS *lib.* III. *Quæſtionum.*

SI pro aliquo mulier interceſſerit, & in rem eius, quod acceptum eſt, vertatur: exceptio ſenatuſcõſulti locum non habet: quia non fit pauperior. Item ſi quid liberali- C ter fecerit: veluti ne iudicatus pater eius, propter ſolutionem vexaretur: non erit tuta ſenatuſconſulto Velleiano. oneribus enim earum ſenatus ſuccurrit.

Mulier quæ ex interceſſione non damnificatur, Velleiano non iuuatur. Bar.

XXII. PAVLVS *lib.* I. *Reſponſorum.*

SI mulieri dederim pecuniam, vt eã creditori meo ſoluat, vel expromittat: ſi ea expromiſerit, locum non eſſe ſenatuſconſulto, Pomponius ſcribit: quia mandati actione obligata, in rem ſuam videtur obligari.

Mulier quæ ſcienter verum non reſpondit, Velleiano nõ iuuatur: ſecus ſi ignoranter. Bar.

XXIII. IDEM *lib. ſingulari ad Senatuſconſult. Velleianum.*

SI mulier in iure interrogata, reſponderit ſe hæredem eſſe: ſi ſciens ſe hæredem non eſſe, reſponderit: minime interceſſiſſe videri, quia decepit. quòd ſi exiſtimauit ſe hæredem, & eo nomine decepta reſpondit: in eam actioné quidem dari plerique exiſtimauerunt, ſed exceptione ſenatuſconſulti adiuuari. D

XXIIII. IDEM *lib. ſingul. de interceſſionibus fœminarum.*

DEbitrix mulier à creditore delegata, pro eo, cui delegata eſt, promiſit. non vtetur exceptione. Sed ſi pecuniam promiſit, ne delegetur: interceſſiſſe videtur. Si ſenatuſconſulti beneficium interuenerit: vtrum ſtatim, cũ mulier interceſſerit, actio in priorem debitorem competit: an ſi mulier ſolutum condicat? puto ſtatim, & non exſpectandam ſolutionem. Si pro eo, qui téporaria actione tenetur, mulier interceſſerit: temporaria actio reſtituetur: ſic tamen, vt ex præcedente cauſſa continua tempora numerentur poſt reſtitutionem: quamuis ſtatim, atque interceſſit mulier, competierit. E

Iuſſus non eſt interceſſio, ſed fideiuſſio. Bar.

XXV. MODESTINVS *lib. ſingulari περὶ εὑρηματικῶν.*

SI domina ſeruo ſuo credi iuſſerit: actione honoraria tenebitur. quòd ſi pro eo fideiuſſerit: exceptione ſenatuſconſulti Velleiani, iudicio conuenta, aduerſus creditorem tueri ſe poterit: niſi pro ſuo negocio hoc fecerit. F

Idem dicit quod lex, ſi mulier, ſuprà eodem: licet in terminis differat. Paulus de caſtro.

XXVI. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad edictum.*

SI mulier intercedédi animo ſeruum alienum ſuum eſſe reſponderit: quaſi interceſſerit, auxilio ſenatuſconſulti vtetur. planè ſi pro bona fide ſibi ſeruiente reſponderit: non videtur interceſſiſſe.

XXVII. PAPINIANVS *lib.* II. *Reſponſorum.*

BOna fide perſonam mulieris in contrahendo ſecutus ob ea, quæ inter virum & vxorem, accepta pecunia, geſta ſunt: exceptione ſenatuſconſulti non ſubmouetur.

Cùm ſerui ad negociationem præpoſiti, cum alio contrahentes, perſonam mulieris, vt idoneæ, ſequuntur: exceptio

ptio senatusconsulti dominum submouet. nec videtur deterior caussa domini per seruum fieri, sed nihil esse domi-
A no quæsitum: non magis, quàm si litigiosum prædium seruus, aut liberum hominem emerit. Vxor debitricem suã viro delegauit, vt vir creditori eius pecuniam solueret: & si fidem suam pro ea, quam delegauit, apud virum obligauerit: locum exceptio senatusconsulti non habebit, quia mulier suum negocium gessit.

Verba enunciatiua à testatore prolata, creditoribus non præiudicant. Bar.

XXVIII. SCAEVOLA *lib.* I. *Responsorum.*

SEia mancipia emit, & mutuam pecuniam accepit sub fideiussore marito, eamque soluit venditori. postea maritus decedens non soluendo, in fraudem creditoris cauit
B testamento, se eam pecuniam vniuersam debere. quæritur, an intercessisse mulier videatur? Respondi, secundum ea, quæ proponerentur, non intercessisse. Fundum vxoris suæ maritus obligauit Sempronio ob conductionem. mox mulier à Numerio sua fide mutuam pecuniam acceptã sub obligatione eiusdem fundi, soluit statim Sempronio pro marito suo. quæsitum est, an aduersus senatusconsultum obligata sit? Respondi. si Numerius scisset eam intercedere: fore senatusconsulto, de quo quæritur, locum.

Mulier intercedens iuuatur Velleiano: & actio restituitur in principalem debitorem & pignora. Bar.

XXIX. PAVLVS *lib.* XVI. *Responsorum.*

C QVidam voluit hæredibus Lucij Titij mutuam pecuniam dare, & cum eis contrahere: sed quoniam facultates eorũ suspectas habuit, magis voluit vxori testatoris dare pecuniam, & ab ea pignus accipere. mulier eandem pecuniam dedit hæredibus, & ab eis pignus accepit. quæro, an intercessisse videatur: & an pignora, quæ ipsa accepit, teneantur creditori? Paulus respondi. si creditor, cùm contrahere vellet cum hæredibus Lucij Titij, euitatis iis, magis mulierem ream elegit: & in ipsius persona senatusconsultum, quod de intercessionibus factum est, locum esse: & pignora data non teneri. eas autem res, quas mulier ab his, pro quibus intercedebat, pignori accepit: creditori mulieris obligatas non esse. sed non sine

ratione prætorem facturum : ſi non tantùm perſona mulieris ſubducta,in principales debitores dederit actioné: D ſed etiam in res , quæ mulieri obligatæ ſunt. Paulus reſpondi.ea,quæ in fraudem ſenatuſconſulti,quod de interceſſionibus fœminarũ factum eſt,excogitata probari poſſunt:rata haberi non oportere.

XXX. IDEM *lib.II.Sententiarum.*

SI decipiendi animo, vel cùm ſciret ſe non teneri , mulier pro aliquo interceſſerit:exceptio ei ſenatuſconſulti non datur.actionem enim, quæ in dolum mulieris competit ,ampliſſimus ordo non excludit. Procurator ſi mandatu mulieris pro alio interceſſerit : exceptione ſenatuſconſulti Velleiani adiuuatur , nec aliâs actio intercidit. E

XXXI. IDEM *lib.I.ad Neratium.*

SI mulier,quod ex interceſſione ſoluit , nolit repetere, ſed mandati agere,& cauere velit de indemnitate reo: audienda eſt.

XXXII. POMPONIVS *lib.I.Senatuſconſultorũ.*

SI mulier hæreditatem alicuius adeat , vt æs alienum eius ſuſcipiat: vix eſt,vt ſuccurri ei debeat , niſi ſi fraude creditorum conceptum id ſit.nec enim loco minoris vigintiquinque annorum circumſcripti per omnia habéda eſt mulier. Si mulier rem à ſe pignori datam per interceſſionem , recipere velit : fructus etiam liberos recipit.& ſi res deterior facta fuerit eo nomine: magis eſt , vt F æſtimetur. Sed ſi creditor, qui pignus per interceſſionem accepit,hoc alij vendidit: vera eſt eorum opinio , qui petitionem dandam ei putant,etiam aduerſus bonæ fidei emptorem : ne melioris conditionis emptor ſit , quàm fuerit venditor. Item ſi mulier creditori viri fundum vendidit,ea conditione,vt emptor acceptam pecuniam viro referret,& hunc fundum vindicat : exceptio quidem opponitur ei de re empta & tradita,ſed replicabitur à muliere, ac ſi ea venditio contra ſenatuſconſultum facta ſit . & hoc procedit: ſiue ipſe creditor emerit,ſiue interpoſuerit aliũ, quo mulier ea ratione careat re ſua.Idé eſt,& ſi nó pro viro , ſed pro alio debitore rem ſuã tradidit. Si mulier ne ipſa intercederet,alij mandarit, vt id faceret : an in huius

perſona

perſona locus huic ſenatuſconſulto ſit, qui rogatu mulie-
A ris id faceret? totus enim ſermo ſenatuſconſulti, ad petitionem non dandam aduerſus ipſam mulierem, ſpectat. & puto rem ita eſſe diſtinguendam: vt ſiquidem creditor, cui me obligaui, mandante muliere, hoc in fraudem ſenatuſcõſulti egiſſet, ne ipſa interueniret cõtra ſenatuſcõſultum, daret autem alium: excludendum eum exceptione fraudis factæ ſenatuſconſulto. ſi verò is ignoraſſet, ego autem ſciſſem: tunc mandati me agentem cum muliere, excludendum eſſe, me autem creditori teneri. Si mulier pro eo, pro quo interceſſit, iudicium parata ſit accipere, vt non in veterem debitorem actio detur: quoniam ſenatus exceptionem opponere poteſt, cauere debet, exceptione ſe nõ
B vſuram, & ſic ad iudicem ire. Intercedere mulierem intelligendum eſt & pro eo, qui obligari non poſſit: veluti ſi pro ſeruo alieno intercedat. Sed reſciſſa interceſſione, in dominum reſtituenda eſt actio.

DE COMPENSATIONIBVS. Tit. II.

MODESTINVS *lib.* VI. πανδέκτῶν.

COmpenſatio eſt, debiti & crediti inter ſe contributio.

II. IVLIANVS *lib.* VIII. *Digeſtorum.*

VNuſquiſque creditorẽ ſuum, eũdemque debitorem petentem ſubmouet, ſi para-
C tus eſt compenſare.

III. POMPONIVS *lib.* XXV. *ad Sabinum.*

IDeo compenſatio neceſſaria eſt: quia intereſt noſtra, potius non ſoluere, quàm ſolutum repetere.

Fideiuſſor poteſt cõpẽſare quod debetur reo principali & ſibi. Bar.

IIII. PAVLVS *lib.* III. *ad Sabinum.*

VErum eſt, quod & Neratio placebat, & Pomponius ait: ipſo iure eo minus fideiuſſorem ex omni contractu debere, quod ex compenſatione reus retinere poteſt. Sicut enim cùm totum peto à reo, malè peto: ita & fideiuſſor non tenetur ipſo iure in maiorem quantitatem, quàm reus condemnari poteſt.

V. CAIVS *lib.* IX. *ad edictum prouinciale.*

SI quid à fideiuſſore petatur: æquiſſimum eſt, eligere fi-

deiuſſorem: vtrũ quod ipſi, an quod reo debetur, cõpenſare malit. Sed & ſi vtrũque cõpenſare velit, audiendus eſt. D

VI. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

ETiam quod natura debetur, venit in compenſationé.

VII. IDEM *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

QVod in diem debetur: non cõpenſabitur, antè quàm dies veniat, quanquam dari oporteat. Si rationem compenſationis iudex non habuit: ſalua manet petitio. nec enim rei iudicatæ exceptio obiici poteſt. aliud dicã, ſi reprobarit penſationem, quaſi nõ exiſtente debito. tunc enim rei iudicatæ mihi nocebit exceptio.

Debitum litigioſum poteſt in compenſationem deduci. Bartolus.

VIII. CAIVS *lib.* V. *ad edictum prouinciale.*

IN compenſatione etiam id deducitur, quo nomine cum actore lis conteſtata eſt: ne diligentior quiſq; deterioris conditionis habeatur, ſi compenſatio ei denegetur. E

Illud quod peti poterat cum adiectione de peculio, deducitur in compenſationem. Bartolus.

IX. PAVLVS *lib.* XXXI. *ad edictum.*

SI cum filiofamiliâs, aut cum ſeruo contracta ſit ſocietas, & agat dominus vel pater: ſolidum per compenſationem ſeruamus: quamuis ſi ageremus, dumtaxat de peculio præſtaretur. Sed ſi cum filiofamiliâs agatur: an quæ patri debentur, filius compenſare poſſit, quæritur? quod magis eſt admittendũ, quia vnus cõtractus eſt: ſed cũ conditione, vt caueat patrem ſuum ratum habiturum: id eſt, non exacturum, quod is compenſarit. F

Negligentiæ ad negligentiam admittitur compenſatio. Item *debita ex paribus cauſis compenſantur.* Bartolus.

X. VLPIANVS *lib.* LXIII. *ad edictum.*

SI ambo ſocij parem negligentiam ſocietati adhibuimus: dicendum eſt, deſinere nos inuicem eſſe obligatos, ipſo iure compenſatione negligentiæ facta. Simili modo probatur, ſi alter ex re communi aliquid perceperit, alter tantam negligentiam adhibuerit, quæ eadem quantitate exiſtimatur: compenſationem factam videri, & ipſo iure inuicem liberari. Si quis igitur compenſare potens ſoluerit: condicere poterit, quaſi indebito ſoluto.

Debitum ex delicto compenſatur. Bartolus.

Quoties

Quoties ex maleficio oritur actio(vtputa ex cauſſa fur-
A tiua,cæterorumque maleficiorum)ſi de ea re pecuniarie a-
gatur: compenſatio locum habet. idem eſt, & ſi condica-
tur ex cauſſa furtiua. Sed & qui noxali iudicio cōuenitur,
compenſationem opponere poteſt. In ſtipulationibus
quoque,quæ inſtar actionum habent, compenſatio locum
habet:& ſecundum Iulianũ,tam in ipſa ſtipulatione,quàm
in ex ſtipulatu actione poterit obiici compenſatio.

Quo ad impediendum curſum vſurarum fit compenſatio ipſo iu-re,etiam ſi opponatur ab homine.

XI. IDEM *lib.* XXXIII. *ad edictum.*

CVm alter alteri pecuniam ſine vſuris,alter vſurariam
debet:conſtitutũ eſt à diuo Seuero, concurrentis a-
B pud vtrũque quantitatis vſuras non eſſe præſtandas.

XII. IDEM *lib.* LXIIII. *ad edictum.*

IDem iuris eſt nõ ſolùm in priuatis,verùm etiam in cauſ-
ſa fiſci conſtitutum. Sed & ſi inuicem ſit vſuraria pecu-
nia, diuerſæ tamen vſuræ: compenſatio nihilominus locũ
habet eius,quod inuicem debetur.

Vna cauſſa non poteſt operari circa diuerſos effectus. Bartolus.

XIII. IDEM *lib.* LXXVII. *ad edictum.*

QVod Labeo ait,non eſt ſine ratione: vt ſi cui petitio-
ni ſpecialiter deſtinata eſt compenſatio, in cæteris
non obiiciatur.

XIIII. IABOLENVS *lib.* XI. *ex Caſſio.*

C QVæcunque per exceptionem perimi poſſunt, in com
penſatione non veniunt.

Debitum certo loco poteſt vbique compenſari habita ratione intereſſe propter locum. Bartolus.

XV. IDEM *lib.* II. ἐπιςολῶν.

PEcuniam certo loco à Titio dari ſtipulatus ſum. is pe
tit à me,quam ei debeo pecuniam.quæro, an hoc quo-
que penſandum ſit, quanti mea interfuit certo loco dari?
reſpõdi.ſi Titius petit: eam quoque pecuniam,quam cer-
to loco promiſit,in compenſationem deduci oportet: ſed
cum ſua cauſſa,id eſt vt ratio habeatur,quanti Titij inter-
fuerit eo loco,quo conuenerit,pecuniam datuiri.

XVI. PAPINIANVS *lib.* III. *Quæſtionum.*

SI cùm militi caſtrenſium bonorum alius, cæterorum
alius

alius hæres exſtitit: debitor alteri hæredum obligatus, velit compéſare, quod ab alio debetur: non audietur. Cùm intra diem adiudicati exſecutionem datum, iudicatus Titio, agit cum eodem Titio, quod & ipſe pridem illi iudicatus eſſet: compenſatio admittetur. aliud eſt enim diem obligationis non veniſſe, aliud humanitatis gratia tempus indulgeri ſolutionis. D

XVII. IDEM lib. I. *Reſponſorum.*

IDeo condemnatus, quod arctiorem annonam ædilitatis tempore præbuit: frumentariæ pecuniæ debitor nó videbitur. & ideo compenſationem habebit.

XVIII. IDEM lib. II. *Reſponſorum.*

IN rem ſuam procurator datus, poſt litis conteſtationem ſi vice mutua conueniatur: æquitate compenſationis vtetur. Creditor cópenſare non cogitur, quod alij, quàm debitori ſuo, debet: quamuis creditor eius pro eo, qui cóuenitur, ob debitum proprium, velit compenſare. E

De eo quod poteſt peti actione de peculio, poteſt obiici compenſatio. Bartolus.

XIX. IDEM lib. III. *Reſponſorum.*

DEbitor ſi pecuniam publicã ſeruo publico citra voluntatem eorum ſoluit, quibus debitum rectè ſolui potuit: obligatio priſtina manebit. ſed dabitur ei cópenſatio peculij fini, qua ſeruus publicus habebit.

XX. IDEM lib. XII. *Reſponſorum.*

OB negocium copiarũ, expeditionis tempore mandatum, curatorem condénatum, pecuniam iure cópenſationis retinere non placuit: quoniã ea non cópenſatur. F

Procurator qui obiicit compenſationem, non debet timere debitum. Bartolus.

XXI. PAVLVS lib. I. *Quæſtionum.*

POſtea quàm inter omnes placuit, id, quod inuicé debetur, ipſo iure compenſari: ſi procurator abſentis có ueniatur, non debebit de rato cauere: quia nihil compéſat, ſed ab initio minus ab eo petitur.

XXII. SCAEVOLA lib. II. *Quæſtionum.*

SI debeas decem, aut hominem, vtrum aduerſarius volet: ita compenſatio huius debiti admittitur, ſi aduerſarius palam dixiſſet, vtrum voluiſſet.

Nomine

Nomine alterius non potest obiici compensatio de eo, quod ipse debet. Bartolus.

A XXIII. PAVLVS *lib.* IX. *Responsorum.*

ID, quod pupillorum nomine debetur, si tutor petat: non posse compensationem obiici eius pecuniæ, quam ipse tutor suo nomine aduersario debet.

Contra fiscum obiicitur cõpensatio, sicut contra priuatum. Bar.

XXIIII. IDEM. *lib.* II. *ad edictum.*

IVssit Imperator audiri adprobantem, sibi à fisco deberi: quod & ipse conueniatur.

DEPOSITI VEL CONTRA. Tit. III.

Depositi elegãs locus apud Cic. lib. 3. Offi. circa finem.

VLPIANVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

B DEpositum est, quod custodiendũ alicui datũ est: dictum ex eo, quod ponitur. præpositio enim DE auget positum: vt ostendat totum fidei eius esse cõmissum, quod ad custodiam rei pertinet. Prætor ait. QVOD NEQVE TVMVLTVS, NEQVE INCENDII, NEQVE RVINAE, NEQVE NAVFRAGII CAVSSA DEPOSITVM SIT, IN SIMPLVM: EARVM AVTEM RERVM, QVAE SVPRÀ COMPREHENSAE SVNT, IN IPSVM IN DVPLVM: IN HAEREDEM EIVS, QVOD DOLO MALO EIVS FACTVM ESSE DICETVR, QVI

C MORTVVS SIT, IN SIMPLVM: QVOD IPSIVS, IN DVPLVM IVDICIVM DABO.

Meritò has caussas deponẽdi separauit prętor, quæ continent fortuitam caussam depositionis, ex necessitate descendentem, non ex voluntate proficiscentem. Eum tamen deponere tumultus, vel incendij, vel cæterarum caussarum gratia intelligendum est: qui nullam aliam caussam deponẽdi habet, quàm imminens ex caussis suprascriptis periculum. Hæc autem separatio caussarũ iustam rationem habet. quippe cùm quis fidem elegit, nec depositum redditur: contentus esse debet simplo. cùm vero exstante necessitate deponat: crescit perfidiæ crimen, & publica vtilitas† coërcendo vindicanda est. est enim inciuile in caussis huiusmodi fidem frãgere. Quæ depositis rebus accedunt,

†In hanc sentẽtiam pulchre Arist. Problematum sectiõe. 17.

dunt, non ſunt depoſita: vtputa ſi homo veſtitus deponatur. veſtis enim nō eſt depoſita. nec ſi equus cum capiſtro. nam ſolus equus depoſitus eſt. Si conueniat, vt in depoſito & culpa præſtetur: rata eſt conuentio. contractus enim legem ex conuentione accipiunt. Illud non eſt probandum, dolum non eſſe præſtandum, ſi conuenerit. nam hæc conuentio contra bonam fidem, contráque bonos mores eſt: & ideo nec ſequenda eſt. Si veſtimenta ſeruanda balneatori data perierint: ſiquidem nullam mercedem ſeruandorum veſtimentorum accepit: depoſiti eum teneri, & dolum dumtaxat præſtare debere puto. quod ſi accepit: ex cōducto. D

Qui dat pecuniam, dicitur conductor: qui recipit, locator. Item contractus innominatus iudicatur ſecundum cōtractus nominati naturam: cui aſſimilatur niſi aliud actum fuerit. Bartolus. E

Si quis ſeruum cuſtodiendum coniecerit fortè in piſtrinum: ſiquidem merces interuenit cuſtodiæ: puto eſſe actionem aduerſus piſtrinarium ex conducto. ſi verò mercedem accipiebam ego pro hoc ſeruo, quem in piſtrinum recipiebat: ex locato me agere poſſe. quòd ſi operæ eius ſerui cum cuſtodia penſabantur: quaſi genus locati & conducti interuenit. ſed quia pecunia non dabatur: prę̨ſcriptis verbis datur actio. ſi verò nihil aliud, quàm cibaria præſtabat, nec de operis quidquam cōuenit: depoſiti actio eſt. In conducto & locato, & in negocio, ex quo diximus præſcriptis verbis dandam actionem: & dolum & culpā præſtabit, qui ſeruum recepit. at ſi cibaria tantùm dabat, dolum dumtaxat ſequemur. tamē (vt Pomponius ait) & quod habuerunt præſcriptum, aut quod conuenit: dummodo ſciamus, & ſi quid fuit præſcriptū: dolum tamen eos præſtaturos, qui receperunt, qui ſolus in depoſitum venit. F

Si te rogauero, vt rem meam perferas ad Titium, vt is eam ſeruet: qua actione experiri tecum poſſim, apud Pomponium quæritur? & putat tecum mandati: cum eo verò, qui eam recepit, depoſiti. Si verò tuo nomine receperit Titius: tu quidem mandati mihi teneris, ille tibi depoſiti. quam actionem mihi præſtabis, mandati iudicio cōuentus.

Quando præcedit contractus perfectus: & adiicitur conuentio quæ poteſt cadere in nomē cōtractus: potius inducitur informatio primi quàm

mi quàm nouus contractus. Bartolus.

A Quòd si rem tibi dedi, vt si Titius non recepisset, tu custodires, nec eam recepit: videndum est, vtrũ depositi tantùm, an & mandati actio sit. & Pomponius dubitat. puto tamen mandati esse actionem: quia plenius fuit mandatum, habens & custodiæ legem.

Si res iussu meo deponitur apud alium recipientem pro me, ego teneor depositi: aliàs tenetur recipiens, & non ego: nisi hoc expressérim vel fideiusserim: & tunc obligatio durat etiam principali sine hærede defuncto.

Idem Pomponius quærit: si tibi mandauero, vt rem ab alio meo nomine receptam custodias, idque feceris: mandati, an depositi tenearis? & magis probat, mandati esse a-

B ctionem: quia hic est primus contractus. Idem quærit. si apud te volente me deponere, iusseris apud libertum tuum deponere: an possim tecum depositi experiri? & ait. si tuo nomine, hoc est, quasi te custodituro, deposuissem: mihi tecum depositi esse actionem. Sin verò suaseris mihi, vt magis apud eum deponam: tecum nullam esse actionem, cum illo verò depositi: nec mandati te teneri, quia rem meam ipse gessi. sed si mandasti mihi, vt periculo tuo apud eum deponam: cur non sit mandati actio, non video. Planè si fideiussisti pro eo: Labeo omnimodo fideiussorẽ teneri ait: non tantùm si dolo fecit is, qui depositum suscepit: sed & si non fecit, est tamen res apud eum. quid enim si

C fureret is, apud quem depositum est, vel pupillus esset, vel neque hæres, neque bonorum possessor, neque successor ei exstaret? tenebitur ergo, vti præstet, quod depositi actione præstari solet.

Pupillus tenetur de dolo eatenus, quatenus locupletior factus est. Bartolus.

An in pupillum, apud quem sine tutoris authoritate depositum est, depositi actio detur, quæritur? sed probari oportet, si apud doli mali iam capacem deposueris: agi posse, si dolum commisit. nam in quantum locupletior factus est, datur actio in eum, & si dolus non interuenit. Si res deposita deterior redditur: quasi non redderetur agi depositi potest. cùm enim deterior redditur: potest dici, dolo malo redditam non esse. Si seruus meus deposuerit: nihilominus

hilominus depositi habebo actionem.

In seruum manumissum non datur actio ex cõtractu antè facto: sed ex delicto sic. Bartolus. D

Si apud seruum deposuero, & cum manumisso agam: Marcellus ait, nec tenere actionem: quamuis solemus dicere, doli etiam in seruitute commissi teneri quem debere: quia & delicta, & noxæ caput sequuntur. erit igitur ad alias actiones competentes decurrẽdum. Hæc actio bonorum possessoribus, cæterisque successoribus, & ei, cui ex Trebelliano senatusconsulto restituta est hæreditas, competit. Non tantùm præteritus dolus in depositi actionem venit: sed etiam futurus, id est, post litem cõtestatam. Inde scribit Neratius. si res deposita sine dolo malo amissa esset, & post iudicium acceptum recuperaretur: nihilominus rectè ad restitutionem reum compelli: nec debere absolui, nisi restituat. Idem Neratius ait. quamuis tunc tecum depositi actum sit, cùm restituendi facultatem non habeas (horreis fortè Clausis) tamen si ante cõdemnationem restituendi facultatem habeas: condemnandum te, nisi restituas: quia res apud te est. tunc enim quærendum, an dolo malo feceris, cùm rem non habeas. E

Depositarius statim potest conueniri ad rei restitutionem, nisi caussa de nouo emergat. Bartolus.

Est autem & apud Iulianũ libro decimotertio Digestorum scriptum: eum, qui rem deposuit, statim posse depositi actione agere. hoc enim ipso dolo facere eum, qui suscepit, quod reposcenti rem non reddat. Marcellus autem ait, non semper videri posse dolo facere eũ, qui reposcẽti non reddat. quid enim, si in prouincia res sit, vel in horreis, quorum aperiendorum condemnationis tempore non sit facultas: vel conditio depositionis non exstiterit? Hanc autem actionem bonæ fidei esse, dubitari non oportet. & ideo fructus in hanc actionem venire, & omnem caussam, & partum dicendum est: ne nuda res veniat. Si rem depositam vendidisti, eámque postea redemisti in caussam depositi: etiam si sine dolo malo postea perierit, teneri te depositi: quia semel dolo malo fecisti, cùm venderes. In depositi quoque actione in litem iuratur. F

Ex deposito facto per seruum nostrum, vel in quem habemus vsumfru-

sumfructum, quæritur nobis actio. Bartolus.

A Non solùm si seruus meus, sed & si is, qui mihi bona fide seruit, rem deposuerit: æquissimũ erit, dari mihi actionem, si rem ad me pertinentem deposuit. simili modo & si vsumfructũ in seruo habeã: si id, quod deposuit, ex eo peculio fuerit, quod ad me pertinebat, vel res mea fuerit: eadem actione agere potero. Item si seruus hæreditarius deposuerit: hæredi postea adeunti competit actio. Si seruus deposuit: siue viuat, siue decesserit, vtiliter dominus hac actione experietur: ipse autem seruus manumissus non poterit agere. sed & si fuerit alienatus: adhuc ei competit actio, cuius fuit seruus, cùm deponeret. initium enim contractus spectandum est. Si duorum seruus sit, qui de

B posuit: vnicuique dominorum in partẽ competit actio depositi.

Qui depositum restituit domino putatiuo, liberatur, nisi sciens fuerit. Bartolus.

Si rem à seruo depositam Titio, quem dominum eius putasti, cùm non esset, restituisses: depositi actione te non teneri, Celsus ait: quia nullus dolo intercessit. cum Titio autem, cui res restituta est, dominus serui ad exhibendum aget: & si exhibuerit, vindicabit. si verò, cùm sciret rem alienam esse, consumpsit: condemnabitur, quia dolo fecit, quò minus possideret.

Qui quasi de suo soluit, non videtur depositum reddere. Bartolus.

C Eleganter apud Iulianum quæritur. si pecuniam seruus apud me deposuit, ita vt domino pro libertate ei⁹ dem, egóque dedero: an tenear depositi? & scribit libro decimotertio Digestorum. siquidem sic dedero, quasi ad hoc penes me depositum, téque certiorauero: non competere tibi depositi actionẽ, quia sciens recepisti. careo igitur dolo. Si verò quasi meam pro libertate eius numerauero, tenebor. quæ sententia mihi videtur vera. hic enim non tantùm sine dolo malo non reddidit: sed nec reddidit. aliud enim est reddere, aliud quasi de suo dare. Si pecunia apud te ab initio hac lege deposita sit, vt si voluisses, vtereris: prius quàm vtaris, depositi teneberis.

Conuentio & spontanea oblatio facit depositarium teneri de leuissima culpa. Bartolus.

Sæpe

Sæpe euenit, vt res deposita, vel numi periculo sint eius, apud quem deponuntur: vt puta si hoc nominatim con uenit. sed & si quis se deposito obtulit: idem Iulianus scri bit, periculo se depositi alligasse: ita tamen, vt non solùm dolum, sed etiam culpam & custodiam præstet: non tamen fortuitos casus. D

Si depositum est diuiduum: vni ex hæredibus repetenti soluitur pro parte: si indiuiduum, soluitur in solidum: si quidem ipse caueat, aliàs deponetur. Bartolus.

Si pecunia in sacculo signato deposita sit, & vnus ex hæredibus eius, qui deposuit, veniat repetēs: quemadmodum ei satisfiat, videndum est. promēda est pecunia vel co ram prætore, vel interuenientibus honestis personis, & exsoluenda pro parte hæreditaria. Sed etsi resignetur, non contra legem depositi fiet: cùm vel authore prætore, vel honestis personis interuenientibus hoc euenerit: residuo vel apud eum remanente, si hoc voluerit (sigillis videlicet prius ei impressis, vel à prætore, vel ab his, coram quibus signacula remota sunt) vel si hoc recusauerit, in ęde m deponendo. Sed si res sunt, quæ diuidi non possunt: omnes debebit tradere, satisdatione idonea à petitore ei præstanda in hoc, quod supra eius partem est. Satisdatione autem non interueniente: rem in ædem deponi, & omni actione depositarium liberari. E

Si duo se hæredes contendunt, licet debitori soluere cui vult exacta cautione quod se ab alio defendet. Bartolus. F

Apud Iulianum libro decimotertio Digestorum talis species relata est. ait enim: si depositor decesserit, & duo existant, qui inter se cōtendant, vnusquisque solum se hæredem dicens: ei tradendam rem, qui paratus est aduersus alterum reum defendere. quòd si neuter hoc onus suscipiat: commodissimè dici ait, non cogendum esse à prætore iudicium suscipere. oportere igitur rem deponi in ædem aliquam, donec de hæreditate iudicetur. Si quis tabulas testamenti apud se depositas, pluribus præsentibus legit: ait Labeo, depositi actione rectè de tabulis agi posse. ego arbitror, & iniuriarum agi posse: si hoc animo recitatum est testamentum quibusdam præsentibus, vt iudicia secreta eius, qui testatus est, diuulgarentur. Si prædo vel fur deposuerit:

deposuerit:& hos Marcellus libro sexto Digestorum putat depositi rectè acturos.nam interest eorum,eo quòd teneantur.

A

Qui petit speciem argēteam, debet in libello inserere speciem & pondus,nisi se ignorare iurauerit.Bartolus.

Si quis argentū vel aurum depositum petat: vtrum speciem,an & pondus cōplecti debeat?& magis est,vt vtrumque complectatur.scyphum fortè,lancem, vel pateram dicendo,& materiam & pondus addendo. Sed & si purpura infecta sit,vel lana,pōdus similiter adiiciendum:saluo eo, vt si de quantitate ponderis incertum est, iuranti succurratur. Si cista signata deposita sit: vtrum cista tantùm petatur,an & species comprehendendæ sint?& ait Trebatius, cistam repetendam, non singularum rerum depositi agendum.quòd si & res ostensæ sunt(species fortè,vel vestes) & sic depositę:adiiciendas & species & vesteis.Labeo autem ait: eum, qui cistam deponit, singulas quoque res videri deponere.ergo & de rebus agere eum oportere.Quid ergo si ignorauit is,qui depositum suscipiebat,res ibi esse? non multum facere,cùm suscepit depositum.ego & rerum depositi agi posse existimo: quamuis signata cista deposita sit.

B

Ex contractu filiifamilias, durante patria potestate potest conueniri tam filius in solidum quàm pater de peculio. Paulus de castro.

Filiumfamiliâs teneri depositi constat: quia & cæteris actionibus tenetur. Sed & cum patre eius agi potest,dumtaxat de peculio. idem & in seruo. nam cum domino agetur. planè(vt Iulianus scripsit, & nobis videtur) si eorum nomine,qui sunt in potestate,agatur: venit in iudicium, & si quid per eum, in cuius iure sunt, captum fraudatúmve est: vt & dolus eorum veniat,non tantùm ipsorū,cum quibus contractum est.

C

Plures depositarii ad rei restitutionem tenentur in solidum, & etiam de dolo, si omnes dolum commiserint: secus si alter tantum. Bartolus.

Si apud duos sit deposita res, aduersus vnumquenque eorum agi poterit:nec liberabitur alter,si cum altero agatur. non enim electione,sed solutione liberantur. proinde si ambo dolo fecerint,& alter quod interest prętiterit:al

ter non conuenietur, exemplo duorum tutorum. quòd si nihil alter, vel minus facere possit: ad alium peruenietur. idémque & si alter dolo non fecerit, & idcirco sit absolutus. nam ad alium peruenietur. Sed si duo deposuerint, & ambo agant: siquidem sic deposuerunt, vt vel vnus tollat totum: poterit in solidũ agi. si verò pro parte, pro qua eorum interest: tunc dicendum est, in partem condemnationem faciendam. D

Potest quis repetere depositum ante tempus statutum. Bartolus.

Si sic deposuero apud te, vt post mortem tuam reddas: & tecũ, & cum hærede tuo possum depositi agere. possum enim mutare voluntatem, & ante mortem tuam depositum repetere. proinde & si sic deposuero, vt post morté meam reddatur: potero & ego, & hæres meus agere depositi, mutata voluntate. E

Depositarius non tenetur, nisi de dolo & lata culpa: & ideo re vendita per hærede absque dolo non tenetur, nisi de eo quod ad eum peruenit. Bartolus.

Quoniam auté dolus dumtaxat in hanc actionem venit: quęsitum est, si hæres rem apud testatorem depositam, vel cõmodatam distraxit, ignorans depositam, vel commodatam, an teneatur? & quia dolo non fecit, nõ tenebitur de re: an tamen vel de precio teneatur, quod ad eum peruenit? & verius est, teneri eum. hoc enim ipso dolo facit, quòd id, quód ad se peruenit, non reddit.

II. PAVLVS *lib.* XXXI. *ad edictum.* F

QVid ergo si precium nondum exegit: aut minoris, quàm debuit, vendidit? actiones suas tantummodo præstabit.

III. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

PLanè si possit rem redimere, & præstare, nec velit: non caret culpa: quemadmodum nec si redemptam, vel alia ratione suam factã, noluit præstare: caussatus, quòd semel ignarus vendiderit.

IIII. PAVLVS *lib.* V. *ad Plautium.*

SEd & si non sit hæres, sed putauit se hæredem, & vendidit: simili modo lucrum ei extorquebitur.

In actionibus contrariis, in quibus de fide rupta non agitur, non efficitur quis infamis. Bartolus.

V. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

A EI, apud quem depositum esse dicetur, contrarium iudicium depositi datur. in quo iudicio meritò in litem non iuratur. non enim de fide rupta agitur, sed de indemnitate eius, qui depositum suscepit. In sequestrum depositi actio competit. si tamen cum sequestro conuenit, vt certo loco rem depositam exhiberet: nisi ibi exhibeat, teneri eum palam est. Quod si de pluribus locis conuenit: in arbitrio eius est, quo loco exhibeat. sed si nihil conuenit: denunciandum est ei, vt apud prætorem exhibeat. Si velit sequester officium deponere, quid ei faciendum sit? & ait Pomponius, adire eum prætorem oportere: & ex eius authoritate denunciatione facta his, qui eum elegerãt: ei rem
B restituendam, qui præsens fuerit. sed hoc non semper verum puto. nam plerunque non est permittendus officium, quod semel suscepit, contra legem depositionis deponere: nisi iustissima caussa interueniente. & cùm permittitur: raro ei res restituenda est, qui venit: sed oportet eam arbitratu iudicis apud ædem aliquam deponi.

VI. PAVLVS *lib.* XXXI. *ad edictum.*

PRopriè † in sequestro est depositum, quod à pluribus in solidum certa cõditione custodiendũ reddendúmque traditur. *† iuxta hãc definitionem est q̃ Gell. lib. 20. noc. Att. ca. 10. scribit.*

In re aliena intempestiue misericordiam exercere dolus præsumptus est. Bartolus.

C VII. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

SI hominem apud se depositum, vt quæstio de eo habéretur, ac propterea vinctum, vel ad malam mansionem extensum, sequester soluerit, misericordia ductus: dolo proximum esse, quod factum est, arbitror: quia cùm sciret, cui rei pararetur, intẽpestiuè misericordiam exercuit: cùm posset non suscipere talem caussam, quàm † decipere. Datur actio depositi in heredem ex dolo defuncti in solidum quanquam enim aliâs ex dolo defuncti non solemus teneri, nisi pro ea parte, quę ad nos peruenit: tamẽ quia hic dolus ex contractu reique persecutione descendit: ideóque in solidum vnus hæres tenetur. plures verò pro ea parte, qua quisque hæres est. *† i. potius, quàm.*

Quando numularii foro cedunt, potior est caussa deponentium

& vsuras non recipientium: & inter eos qui prior est tempore, non est potior in iure. Bartolus. D

Quoties foro cedunt numularij, solet primo loco ratio haberi depositariorum: hoc est eorum, qui depositas pecunias habuerint, quas non fœnore apud numularios, vel cum numulariis, vel per ipsos exercebant: & ante priuilegia. igitur si bona venerint, depositariorum ratio habetur: dummodo eorum, qui vel postea vsuras acceperũt, ratio non habeatur, quasi renunciauerint deposito. Item quæritur, vtrum ordo spectetur eorum, qui deposuerunt: an verò simul omnium depositariorum ratio habeatur? & constat simul admittendos. hoc enim rescripto principali significatur.

VIII. PAPINIANVS *lib.* IX. *Quæstionum.* E

QVod priuilegium exercetur, non in ea tãtùm quantitate, quæ in bonis argentarij ex pecunia deposita reperta est, sed in omnib' fraudatoris facultatib': idque propter necessarium vsum argentariorum ex vtilitate publica receptum est. planè sumptus caussa, qui necessariò factus est, semper præcedit. nam deducto eo bonorum calculus subduci solet.

In actionibus bonæ fidei quilibet hæredum tenetur in solidum ex dolo seu facto proprio. Ex facto autem defuncti, pro hæreditaria portione. Bartolus.

IX. PAVLVS *lib.* XXXI. *ad edictum.*

IN depositi actione si ex facto defuncti agam: aduersus vnum ex pluribus hæredibus pro parte hæreditaria agere debeo. si verò ex suo delicto: pro parte non ago. meritò: quia æstimatio refertur ad dolum, quem in solidum ipse hæres admisit: F

X. IVLIANVS *lib.* II. *ex Minicio.*

NEc aduersus cohęredes eius, qui dolo carent, depositi actio competit.

Depositum factum per seruum potest sibi restitui, & liberatur depositarius, nisi sciat vel scire possit dominum non consentire vel contradicere. Paulus de castro.

XI. VLPIANVS *lib.* XLI. *ad Sabinum.*

QVod seruus deposuit: is, apud quem depositum est, seruo rectissimè reddet ex bona fide. nec enim conuenit

cōuenit bonæ fidei, abnegare id, quod quis accepit: sed de-
A bebit reddere ei, à quo accepit: sic tamen, si sine dolo omnia reddat: hoc est, vt ne culpæ quidé suspicio sit. denique Sabinus hoc explicauit addendo: NEC VLLA CAVSSA INTERVENIT, QVARE PVTARI POSSIT, DOMINVM REDDI NOLLE. hoc ita est, si potuit suspicari, iusta scilicet ratione motus. cæterùm sufficit bonam fidem adesse. sed & si antè eius rei furtum fecerat seruus: si tamen ignorauit is, apud quem deposuit, vel credidit dominum non inuitum fore huius solutionis: liberari poterit. bona enim fides exigitur. non tantùm autem, si remanenti in seruitute fuerit solutum: sed etiam si manumisso, vel alienato ex iustis caussis liberatio contingat: scilicet si quis ignorās manumissum, vel alienatum
B soluit. idémque & in omnibus debitoribus seruandū, Pomponius scribit.

XII. POMPONIVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

SI in Asia depositum fuerit, vt Romæ reddatur: videtur id actum, vt non impensa eius id fiat, apud quem depositum sit, sed eius, qui deposuit. Depositum eo loco restitui debet, in quo sine dolo malo eius est, apud quem depositum est. vbi verò depositum est, nihil interest. eadem dicenda sunt communiter & in omnibus bonæ fidei iudiciis. Sed dicendum est, si velit actor suis impensis, suóque periculo perferri rem Romam, vt audiendus sit: quo-
C niam & in ad exhibendum actione id seruatur. Cum sequestro rectè agetur depositi sequestraria actione: quum & in hæredem eius reddi oporteat. Quemadmodū quod ex stipulatu, vel ex testamento dari oportet, post iudicium acceptum cum detrimento rei perit: sic depositum quoq; eo die, quo depositi actum sit: periculo eius, apud qué depositum fuerit, est: si iudicij accipiendi tempore potuit id reddere reus, nec reddidit.

Ab ea die, qua quis incipit habere iniustam caussam litigandi, videtur dolo malo facere, & ad eum periculum spectat. Bartolus.

XIII. PAVLVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

SI quis inficiatus sit non aduersus dominum, sed quòd eum, qui rem depositam petebat, verum procuratorem non putaret: aut eius, qui deposuisset, hæredem: nihil do-

lo malo fecit. postea autem si cognouerit, cum eo agi poterit: quoniam tunc incipit dolo malo facere, si reddere eam non vult. Competit etiam cōdictio depositæ rei nomine: sed non antè, quàm quid dolo admissum sit. non enim quicquam hoc ipso, quòd depositum accipiat, verum quod dolum malum admiserit, condictione obligari constat. D

XIIII. CAIVS *lib.* IX. *ad edictum prouinciale.*

SI plures hæredes exstiterint ei, qui deposuerit: dicitur, si maior pars adierit, restituendam rem præsentibus. maiorem autem partem non ex numero vtique personarum, sed ex magnitudine portionum hæreditariarum intelligendum, cautela idonea reddenda. Siue autem cum ipso, apud quem deposita res est, actum fuerit, siue cum hærede eius: E & sua natura res ante rem iudicatam interciderit (veluti si homo mortuus fuerit) Sabinus & Cassius absolui debere eum, cum quo actum est, dixerunt: quia æquum sit naturalem interitum ad actorem pertinere: vtique cùm interitura sit ea res, etsi restituta esset actori.

In re propria non consistit depositum: ideo depositi agi non potest. Idem in commodato & precario. Bartolus.

XV. IVLIANVS *lib.* XIII. *Digestorum.*

QVi rem suam deponi apud se patitur, vel vtendam rogat: nec depositi, nec commodati actione tenetur. Sicuti qui rem suam conduxit, aut precariò rogat: nec precario tenetur, nec ex locato. F

Deponens primus non habet actionē contra tertium depositarium, nisi prius ei fuerit cessa. Bartolus.

XVI. AFRICANVS *lib.* VII. *Quæstionum.*

SI is, apud quem rem deposueris, apud alium eam deponat, & ille dolo quid admiserit: ob dolum eius, apud quem postea sit depositum, catenus eum teneri, apud quem tu deposueris, vt actiones suas tibi præstet.

Apud sequestrum plures tantum deponunt, & tunc possessio amittitur. Bartolus.

XVII. FLORENTINVS *lib.* VII. *Institutionum.*

LIcet deponere tam plures, quàm vnus possunt: attamē apud sequestrum non nisi plures deponere possunt. nam tunc id fit, cùm aliqua res in cōtrouersiam deducitur. itaque

itaque hoc casu in solidum vnusquisque videtur deposuisse.quod aliter est,cùm communem rem plures deponunt.

A Rei depositæ proprietas apud deponentem manet, sed & possessio:nisi apud sequestrum deposita est.nã tunc demum sequester possidet.id enim agitur ea depositione, vt neutrius interim possessionis tempus procedat.

Actio depositi in quatuor casibus contra hæredem ex dolo defuncti datur in simplum,& intra annum ex dolo hæredis secundum suam naturam.Bar.

XVIII. NERATIVS *lib.* II.*Membranarum.*

QVod tumultus,incendij,ruinæ,naufragij caussa depositum est:in hæredē de dolo mortui actio est, & pro hæreditaria portione,& in simplū, & intra an-

B num quoque. in ipsumverò & in solidum,& in duplum,& in perpetuum datur.

XIX. VLPIANVS *lib.* XXX.*ad edictum.*

IVlianus & Marcellus putant, filiumfamiliâs depositi rectè agere posse.

XX. PAVLVS *lib.* XXXI.*ad edictum.*

SI sine dolo malo rem depositam amiseris: nec depositi teneris,nec cauere debes,si deprehenderis, eam reddi. si tamen ad te iterum peruenerit:depositi teneris.

Emancipatus tenetur de deposito antè sibi facto. idem in seruo manumisso.Bar.

XXI. IDEM *lib.* XL.*ad edictum.*

C SI apud filiumfamiliâs res deposita sit, & emancipatus rem teneat : pater nec intra annũ de peculio debet cõueniri,sed ipse filius.plus Trebatius existimat: etiam si apud seruum depositum sit, & manumissus rem teneat : in ipsum dandam actionem,non in dominum : licet ex cæteris caussis in manumissum actio non datur.

Si plures hæredes depositarii separatim dolum committunt:quilibet tenetur pro parte, vbi verò cõmuniter, quilibet tenetur insolidũ: sed si ad rei restitutionem agitur,condemnatio fit pro parte.Bar.

XXII. MARCELLVS *lib.* I.*Digestorum.*

SI duo hæredes rem apud defunctum depositam dolo interuerterint:quodam vtique casu in partes tenebuntur.nam si diuiserint decem,quæ apud defunctum deposita fuerant,& quina abstulerint, & vterque soluendo sit:in

partes obstricti erunt. nec enim amplius actoris interest. Quòd si lancem conflauerint, aut conflari ab alio passi fuerint, aliaúe quæ species dolo eorum interuersa fuerit: in solidum conueniri poterunt, ac si ipsi seruandam suscepissent. nam certè verum est, in solidum quemque dolo fecisse: & nisi pro solido, res non potest restitui. nec tamen absurdè sentiet, qui hæc putauerit: planè, nisi integræ rei restitutione, eum, cum quo actum fuerit, liberari non posse: condemnandum tamen, si res non restituatur, pro qua parte hæres exstitit. D

In hac actione admittitur computatio expensarum. Bar.

XXIII. MODESTINVS *lib.* II. *Differentiarum.*

ACtione depositi conuentus seruo constituto: cibariorum nomine, apud eundé iudicem vtiliter experietur. E

Commendatum & depositum idem sunt: item actione depositi vsura veniunt à tempore moræ: etiam si pecunia numerata deponitur: licet depositi terminos egrediatur. Bar.

XXIIII. PAPINIANVS *lib.* IX. *Quæstionum.*

LVcius Titius Sempronio salutem. centū numos, quos hac die commendasti mihi, adnumerāte seruo Sticho actore, esse apud me, vt notum haberes, hac epistola manu mea scripta, tibi notum facio. quos quando voles, & vt voles, cōfestim tibi numerabo. quæritur propter vsurarium incrementum? respondi. depositi actionem locum habere. quid est enim aliud commendare, quàm deponere? quod ita verum est, si id actum esset, vt corpora numorum eadé redderentur. nam si, vt tantumdem solueretur, conuēnit: egreditur ea res depositi notissimos terminos. in qua quęstione, si depositi actio non teneat, cùm conuenit tantumdem, non idem reddi: rationem vsurarum haberi, non facilè dicendum est*. & est quidem constitutum, in bonæ fidei iudiciis (quod ad vsuras attinet) vt tantumdem possit officium arbitri, quantum stipulatio. Sed & contra bonam fidem, & depositi naturam est: vsuras ab eo desiderari temporis ante moram, qui beneficium in suscipienda pecunia dedit. si tamen ab initio de vsuris præstandis conuenit: lex contractus seruabitur. F

**ita est in F.P. dicendum (nō) est.*

XXV. IDEM *lib.* III. *Responsorum.*

DE sponsaliorum, aut postea, res oblatas puellæ, quæ sui iu-

ſui iuris fuit, pater ſuſcepit. hæres eius, vt exhibeat, rectè
A conuenietur etiam actione depoſiti. Qui pecuniã apud ſe non obſignatam, vt tantumdem redderet depoſitam, ad vſus proprios conuertit: poſt moram in vſuras quoque iudicio depoſiti condemnandus eſt.

Ex pacto appoſito in traditione rei meæ, quæ durat, alteri quæritur vtilis actio Bar.

XXVI. PAVLVS *lib.* IIII. *Reſponſorum.*

PVblia Mæuia, cùm proficiſceretur ad maritum ſuum, arcam clauſam cum veſte, & inſtrumentis commẽdauit Caiæ Seiæ, & dixit ei. cùm ſalua ſanaúe venero, reſtitues mihi. cæterùm ſi aliquid mihi humanum contigerit: filio meo, quem ex altero marito ſuſcepi. Defuncta ea in-
B teſtata, deſidero, res commendatæ cui reſtitui debeant: filio, an marito? Paulus reſpondit filio. Lucius Titius ita cauit. ἔλαβον καὶ ἔχω εἰς λόγον παρακαταθήκης τὰ προγεγραμμένα τοῦ ἀργυρίου δηνάρια μυρία: καὶ πάντα ποιήσειν συμφωνῶ τε καὶ ὡμολόγησα, ὡς προγέγραπται. καὶ συνεθέμην χορηγῆσαί σοι τόκον ἑκάστης μνᾶς ἑκάστου μηνὸς ὀβόλους τέσσαρας, μέχρι τῆς ἀποδόσεως παντὸς τοῦ ἀργυρίου. quæro, an vſuræ peti poſſunt? Paulus reſpondit. eũ contractum, de quo quæritur, depoſitæ pecuniæ modum excedere. ideo ſecundum conuentionem, vſuras quoque actione depoſiti peti poſſet. Titius Sempronio ſalutem. Habere me à vobis auri pondo plus minus decem, & di-
C ſcos duos, ſaccum ſignatum, ex quibus debetis mihi decem, quos apud Titium depoſuiſtis: item quos τροφίματι decem: item ex ratione patris veſtri decem, & quod excurrit. Quæro, an ex huiuſmodi ſcriptura aliqua obligatio nata ſit: ſcilicet, quod ad ſolam pecuniæ cauſſam attinet? reſpondit ex epiſtola, de qua quæritur, obligationem quidem nullam natam videri: ſed probationem depoſitarum rerum impleri poſſe. an autem is quoque, qui deberi ſibi cauit, eadem epiſtola decem probare poſſit? hoc, quod ſcripſit, iudicem æſtimaturum.

Licet non valeat quod in veritate agitur, tamen valet quod ſimulatè concipitur. Bar.

XXVII. IDEM *lib.* VII. *Reſponſorum.*

LVcius Titius cùm haberet filiam in poteſtate Seiam, Pamphilo

Pamphilo ſeruo alieno in matrimonio collocauit: cui etiã dotem dedit, quam ſub titulo depoſiti in cautionem contulit. & poſtea denuntiatione nulla à domino facta, pater deceſſit. mox & Pamphilus ſeruus. quæro, qua actione Seia pecuniam petere poſſit, cùm ipſa patri hæres extiterit? Paulus reſpondit. quoniam dos conſtitui non potuit: ex cauſſa depoſiti actione de peculio pecuniam repetendam. D

Qui promittit prouidentiam pecuniæ depoſitæ, tenetur ad vſuras, ſi eas perceperit, vel in ſuos vſus conuerterit, Bar.

XXVIII. SCAEVOLA *lib. I. Reſponſorum.*

QVintus Cæcilius Candidus ad Paccium Rogatianũ epiſtolam ſcripſit in verba infrà ſcripta. Cæcilius Candidus Paccio Rogatiano ſuo ſalutem. Vigintiquinque numos, quos apud me eſſe voluiſti, notum tibi hac epiſtola facio, ad ratiunculam meam eos perueniſſe: quibus vt primum proſpiciam, ne vacui tibi ſint, curæ habebo. quæſitum eſt, an ex ea epiſtola etiam vſuræ peti poſſunt? reſpõdi. debere ex bonæ fidei iudicio: ſiue percepit, ſiue pecunia in rem ſuam vſus eſt. E

Depoſitarius vtendo re depoſita præter voluntatem deponentis, tenetur furti & etiam depoſiti. ſecus ſi ex eius voluntate: tunc tamen tenebitur ad vſuras ex mora vel ex pacto, Bar.

XXIX. PAVLVS *lib. II. Sententiarum.*

SI ſacculum vel argentum ſignatum depoſuero, & is, penes quem depoſitum fuit, me inuito contrectauerit: & depoſiti, & furti actio mihi in eum competit. Si permiſſu meo depoſita pecunia is, penes quem depoſita eſt, vtatur: vt in cæteris bonæ fidei iudiciis, vſuras eius nomine præſtare mihi cogitur. F

XXX. NERATIVS *lib. I. Reſponſorum.*

SI fideiuſſor pro te, apud quem depoſitum eſt, litis æſtimatione damnatus ſit: rem tuam fieri.

Bona fides eſt in genere vt res depoſita deponenti reſtituatur: niſi extrinſeca & ſpecialis ratio hanc bonam fidem impediat, Bar.

XXXI. TRIPHONINVS *lib. IX. Diſputationum.*

BOna fides, quæ in contractibus exigitur, æquitatem ſummam

summam desiderat. sed eam vtrum æstimamus ad merum ius gentium, an verò cum præceptis ciuilibus, & prętoriis? veluti reus capitalis iudicij deposuit apud te centum. is deportatus est. bona eius publicata sunt. vtrúmne ipsi hæc reddenda, aut in publicum deferenda sunt? si tantum naturale & gentium ius intueamur: ei, qui deposuit, restituenda sunt. si ciuile ius & legum ordinem: magis in publicum deferenda sunt. nam malè meritus publicè, vt aliis * exemplo ad deterrenda maleficia sit, etiam egestate laborare debet. Incurrit hic & alia inspectio. bonam fidem inter eos tantùm, quos inter contractum èst, nihilo extrinsecus adsumpto, æstimare debeamus: an respectu etiam aliarum personarum, ad quas id, quod geritur pertinet? exempli loco. latro spolia mihi abstulit, deposuitque apud Seium inscium de malicia deponentis. vtrum latroni, an mihi restituere Seius debeat? si per se dantem accipientemque intueamur: hæc est bona fides, vt commissam rem recipiat is, qui dedit. si totius rei æquitatem, quæ ex omnibus personis, quæ negocio isto continguntur, impletur mihi: reddenda sunt, quæ facto scelestissimo adempta sunt. & probo hanc esse iustitiam, quæ suũ cuique ita tribuit, vt non distrahatur ab vllius personę iustiore petitione. Quod si ego ad petenda ea non veniã: nihilominus ei restituenda sunt, qui deposuit: quamuis malè quæsita deposuit. quod & Marcellus in prædone, & fure scribit. Si tamen ignorans latro, cuius filio vel seruo rem abstulisset, apud patrem dominúmve eius deposuit ignorantem: nec ex iure gentium consistet depositum: cuius hæc est potestas, vt alij, non domino sua ipsius res, quasi aliena, seruanda detur. Et si rem meam fur, qui me ignorante subripuit, apud me etiam nunc delictum eius ignorantem, deposuerit: rectè dicetur, non contrahi depositum: quia non est ex bona fide, rem suam dominum prædoni restituere compelli. sed & si etiamnũ ab ignorante domino tradita sit, quasi ex caussa depositi: tamen in debiti dati condictio competit.

A | B | C

* *In hunc locũ Gel. li. 6. nocti Atti. cap. 14.*

Latior culpa dicitur dolus præsumptus: qui colligitur ex eo quod depositarius non adhibuit eam dilegẽtiam in re deposita quam adhibuit in sua. Bar.

XXXII. CELSVS *lib.* XI. *Digestorum.*

QVod Nerua diceret, latiorem culpam dolum esse, Proculo displicebat: mihi verissimum videtur. nam & si quis non ad eum modum, quem hominum natura desiderat, diligens est: nisi tamen ad suum modum curam in deposito præstat, fraude non caret. nec enim salua fide minorem his, quàm suis rebus, diligentiam præstabit. D

Depositio serui apud sequestrum non impedit dominum agere. Bartolus.

XXXIII. LABEO *lib.* VI. *posteriorum à Iaboleno epitomatorum.*

SEruus tuus pecuniam cum Titio in sequestro deposuit apud Mæuium ea conditione, vt ea tibi redderetur, si tuam esse probasses: si minus, vt Titio. posse dixit, cum eo, apud quem deposita esset, incerti agi: item & ad exhibêdum, & exhibitam vindicari: quia seruus in deponendo tuum ius deterius facere non potuisset. E

Qui recipit pecuniam vt reddat depositum: depositi conuenitur. Bartolus.

XXXIIII. IDEM *lib.* II. πιθανῶν.

POtes agere depositi cum eo, qui tibi non aliter, quàm numis à te acceptis, depositum reddere voluit: quamuis sine mora & incorruptum reddiderit.

DIGESTORVM SEV PANdectarum liber decimusseptimus. F

MANDATI, VEL CONTRA. *Tit.* I.

Mandatum consensu cõtrahitur purè, in diem, & sub conditione: & debet esse gratuitum. Bartolus.

PAVLVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

OBLIGA-

A OBLIGATIO mãdati consensu cõtrahentium consistit. ideo per nuncium quoque, vel per epistolam mandatum suscipi potest. Item siue ROGO, siue VOLO, siue MANDO, siue aliud quodcunque verbum scripserit: mandati actio est. Item mandatum & in diem differri, & sub cõditione contrahi potest. Mandatum, nisi gratuitum, nullum est. nam originem ex officio atque amicitia trahit. cõtrarium porrò est officio merces. interueniente enim pecunia, res ad locationem & conductionem potius respicit.

II. CAIVS *lib.* II. *rerum quotidianarũ, siue aureorũ.*

B MAndatum inter nos contrahitur: siue mea tantũ gratia tibi mandem, siue aliena tantùm, siue mea & aliena, siue mea & tua, siue tua & aliena. quod si tua tantùm gratia tibi mandem: superuacuum est mandatum, & ob id nulla ex eo obligatio nascitur. Mea tantùm gratia interuenit mandatum: veluti si tibi mandem, vt negocia mea geras, vel vt fundum mihi emas, vel vt pro me fideiubeas.

Aliena tantùm: veluti si tibi mandem, vt Titij negocia geras, vel vt fundum ei emas, vel vt pro eo fideiubeas.

Mea & aliena: veluti si tibi mandem, vt mea & Titij negocia geras, vel vt mihi & Titio fundum emas, vel vt pro me & Titio fideiubeas. Tua & mea: veluti si mandem
C tibi, vt sub vsuris credas ei, qui in rem meam mutuatur.

Tua & aliena: veluti si mandẽ, vt Titio sub vsuris credas. quod si, vt sine vsuris credas: aliena tantùm gratia interuenit mandatum. Tua autem gratia interuenit mandatum: veluti si mandem tibi, vt pecunias tuas potius in emptiones prædiorum colloces, quàm fœneres: vel ex diuerso, vt fœneres potius, quàm in emptiones prædiorum colloces. cuius generis mandatum magis est consilium, quàm mandatum. & ob id non est obligatoriũ: quia nemo ex cõsilio obligatur, etiam si non expediat ei, cui datur: quia liberũ est cuiq; apud se explorare, an expediat sibi cõsiliũ.

In mandato indeterminato sufficit negocium vtiliter esse gestum. sed si fuit determinatum in excessu vel deterioratiõe vel deminutione quantitatis: in præiudicium mandantis non datur actio mandati, nisi

ti, nisi ad formam debitam reducatur. si in alia specie excedatur, mandatum non impletur: si verò ad commodum mandantis quantitatis deminutio fiat, mandati actionem non impedit. Bartolus. D

III. PAVLVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

PRæterea in caussa mandati etiam illud vertitur: vt interdum nec melior caussa mandātis fieri possit, interdum melior, deterior vero nunquam. & quidem si mandaui tibi, vt aliquam rem mihi emeres, nec de precio quidquam statui, tuque emisti: vtrinque actio nascitur. quod si precium statui, tuque pluris emisti: quidam negauerunt, mandati te habere actioné, etiam si paratus esses id, quod excedit, remittere. nanque iniquum est, non esse mihi cum illo actionem, si nolit: illi verò, si velit, mecum esse.

IIII. CAIVS *lib.* II. *rerum quotidianarū, seu aureorū.* E

SEd Proculus rectè eum vsque ad precium statutum acturum existimat. quæ sententia sanè benignior est.

V. PAVLVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

Insigne exemplū huius respōsi apud Gell. lib. 1. cap. 13.

DIligenter igitur fines mandati custodiendi sunt. nam qui excessit, aliud quid facere videtur: & si susceptum non impleuerit, tenetur. itaque si mandauero tibi, vt domum Seianam centum emeres, tuque Titianam emeris longè maioris precij, centum tamen, aut etiam minoris: non videris implesse mandatum. Item si mandauero tibi, vt fundum meum centum venderes, tuque eum nonaginta vendideris, & petam fundum: nō obstabit mihi exceptio, nisi & reliquum mihi, quod deest mandato meo, præstes, & indemnem me per omnia conserues. F Seruo quoque si dominus præceperit certa summa rem vendere, & ille minoris vendiderit: similiter & vindicare eam dominus potest: nec vlla exceptione submoueri, nisi indemnitas ei præstetur. Melior autem caussa mandantis fieri potest: puta si cùm tibi mandassem, vt Stichum decem emeres, tu eum minoris emeris, vel tantidem, vt aliud quidquam seruo accederet. vtroque enim casu, aut non vltra precium, aut intra precium fecisti.

VI. VLPIANVS *lib.* XXXI. *ad edictum.*

SI remunerandi gratia honor interuenit: erit mandati actio. Si cui fuit mādatum, vt negocia administraret: hac actione erit conueniendus, nec rectè negociorum ge-

storum

ſtorum cum eo agetur. nec enim ideo eſt obligatus, quod
A negocia geſſit: verùm idcirco, quod mandatum ſuſcepit.
denique teneretur, & ſi non geſſiſſet. Si paſſus ſim aliquem pro me fideiubere, vel aliâs interuenire: mandati teneor. & niſi pro inuito quis interceſſerit, aut donandi animo, aut negocium gerens: erit mandati actio. Rei turpis mandatum nullum eſt. & ideo hac actione non agetur. Si tibi mandauero, quòd mea nõ intereſſet: veluti vt pro Seio interuenias, vel vt Titio credas: erit mihi tecum actio mãdati, vt Celſus libro octauo Digeſtorum ſcribit: & ego tibi ſum obligatus. Planè ſi tibi mandauero, quòd tua intereſſet: nulla erit mandati actio, niſi mea quoque interfuerit. at ſi non eſſes facturus, niſi ego mandaſſem: & ſi mea non interfuit, tamen erit mandati actio.

B *In mandato ſpeciali non deuoluitur mutuũ ſecus in generali.* B.

Apud Iulianum libro decimotertio Digeſtorum quæritur. ſi dominus iuſſerit procuratorem ſuum certam pecuniam ſumere, & fœnerare periculo ſuo, ita vt certas vſuras domino penderet: ſi pluris fœnerare potuiſſet, ipſe lucraretur: in creditum pecuniam videtur (inquit) accepiſſe. planè ſi omnium negociorum erat ei adminiſtratio mandata: mandati quoque eum teneri, quemadmodum ſolet mandati teneri, qui creditoris ſui negocia geſſit. Marius Paulus quidam fideiuſſerat pro Daphnide, mercedem pactus ob ſuam fideiuſſionem: & ſub nomine alterius ex e-
C uentu litis cauerat ſibi certam quantitaté dari. hic à Claudio Saturnino prętore maiores fructus inferré iuſſus erat. aduocationibus ei idem Saturninus interdixerat. videbatur autem mihi iudicatum ſolui fideiuſſiſſe, & quaſi redemptor litis exſtitiſſe: & velle à Daphnide mandati iudicio conſequi, quod erat condemnatus. ſed rectiſſimè diui fratres reſcripſerunt, nullam actionem eum propter ſuam calliditatem habere: quia mercede pacta acceſſerat ad talem redemptionem. Marcellus autem ſic loquitur de eo, qui pecunia accepta ſpopondit, vt ſiquidem actum eſt, vt ſuo periculo ſpondeat: nulla actione agat. ſin verò nõ eſt hoc actum: vtilis ei potius actio competat. quæ ſententia vtilitati rerum conſentanea eſt.

Salarium nudo pacto promiſſum, officio iudicis exigitur, niſi ſit pactum

pactum de quota litis. Bartolus.

VII. PAPINIANVS *lib.* II. *Responsorum.* D

SAlarium procuratori constitutum, si extra ordinem peti cœperit: considerandum erit, an laborem dominus remunerare voluerit, atq; ideo fidem adhiberi placitis oporteat: an in euẽtum litium maioris pecuniæ præmio cõtra bonos mores procurator redemerit?

Procurator vt instrumenta sibi data reddat, tenetur actione mãdati, non depositi. idem si per collusionem passus est se vinci. Bar.

VIII. VLPIANVS *lib.* XXXI. *ad edictum.*

SI procuratorem dedero, nec instrumenta mihi caussæ reddat: qua actione mihi teneatur? & Labeo putat mandati eum teneri: nec esse probabilem sententiam existimãtium, ex hac caussa agi posse depositi. vniuscuiusque enim contractus, & initium spectandum esse, & caussam. Sed & si per collusionem procuratoris absolutus sit aduersarius: mandati eum teneri. sed si soluendo non sit: tunc de dolo actionem aduersus reum, qui per collusionem absolutus sit, dandam ait. Sed & de lite, quam suscepit, exsequenda mandati eum teneri constat. E

Procurator ad negocia potest aliũ substituere: secus in procuratore ad iudicia, qui non potest substituere, nisi lis fuerit contestata. Bartolus.

Si quis mandauerit alicui gerẽda negocia eius, qui ipse sibi mandauerat: habebit mandati actionẽ: quia & ipse tenetur. tenetur autem, quia agere potest. quãquam enim vulgo dicitur, procuratorẽ ante litem cõtestatam facere procuratorem non posse: tamen mandati actio est. ad agendum enim dumtaxat hoc facere non potest. F

Si tutor mandauerit contutori quod ad pupillum non pertinet, est actio mandati, vel tutelæ. Item negligentia mandatarii non excusat tutorem. Bartolus.

Si tutores mandauerint suo contutori mancipium emẽdum pupillo, & ille nõ emerit: an sit mandati actio? & vtrũ tantum mandati, an verò & tutelæ? & Iulianus distinguit. referre enim, cuius generis seruum tutores vni tutorum mandauerint, vt emeret. nam si superuacuum seruum, vel etiam onerosum: mandati actione tantùm eum teneri, tutelæ non teneri. si verò necessarium seruum: tunc & tute-

læ eum

læ eum teneri, nec solum, sed & cæteros. nam & si mandassent:
A tenerentur tutelæ, cùm seruum pupillo necessarium non comparauerint. non sunt igitur excusati, quod contutori mandauerint, quia emere debuerunt. Planè habebunt nihilominus mandati actionem: quia mandato non est obtemperatum. Contrà quoque Iulianus ait: tutorem, qui emit, mandati actionem habere aduersus cõtutores suos.

Si adparet emptionem factam meo nomine non valere: tenetur procurator, nisi cedat actionem si quam habet efficacem aliàs secus. Bartolus.

Si liber homo, cùm bona fide seruiret, Titio mandauit, vt redimeretur: & numos ex eo peculio dedit, quod ipsum sequi, non apud bonæ fidei possessorem relinqui debuit:
B Titiusque precio soluto, liberum illum manumisit, mox ingenuus pronunciatus est: habere eum mandati actionem aduersus eum Iulianus ait, cui se redimendũ mandauit. sed hoc tantùm inesse mãdati iudicio: vt sibi actiones mandet, quas habet aduersus eum, à quo comparauit. planè si eam pecuniam dederit, quæ erat ex peculio ad bonæ fidei possessorem pertinente: nullæ ei (inquit Iulianus) mandari actiones possunt: quia nullas habet, cùm ei suos numos emptor dederit. quinimò (inquit) ex vendito manebit obligatus. sed & hæc actio inutilis est: quia quantum fuerit consecutus, tantum empti iudicio necesse habebit præstare. Mandati actio tunc competit, cùm cœperit
C interesse eius, qui mandauit. cæterùm si nihil interest: cessat mandati actio. & eatenus competit, quatenus interest. vtputa mandaui tibi, vt fundũ emeres. si intererat mea emi: teneberis. cæterũ si eundem hunc fundum ego ipse emi, vel alius mihi, neque interest aliquid: cessat mandati actio. Mãdaui, vt negocia gereres. si nihil deperierit (quãuis nemo gesserit) aut si alius idoneè gesserit: cessat mãdati actio. & in similibus hoc idem erit probandum.

Fideiussorẽ omittentem exceptionem excusat ignorantia. omittentem verò appellare excusat paupertas & denunciatio facta principali. Bartolus.

Si ignorantes fideiussores debitorem soluisse, vel etiam acceptilatione, siue pacto liberatum, ex substantia debitoris soluerunt: non tenebuntur mandati, quod ad actionem

fideiuſſoris pertinet: & hoc ex reſcripto diuorum fratrum intelligere licet, cuius verba hæc ſunt. IMPP. ANTON. ET VERVS AA. Catullio Iuliano. Si hi, qui pro te fideiuſſerant, in maiorem quantitatem damnati, quàm debiti ratio exigebat, ſcientes & prudentes auxilium appellationis omiſerunt: poteris, mandati agentibus his, æquitate iudicis tueri te. Igitur ſi ignorauerũt, excuſata ignorantia eſt: ſi ſciuerunt, incumbebat eis neceſſitas prouocãdi. Cæterùm dolo verſati ſunt, ſi non prouocauerint. quid tamen, ſi paupertas eis nõ permiſit? excuſata eſt eorum inopia. ſed & ſi teſtatò conuenerunt debitorem, vt ſi ipſe putaret, appellaret: puto rationem eis conſtare. D

Procurator tenetur de dolo & lata culpa, & de eo quod ad eum peruenit. Bartolus. E

Dolo autem facere videtur, qui id, quod poteſt reſtituere, non reſtituit. Proinde ſi tibi mandaui, vt hominẽ emeres, eumque emiſti: teneberis mihi, vt reſtituas. Sed & ſi dolo emere neglexiſti, fortè ſi pecunia accepta alij ceſſiſti, vt emeret: aut ſi lata culpa, fortè ſi gratia ductus, paſſus es alium emere: teneberis. Sed & ſi ſeruus, quem emiſti, fugit: ſi quidem dolo tuo: teneberis. ſi dolus non interuenit, nec culpa: non teneberis, niſi ad hoc, vt caueas, ſi in poteſtatem tuam peruenerit, te reſtituturum. Sed & ſi reſtituas: tradere debes. & ſi cautum eſt de euictione rei, vel potes deſiderare, vt tibi caueatur: puto ſufficere, ſi mihi hac actione cedas, & procuratorem me in rem meã facias: F nec amplius præſtes, quàm conſecuturus ſis.

IX. PAVLVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

DE tuo etiam facto cauere debes.

X. VLPIANVS *lib.* XXXI. *ad edictum.*

IDemque & in fundo, ſi fundum emit procurator. nihil enim amplius, quàm bonam fidem præſtare eum oportet, qui procurat. ſed & ſi de ſanitate ſerui procuratori cautum eſt, aut caueri poteſt, aut de cæteris viciis: idem erit dicendum. at ſi culpa caueri non curauit: condemnabitur.

Si ex fundo, quem mihi emit, procurator fructus cõſecutus eſt: hos quoque officio iudicis præſtare eum oportet. Si procurator meus pecuniam meam habeat: ex mora vtique vſuras mihi pẽdet. ſed & ſi pecuniam meam fœnori

nori dedit, vsurasque consecutus est: consequenter dicemus, debere eum præstare, quantũcunque emolumenti senA sit: siue ei mandaui, siue non: quia bonæ fidei hoc congruit, ne de alieno lucrum sentiat. quod si non exercuit pecuniam, sed ad vsus suos conuertit. in vsuras conuenietur, quæ legitimo modo in regionibus frequentantur. Denique Papinianus ait, etiam si vsuras exegit procurator, & in vsus suos conuertit: vsuras eum præstare debere.

Si aliàs contrahendo mandatum perficitur: actio mandati exstinguitur, & ex nouo contractu agitur. Bartolus.

Si quis Titio mandauit, vt ab actoribus suis mutuã pecuniam acciperet: mandati eum non acturũ, Papinianus libro tertio Responsorũ scribit: quia de mutua pecunia eum B habet obligatũ. & ideo vsuras eum petere non posse, quasi ex caussa mãdati, si in stipulationé deductæ non sunt.

Qui fideiubet pro procuratore, habet actionem contra dominum. Bartolus.

Idem Papinianus libro eodem refert: fideiussori cõdemnato, qui ideo fideiussit, quia dominus procuratori mãdauerat, vt pecuniam mutuam acciperet: vtilem actionem dandam quasi institoriam: quia & hic quasi præposuisse eum mutuæ pecuniæ accipiendæ videatur.

Qui mihi tenetur actionem cedere, potest cogi debitorem liberare, vel alteri delegare ad mei petitionem. Bartolus.

Si cui mandauero, vt à Titio stipuletur: potero cum eo, C cui mandaui, agere mandati, vt eum acceptò liberet, si hoc velim: vel si malim, in hoc agam, vt eum deleget mihi, vel cui alij voluero. Et Papinianus libro eodem scribit. si mater pro filia dotem dederit, eaque mandante filia vel illico stipulata sit, vel etiam postea: mandati eam teneri, quãuis ipsa sit, quæ dotem dederit. Si quis ea, quæ procurator suus & serui gerebant, ita demum rata esse mandauit, si interuentu Sempronij gesta essent: & male pecunia credita sit: Sempronium, qui nihil dolo fecit, non teneri. & est verum: eum, qui nõ animo procuratoris interuenit, sed affectionem amicalem promisit in monendis procuratoribus, & actoribus, & in regendis consilio: mandati non teneri. sed si quid dolo fecerit: non mandati, sed magis de dolo teneri.

Procurator tenetur reſtituere id quod ad eum ex mandato peruenit. Bartolus. D

Si mãdauero procuratori meo, vt Titio pecuniam meã credat ſine vſuris, iſque non ſine vſuris crediderit: an etiã vſuras mihi reſtituere debeat, videamus. & Labeo ſcribit. reſtituere eum oportere, etiam ſi hoc mandauerim, vt gratuitam pecuniam daret: quamuis ſi periculo ſuo crediđiſſet, ceſſaret (inquit Labeo) in vſuris actio mandati.

Procurator poteſt domino imputare quidquid licite impendit. Bartolus.

Idem Labeo ait, & verum eſt, reputationes quoque hoc iudicium admittere: & ſicuti fructus cogitur reſtituere is, qui procurat: ita ſumptum, qué in fructus percipiendo fecit, deducere eum oportet. ſed & ſi ad vecturas ſuas, dum E excurrit in prædia, ſumptus fecit: puto hos quoq; ſumpt⁹ reputare eum oportere: niſi ſi ſalariũ fuit, & hoc cõuenit, vt ſumptus de ſuo faceret ad hæc itinera. Idẽ ait, ſi quid procurator citra mandatum ad voluptatem fecit: permittendũ ei auferre, quod ſine dãno domini fiat: niſi rationẽ ſumptus iſtius dominus admittit. Fideiuſſores & mãdatores, & ſi ſine iudicio ſoluerint: habent actionẽ mandati.

Omiſſio exceptionis inhoneſtæ non impedit actionem mandati. Item qui alium ex neceſſitate defendit, exceptionibus ex ſua perſona vti poteſt. Bartolus.

Generaliter Iulianus ait. ſi fideiuſſor ex ſua perſona omiſerit exceptionem, qua reus vti non potuit: ſiquidẽ minus honeſtam: habere eum mandati actionem. Quod ſi eã, F qua reus vti potuit: ſi ſciens id fecit, non habiturum mãdati actionem. ſi modò habuit facultatem rei conueniendi, deſiderãdique, vt ipſe ſuſciperet potius iudicium, vel ſuo, vel procuratorio nomine.

Acceptilatio facta cauſſa remunerandi, fideiuſſori tribuit actionem mandati, ſecus ſi ſimpliciter cauſſa donandi. Bar.

Si fideiuſſori donationis cauſſa acceptò factum ſit à creditore: puta ſi fideiuſſorem remunerare voluit creditor: habere eum mãdati actionem. Multo magis ſi mortis cauſſa acceptò tuliſſet creditor, vel ſi ei liberationẽ legauit.

X I. P O M P O N I V S *lib.* I I I. *ex Plautio.*

SI ei, cui damnatus ex cauſſa fideiuſſoria fueram, hæres

postea exstitero: habebo mandati actionem.

A XII. VLPIANVS *lib.* XXXI. *ad edictum.*

SI verò non remunerandi caussa, sed principaliter donando, fideiussori remisit actionem: mandati eum non acturum. Marcellus autem fatetur: si quis donaturus fideiussori, pro eo soluerit creditori: habere fideiussorem mādati actionem. Planè (inquit) si filiusfamiliâs vel seruus fuit fideiussor, & pro his soluero, donaturus eis: mandati patrem vel dominum non acturos. hoc ideo: quia non donare patri voluit, qui soluit. planè si seruus fideiussor soluerit: dominum mandati acturum. Idem Marcellus ibidem ait. si filiusfamiliâs nō iussu patris fideiusserit: cessat mandati actio, si nihil sit in peculio. quod si iussu, vel ex peculio solutum est: multomagis habet pater mādati.

B *Conditio potestatiua retro non trahitur, ideo tempus existentis cōditionis inspicitur quoad requisitionem. Bartolus.*

Si filiofamiliâs mandaui, vt pro me solueret: patrem (siue ipse soluerit, siue filius ex peculio) mādati acturum, Neratius ait. quod habet rationem. nihil enim mea interest, quis soluat. Si filiofamiliâs mandauero, vt pro me soluat, & emancipatus soluerit: verum est in factum actionem filio dandam, patrem autem post emancipationem soluentem negociorum gestorum actionem habere. Cōtrario iudicio experiuntur, qui mandatum susceperunt: vtputa qui rerum vel rei vnius procurationem susceperunt. Inde Papinianus quærit. si patronus prædium, quod

C emerat, pro quo precij bessem exsoluerat, iusserit liberto suo tradi, vt ille residuum precij redderet: deinde reddito precio, vendenti fundum patrono libertus consenserit: trientis precium an possit libertus repetere? & ait. si mandatum suscepit initio libertus, non donatum accepit: contrario iudicio posse eum precium repetere, quod deductis mercedibus, quas medio tempore percepit, superest. quod si donationem patronus in libertū contulit: videri & postea libertum patrono donasse.

Procurator ad emendum, potest repetere precium quod soluit, & si aliquid amplius impendit. Bar.

Si mihi mādaueris, vt rem tibi aliquā emam, egoq; eme ro meo precio: habebo mandati actionem de precio recu-

 perando.

perãdo. Sed & si tuo precio, impendero tamẽ aliquid bona fide ad emptionem rei: erit contraria mandati actio. & si rem emptam nolis recipere. Simili modo & si quid aliud mandaueris, & in id sumptum fecero: non tantùm id, quod impendi, verùm vsuras quoque consequar. vsuras autem non tantùm ex mora admittendas esse dicemus, verùm iudicem æstimare debere, si exegit à debitore suo quis, & soluit, cùm vberrimas vsuras consequeretur. æquissimum enim erit rationem eius rei haberi. aut si ipse mutuatus, grauibus vsuris soluit. Sed & si reum vsuris non releuauit, ipsi autem & vsuræ absunt: vel si minoribus releuauit, ipse autem maioribus fœnus accepit, vt fidem suam liberaret: non dubito, debere eum mandati iudicio & vsuras consequi: & (vt est constitutum) totum hoc ex æquo & bono iudex arbitratur. Dedi tibi pecuniam, vt creditori meo exsoluas. non fecisti. præstabis mihi vsuras. quo casu & à me creditor pecuniam debitam cum vsuris recepturus est. & ita Imperator Seuerus Hadriano Demóstrato rescripsit.

D

E

Qui fideiubet pro minore, actionem mãdati non habet. Bar.

Si adolescens luxuriosus mandet tibi, vt pro meretrice fideiubeas, idq́ue tu sciens mandatũ susceperis: non habebis mandati actionem: quia simile est, quasi perdituro pecuniam sciens credideris. Sed & si vlterius directò mandauerit tibi, vt meretrici pecuniam credas: non obligabitur mandati, quasi aduersus bonam fidem mandatũ sit. F

Verba commendatoria non obligant. Bartolus.

Cùm quidam talem epistolã scripsisset amico suo. Rogo te, cõmendatum habeas Sextilium Crescentem amicũ meum. non obligabitur mandati: quia commendandi magis hominis, quàm mandandi caussa scripta est.

Si mutuetur filio non contra senatusconsultum Macedonianum, vel cùm de hoc dubitatur, tenetur mandati. Bar.

Si quis mandauerit filiofamiliâs credendam pecuniam, non contra senatusconsultum accipienti, sed ex ea caussa, ex qua de peculio, vel de in rem verso, vel quod iussu pater teneretur: erit licitum mandatum. Hoc amplius dico: si cùm dubitarem, vtrum contra senatusconsultum acciperet, an non, nec essem daturus contra senatusconsultum

accipienti:

accipienti: & intercesserit, qui diceret, non accipere contra senatusconsultum, & PERICVLO MEO (dicat) CREDE, vel BENE CREDIS: arbitror locum esse
A mandato, & mandati eum teneri.

Mandatum non potest interuenire pro eo, quod est factum, sed pro eo quod est fiendum. Bartolus.

Si post creditam pecuniam mandauero creditori credendam: nullum esse mandatum rectissimè Papinianus ait. planè si vt expectares, nec vrgeres debitorem ad solutionem: mandauero tibi, vt des ei interuallum, periculóque meo pecuniam forè dicam: verum puto, omne nominis periculum debere ad mandatorem pertinere. Idem ait: si tutor mandet suscipi, vel probari nomen, quod fecerat: teneri eum mandati, scilicet quondam pupillo suo, vel
B curatori eius.

Mandatum potest reuocari ad petitionem mandantis. Bartolus.

Si mandauero exigendam pecuniam, deinde volūtatem mutauero: an sit mandati actio, vel mihi, vel hæredi meo? & ait Marcellus, cessare mādati actionem: quia exstinctum est mandatum, finita voluntate. quòd si mandaueris exigendam, deinde prohibuisti, exactámque recepisti: debitor liberabitur.

Mandatum quod refertur post mortem, non finitur morte. Item mādatarius potest agere, vt sibi detur pecunia pro executione mandati necessaria. Bartolus.

C Idem Marcellus scribit. si vt post mortē sibi monumentum fieret, quis mandauit: hæres eius poterit mādati agere vt perficiatur. Illum verò, qui mandatum suscepit, si sua pecunia fecit, puto agere mandati: si non ita ei mandatum est, vt sua pecunia faceret monumentum. poterit enim agere etiam cum eo, qui mandauit, vt sibi pecuniam daret ad faciendum: maximè si iam quædam ad faciendum parauit.

XIII. CAIVS *lib.* X. *ad edictum prouinciale.*

IDem est, & si mandaui tibi, vt post mortem meam hæredibus meis emeres fundum.

In emptorem hæreditatis nō transeunt actiones, nisi quæ tunc temporis competebant. Bartolus.

XIIII. VLPIANVS *lib.* XXXI. *ad edictum.*

HAeredem fideiussoris, si soluerit, habere mandati a-

ctionem, dubium non eſt. Sed ſi vendiderit hæreditatem, & emptor ſoluerit: an habeat mandati actionem, quæritur? & Iulianus libro decimotertio ſcribit, idcirco hæredem habere mandati actionem: quia tenetur iudicio ex empto, vt præſtet actiones ſuas: idcircóque competere ex empto actionem, quia poteſt præſtare. Si fideiuſſori duo hæredes exſtiterint, & alter eorum à cohærede emerit hæreditatem: deinde omne, quod defunctus fideiuſſerat, ſtipulatori ſoluerit: habebit aut ex ſtipulatu, aut ex empto obligatum cohęredé ſuum. idcirco (ait) mandati actionem habebit. D

Reuocatio mandati non præiudicat procuratori, ſi ad eius notitiã non peruenerit. Bartolus.

XV. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.* E

SI mãdaſſem tibi, vt fundum emeres: poſtea ſcripſiſſem, ne emeres: tu antè, quàm ſcias me vetuiſſe, emiſſes: mãdati tibi obligatus ero, ne damno adficiatur is, qui mandatum ſuſcepit.

Si mandaſti mihi, vt ædificem ad vtilitatem tertii: intantum competit mihi contra te actio, inquantum intereſt mea. Bartolus.

XVI. VLPIANVS *lib.* XXXI. *ad edictum.*

SI quis mãdauerit, in meo aliquid facere & fecero: quęſitum eſt, an ſit mandati actio? & ait Celſus libro octauo Digeſtorum, hoc reſpondiſſe ſe, cùm Aurelius Quietus hoſpiti ſuo medico mandaſſe diceretur, vt in hortis eius, quos Rauénæ habebat, in quos omnibus annis ſecedere ſolebat, ſphæriſterium, & hypocauſta, & quædam alia ipſius valetudini apta, ſua impenſa faceret, deducto igitur, quanto ſua ædificia precioſiora feciſſet: quod amplius impendiſſet, poſſe eum mandati iudicio perſequi. F

Actio ſuperueniens pẽdente iudicio ex cauſſa de præterito prodeſt actori ad condemnationem. Bartolus.

XVII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

SI mandauero tibi, vt à Titio decem exigeres, & ante ea exacta, mandati tecũ egero: ſi ante rem iudicatam exegeris, condemnandum te eſſe conſtat.

XVIII. VLPIANVS *lib.* XL. *ad Sabinum.*

QVi patitur ab alio mandari, vt ſibi credatur: mãdare intelligitur.

Ex facto

Ex facto serui non debet cogi dominus seruum recipere, quem ser
A *uum voluit dominus in perpetuum alienare. Bartolus.*

XIX. IDEM *lib.* XLIII. *ad Sabinum.*

SEruus meus si de semetipso emendo mandarit, vt redimatur: Pōponius eleganter tractat, an is, qui seruum redemit, vltro conuenire possit venditorem, vt seruum recipiat: quoniam mandati actio vltrò citróque est. Sed esse iniquissimum Pomponius ait, ex facto serui mei cogi me seruum recipere, quem in perpetuum alienare volueram: nec magis in hunc casum debere mandati teneri, quàm vt eum tibi venderem.

Mādatarius non debet sentire lucrum nec damnum. Bartolus.

XX. PAVLVS *lib.* XI. *ad Sabinum.*

B EX mandato apud eum, qui mandatum suscepit, nihil remanere oportet: sicuti nec damnum pati debet, si exigere fœneratam pecuniam non potuit. Fideiussori negociorum gestorum est actio, si pro absente fideiusserit. nam mandati actio non potest competere, cùm non antecesserit mandatum.

Ille tantùm tenetur mandati, cuius mandatum quis fuit secutus: siue vnus, siue plures sint: non alius. Bartolus.

XXI. VLPIANVS *lib.* XLVII. *ad Sabinum.*

CVm mandatu alieno pro te fideiusserim, non possum aduersus te habere actionem mandati: quemadmodum nec qui alienum mandatum intuitus spopondit. sed si
C non vtique vnius, sed vtriusque mandatum intuitus, id fecerim: habeo mandati actionem etiam aduersus te: quemadmodum & si duo mihi mandassent, vt tibi crederem, vtrumque haberem obligatum.

Qui fideiubet uel soluit ante diem, non potest agere nisi adueniente die. Bartolus.

XXII. PAVLVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

SI mandauero tibi, vt pro me in diem fideiubeas, túque purè fideiusseris, & solueris: vtilius respondebitur, interim non esse tibi mandati actionem, sed cùm dies venerit. Item tractatum est, si cùm in diem deberem, mandatu meo in diem fideiusseris, & ante diem solueris: an statim habeas mandati actionē? & quidam putant, præsentem quidē esse mādati actionem: sed tāto minorem, quanti mea

interest:

intereſt,ſuperueniente die ſolutum fuiſſe.ſed melius eſt dici,interim nec huius ſummæ mandati agi poſſe : quoniam nonnullum adhuc commodum meum ſit, vt ne hoc ante diem ſoluam. D

Quando mandatum reſpicit commodum meum & alienum,oritur actio mandati.Bartolus.

Interdum euenit,vt meum negocium geram,& tamẽ vtilem habeam mandati actionem:veluti cùm debitor meus periculo ſuo debitorem ſuum mihi delegat,aut cum rogatu fideiuſſoris cum reo experior. nam quãuis debitum meum perſequar:nihilominus & illius negocium gero.igitur quod minus ſeruauero,conſequar mandati actione.

Valet mandatum de re mea emenda à tertio de iure vẽdente. B.

Si hi,quorum res veneunt, quas pignori dederunt,ſuppoſuerint emptores, & eis emendas res mandent: mandatum intelligitur,licet(quantum ad meram rationem)mandatum non conſiſtat . nam cùm rem tuam emas , nulla emptio eſt in tua perſona rei tuæ. Iulianus ſcripſit,mandati obligationem conſiſtere etiam in rem eius , qui mandatum ſuſcipit,ex eo maximè probari:quòd ſi pluribus hæredibus vendentibus vni mandauero,vt rem hæreditariam emeret:etiam pro ea parte,ex qua hæres ſit,obligatur mãdati actione , & obligat . & ſanè ſi ille propter hoc extraneo rem non addixerit, quod mãdatum ſuſceperat:ex bona fide eſſe, præſtari ei precium,quanti vendere poterat.& cõtrà, ſi emptor ad emptionem rei ſibi neceſſariæ idcirco non acceſſerat , quod hæres recepiſſet ſe ei empturum: æquiſſimum eſſe,mandati iudicio pręſtari,quanti eius interfuit,emptam rem habere. E F

Qui retinet ea quæ ſunt iuris gentium, ex contractibus iuris gentium habet actionem ciuilem.Bartolus.

Is,cuius bona publicata ſunt, mandare alicui poteſt, vt ea emat:& ſi emerit, vtilis erit mandati actio, ſi non præſtet fidem. quod ideo receptum eſt , quia publicatis bonis, quidquid poſtea adquiritur,non ſequitur fiſcum.

Mandatum rei turpis nullum eſt.Bartolus.

Qui ædem ſacram ſpoliandam,hominem vulnerãdum, occidédúmve mandatu ſuſcipit:nihil mãdati iudicio conſequi poteſt,propter turpitudinem mandati. Si tibi centum de-

tum dedero, vt ea Titio dares, túque non dederis, sed consumpseris: & mādati, & furti teneri te, Proculus ait. at si ita
A dederim, vt quæ velles, dares: mandati tantummodo.

Solutio facta de pecunia creditoris, vel eius nomine accepta, non liberat debitorem. Bartolus.

Si mandauerim seruo tuo, vt quod tibi debeam, solueret meo nomine: Neratius scribit, quãuis mutuatus seruus pecuniam rationibus tuis quasi à me receptam intulerit: tamen si numos à creditore non ita acceperit, vt meo nomine daret: nec liberari me, nec te mādati mecũ acturũ. quod si sic mutuatus sit pecuniam, vt meo nomine daret: vtrunque contrà esse. nec referre, alius, an idem ipse seruus nomine tuo, quòd pro me soluebatur, acceperit. & hoc verius
B est: quoniã quoties suos numos accipit creditor, non contingit liberatio debitori.

Si res empta à seruo, alteri eius mandato traditur, venditor liberatur. aliàs secus. Bartolus.

Fugitiuus meus, cùm apud furẽ esset, pecuniã adquisiit, & ex ea seruos parauit, eósq; Titius per traditionẽ à venditore accepit. Mela ait, mādati actione me consecuturũ, vt restituat mihi Titius: quia seruus meus mādasse Titio videatur, vt per traditionẽ acciperet: si modò rogatu serui hoc fecerit. quod si sine voluntate eius venditor Titio tradiderit: tunc posse me ex empto agere, vt mihi eos venditor traderet: venditorémq; per condictionem à Titio repetiturum, si seruos tradiderit Titio, quos non debuerit,
C cùm debere se existimaret.

Ei ad quem negocium spectat, datur actio mandati, si intercessit: vel actio negociorum gestorum, si eius contemplatione est gestum: aliàs habet actionem in factum. Bartolus.

Si curator bonorum venditionem quidem fecerit, pecuniam autem creditoribus nõ soluerit: Trebatius, Ofilius, Labeo responderunt: his, qui præsentes fuerunt, competere aduersus eum mandati actionem. his autem, qui absentes fuerunt, negociorum gestorum actionem esse. atquin si præsentium mādatum exsecutus id egerit: negociorum gestorum actio absentibus non est: nisi fortè aduersus eos, qui mandauerũt curatori, tanquã si negocia absentiũ gesserint. Quod si, cũ soli creditores se esse existimarẽt, id mandauerint,

dauerint: in factum actio abſentibus danda eſt in eos, qui mandauerunt. D

Qui mandatum ſuſceptum non implet, vel intempeſtiuè renunciat: tenetur mandati ad intereſſe, niſi ex iuſta cauſſa fuerit excuſatus. Bar.

Sicut autem liberum eſt, mandatum non ſuſcipere: *ita ſuſceptum conſummari oportet, niſi renunciatum ſit. renunciari autem ita poteſt, vt integrum ius mandatori reſeruetur, vel per ſe, vel per alium eandem rem commodè explicandi: aut redundet in eum captio, qui ſuſcepit mandatum. Et quidem ſi is, cui mandatum eſt, vt aliquid mercaretur, mercatus non ſit: neque renunciauerit ſe non empturum, idque ſua, non alterius culpa fecerit: mandati actione teneri eũ conuenit. hoc amplius tenebitur, (ſicuti Mela quoque ſcripſit) & ſi eo tempore per fraudem renũciauerit, cùm iam rectè emere non poſſet. E

*Hoc reſpõſum copioſè enarrat Cic. in ora. p Roſcio Amerino.

XXIII. HERMOGENIANVS *lib.* II. *iuris* ἐπιτομῶν.

SAnè ſi valetudinis aduerſæ, vel capitalium inimicitiarum:

XXIIII. PAVLVS *lib.* II. *Sententiarum.*

SEu ob inanes rei actiones:

XXV. HERMOGENIANVS *lib.* II. *iuris* ἐπιτομῶν.

SEu aliam iuſtam cauſſam excuſationis alleget: audiendus eſt.

Morte mandantis ſoluitur mandatum, ſed effectus durat ſi mandatarius ignorauit. Bar. F

XXVI. PAVLVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

INter cauſſas obmittendi mandati etiam mors mãdatoris eſt. nam mandatum ſoluitur morte. ſi tamen per ignorantiam impletum eſt: competere actionem vtilitatis cauſſa dicitur. Iulianus quoque ſcripſit, mãdatoris morte ſolui mandatum: ſed obligationem aliquando durare. Si quis debitori ſuo mandauerit, vt Titio ſolueret: & debitor, mortuo eo, cùm id ignoraret, ſoluerit: liberari eum oportet.

Fideiuſſor delegans debitorem etiam non ſoluiſſe videtur. Bar.

Abeſſe intelligitur pecunia fideiuſſori, etiam ſi debitor ab eo delegatus ſit creditori, licet is ſoluendo non fuerit: quia

quia bonum nomen facit creditor, qui admittit debitorem
A delegatum. Si is, qui fideiussori donare vult, creditorē
eius habeat debitorem suum, eumque liberauerit: continuò aget fideiussor mandati, quatenus nihil intersit, vtrū numos soluerit creditori, an eum liberauerit. Præterea sciendum est, non plus fideiussorem consequi debere mādati iudicio, quàm soluerit. Mādatu tuo fideiussi in decem, & procuratori creditoris solui. si verus procurator fuit: statim mandati agam. quod si procurator non est: repetam ab eo.

Damna casu fortuito occurrentia dominus procuratori non emēdat. Bart.

Non omnia, quæ impensurus non fuit, mandatori imputabit: veluti quòd spoliatus sit à latronibus, aut naufragio
B res amiserit, vel languore suo suorumq; adprehēsus quædam erogauerit. nam hæc magis casibus, quàm mandato imputari oportet. Si cùm seruus, quem mandatu meo emeras, furtum tibi fecisset: Neratius ait, mandati actione tē consecuturum, vt seruus tibi noxæ dedatur: si tamen sine culpa tua id acciderit. quod si ego scissem talē esse seruū, nec tibi prædixissem, vt posses præcauere: tunc quanti tua interest, tantum præstari tibi oportet. Faber mandatu amici sui emit seruum decem, & fabricā docuit. deinde vēdidit eum viginti, quos mandati iudicio coactus est soluere. mox quasi homo non esset sanus, emptori damnatus
C est. Mela ait, non præstaturum id ei mandatorem: nisi postea, quàm emisset, sine dolo malo eius hoc vicium habere cœperit seruus. sed si iussu mandatoris eum docuerit: contrà fore. tunc enim & mercedem, & cibaria consecuturum: nisi vt gratis doceret, rogatus sit.

XXVII. CAIVS *lib.* I X. *ad edictum prouinciale.*

SI quis alicui scripserit, vt debitorem suum liberet, seque eam pecuniam, quam is debuit, soluturum: mandati actione tenetur. Si seruū ea lege tibi tradidero, vt eū post mortem meam manumitteres: constitit obligatio. potest autem & in mea quoque persona agendi caussa interuenire: veluti si pœnitētia acta, seruum recuperare velim.

Qui suscepit mandatum, si potest id explere, deserere promissum officium non debet: alioquin quanti mandatoris in-

ris interſit, damnabitur. ſi verò intelligit explere ſe id officium non poſſe: idipſum, cùm primum poterit, debet mãdatori renunciare: vt is, ſi velit alterius opera vtatur. quod ſi, cùm poſſit renunciare, ceſſauerit: quanti mandatoris interſit, tenebitur. ſi aliqua ex cauſſa non poterit renunciare: ſecurus erit. Morte quoque eius, cui mandatum eſt, ſi is integro adhuc mandato deceſſerit, ſoluitur mandatum: & ob id hæres eius, licet exſecutus fuerit mandatum, non habet mandati actionem. Impendia exſequendi mandati gratia facta, ſi bona fide facta ſunt, reſtitui omni modo debent: nec ad rem pertinet, quod is, qui mãdaſſet, potuiſſet, ſi ipſe negocium gereret, minus impendere. D

Mandatario cedendæ ſunt actiones contra reum principalem, & eius ſolutione in dubio reus principalis non liberatur. E

Si mandatu meo Titio credideris, & mecum mandati egeris: non aliter cõdemnari debeo, quàm ſi actiones tuas, quas aduerſus Titium habes, mihi præſtiteris. Sed ſi cum Titio egeris: ego quidem non liberabor: ſed in id dumtaxat tibi obligatus ero, quod à Titio ſeruare non poteris.

XXVIII. VLPIANVS *lib.* XIIII. *ad edictum.*

PApinianus lib. decimotertio Quæſtionum ait mandatorem debitoris ſoluentem, ipſo iure reum non liberare. propter mandatum enim ſuum ſoluere, & ſuo nomine. ideoque mandatori actiones putat aduerſus reum cedi debere.

Si fideiuſſor ſoluit ignorans debitorem liberatum, vel tutum exceptione, habet actionem mandati, niſi fuerit in ignorantia ſupina. Bartolus. F

XXIX. IDEM *lib.* VII. *Diſputationum.*

SI fideiuſſor conuentus, cùm ignoraret, non fuiſſe debitori numeratam pecuniã, ſoluerit ex cauſſa fideiuſſionis: an mandati iudicio perſequi poſſit, id quod ſoluerit, quæritur? & ſiquidem ſciens prætermiſerit exceptionem, vel doli, vel non numeratæ pecuniæ: videtur dolo verſari. diſſoluta enim negligentia prope dolum eſt. vbi verò ignorauit: nihil eſt, quod ei imputetur. pari ratione & ſi aliqua exceptio debitori competebat (pacti fortè conuenti, vel cuius alterius rei) & ignarus hanc exceptionem non exercebat: dici oportet, mãdati ei actioné competere. potuit

tuit enim, atque debuit reus promittendi certiorare fideiussorem suum, ne fortè ignarus soluat indebitum. Non malè tractabitur: si cùm ignoraret fideiussor, inutiliter se obligatum, soluerit: an mandati actionem habeat. & siquidem factum ignorauit: recipi ignorantia eius potest. si verò ius: aliud dici debet. Si cùm debitor soluisset, ignarus fideiussor soluerit: puto eum mandati habere actioné. ignoscendum enim est, si non diuinauit, debitorem soluisse. debitor enim debuit notum facere fideiussori, iã se soluisse: nè fortè creditor obrepat, & ignorantiam eius circumueniat, & excutiat ei summam, in quam fideiussit. Hoc idem tractari & in fideiussore potest: si cùm soluisset, non certiorauit reum: & sic deinde reus soluit, quod soluere eum non oportebat. & credo, si cùm posset certiorare, non fecit: oportere mandati agentem fideiussorem repelli. dolo enim proximum est, si post solutionem non nunciauerit debitori. cedere autem reus indebiti actionem fideiussori debet, ne duplum consequatur creditor.

A

B

Non imputatur fideiussori, si omisit exceptiones quæ sunt de apicibus iuris, si de veritate negocii disputauit. Bar.

Quædam tamé, & si sciens omittat fideiussor, caret fraude: vtputa si exceptionem procuratoriã omisit, siue sciés, siue ignarus. de bona enim fide agitur, cui non congruit de apicibus iuris disputare: sed de hoc tantùm, debitor fuerit, nec ne. In omnibus autem visionibus quæ præpositæ sunt: vbi creditor, vel non numeratam pecuniam, vel numeratam iterum accepit: repetitio contra eum competit: nisi ex condemnatione fuerit ei pecunia soluta. tunc enim propter authoritatem rei iudicatæ repetitio quidem cessat, ipse autem stellionatus crimine propter suam caluitatem plectetur.

C

Licet fideiussor sit tempore liberatus: si tamen soluit, repetit per actionem mandati. Bar.

Fideiussor, si solus tempore liberatus, tamen soluerit creditori: rectè mandati habebit actionem aduersus reum. quamquam enim iam liberatus soluit: tamen fidem impleuit, & debitorem liberauit. si igitur paratus sit defendere reum aduersus creditorem: æquissimum est, mandati iudicio eum, quod soluit, recuperare. & ita Iuliano videtur.

Generalis

Generalis procurator nõ mutat ea, quæ à domino specialiter sunt prouisa, nisi ex caussa iusta, quam dominus ignorauit. Bar. D

XXX. IVLIANVS *lib.* XIII. *Digestorum.*

SI hominem tibi dedero, vt eum manumitteres: & postea procurator meus prohibuerit, ne manumitteres: an mandati agere possim, si tu eum manumiseris? respondi. si procurator iustam caussam habuit interpellandi manumissionem serui, quem in hoc solum acceperam, vt manumitterem: veluti si postea compererit, eum falsas rationes cõfecisse, insidias vitæ prioris domini struxisse: tenebor, nisi denũciationi procuratoris paruero. si verò nulla iusta caussa procuratori fuit denunciãdi, ne seruus manumitteretur: non poterit mecum agi, quamuis ad libertatem eum perduxerim. E

Actio etiam pœnalis deuoluitur in actionem mandati, si procurator à seipso non exigit. Bar.

XXXI. IDEM *lib.* XIIII. *Digestorum.*

SI negocia mea mandauero gerenda ei, qui mihi actione intra annum in quadruplum tenebatur, post annum verò in simplum: & si post annum cũ eo mandati agam, præstare mihi quadruplum debebit. nam qui alterius negocia administranda suscipit: id præstare debet in sua persona, quod in aliorum.

Hæreditas potest esse damnosa legatis. ideo mandatum de adeũda hæreditate est obligatorium, legatum non. Bar.

XXXII. IDEM *lib.* III. *ad Vrseium Ferocem.* F

SI hæreditatem aliter aditurus non essem, quàm cautum mihi fuisset damnum præstari, & hoc mandatum intercessisset: fore mandati actionem existimo. Si quis autem mandauerit alicui, ne legatum à se repellat: longè ei dissimile esse. nam legatum adquisitum nunquam illi damno esse potuit: hæreditas interdum damnosa est. & in summa. quicumque contractus tales sunt, vt eorum nomine fideiussor obligari possit: & mandati obligationem consistere puto. neque multum referre, præsens quis interrogatus fideiubeat, an absens mandet. præterea vulgo licet animaduertere, mandatu creditorum hæredi suspectas hæreditates adiri: quod mandati iudicio teneri, proculdubio est.

Fideiubens in minus quam fuerit mandatum, habet actionẽ mã-

tati secus si in plus Bar.

XXXIII. IDEM *lib.* III *ex* Minicio.

A Rogatus, vt fideiuberet, si in minorem summam se obligarit: rectè teneri. si in maioré: verius putat, quod à plerisque responsum est: eum, qui in maiorem summam, quàm rogatus erat, fideiussisset: hactenus mandati actioné habere, quatenus rogatus esset: quia id fecisset, quod ei mãdatum esset. nam vsque ad eam summam, in quam rogatus erat, fidem eius spectasse videtur, qui rogauit.

Pecunia debita solutioni non parata, in mutuum non conuertitur nudo pacto: secus si esset solutioni parata. Item ex pacto incontinenti apposito in contractibus bonæ fidei debentur vsuræ. Bar.

XXXIIII. AFRICANVS *lib.* VIII *Quæstionũ.*

B Qvi negocia Lucij Titij procurabat, is cum à debitoribus eius pecuniam exegisset, epistolam ad eum misit: qua significaret, certam summam ex administratione apud se esse, eamque creditam sibi, se debiturũ cum vsuris semissibus. quæsitum est, an ex ea caussa pecunia credita peti possit: & an vsuræ peti possint? respondit: non esse creditam. alioquin dicendum: ex omni contractu nuda pactione pecuniam creditam fieri posse. nec huic simile esse, quòd si pecuniam apud te depositam conuenerit, vt creditam habeas, credita fiat: quia tunc numi, qui mei erant, tui fiant. item quod si à debitore meo iussero te accipere pecuniam, credita fiat. id enim benignè receptum

C est. his argumento esse eum, qui cùm mutuam pecuniam dare vellet, argentum vendendum dedisset. nihilomagis pecuniam creditam rectè petiturum: & tamen pecuniam ex argento redactam, periculo eius fore, qui accepisset argentum. In proposito igitur dicendum, actione mandati obligatum fore procuratorem: vt quamuis ipsius periculo numi fuerint, tamen vsuras, de quibus conuenerit, præstare debeat.

Si mando tibi, vt rem emas quam habes communem cum aliquo: pro parte sociorum tantum tenet mandatum: pro parte verò tua tenet mandatum & emptio. Item mandatum morte finitur, emptio autem non. Bar.

Cùm hæres ex parte esses, mandauí tibi, vt prædium hæreditarium mihi emeres certo precio. emisti. pro co-

hæredum quidem partibus non dubiè mandati actionem esse inter nos: pro tua autem parte posse dubitari ait, vtrúmne ex empto, an mandati agi oporteat? neque enim sine ratione quemquam existimaturum, pro hac parte sub conditione contractam emptionem. quod quidem quæri maximè pertinere ait, vt si fortè prius, quàm emptio fieret, decesserim: & tu, cùm scires me decessisse, propter mādatum meum alij vendere nolueris: an hæres meus eo nomine tibi sit obligatus? & retro, si alij vendideris: an hæredi meo tenearis? nam siquidem sub conditione emptio facta videatur: posse agi, quemadmodum si quæuis alia cōditio post mortem exstitisset. si verò perinde mandati agēdum sit, ac si alienum fundum emi mandassem: per mortem insecutam (cùm id scieris) resoluto mandato, nullam tibi actionem cum hærede meo fore. Sed & si mandati agendum esset: eadem præstanda, quæ prestaretur, si ex empto ageretur. D E

Si mandauero quòd emas rē, quā habes communē cū alio, certo precio: aliorū partibus emptis tuam pro residuo precio dare teneris. sed si precium determinatum non fuerit, tua pars boni viri arbitrio æstimabitur. Bar.

XXXV. NERATIVS *lib.* V. *Membranarum.*

SI fundum, qui ex parte tuus est, mandaui tibi, vt emeres mihi: verum est, mandatum posse ita consistere, vt mihi cæteris partibus redemptis, etiam tuam partem præstare debeas. sed si quidem certo precio emendas eas mādauerim: quanticumque aliorum partes redemeris, sic & tua pars artabitur: vt non abundet mandati quantitatem, in quantum tibi emendum totum mandaui. Sin autem nullo certo precio costituto, emere tibi mandauerim, tuque ex diuersis preciis partes cæterorum emeris: & tuam partē viri boni arbitratu æstimato precio dari mihi oportet. F

XXXVI. IABOLENVS *lib.* VII. *ex Cassio.*

ITa, vt omnes summas, maiores & minores, coaceruet: & ita portionem ei, qui mandatum suscepit, præstet. quod & plerique probant. Simili modo & in illa specie, vbi certo precio tibi emere mandaui: si aliarum partium nomine commodè negocium gesseris, & vilius emeris: pro tua parte tantum tibi præstatur, quanti tua interest: dum

est: dummodo intra id precium, quod mandato continetur. quid enim fieret, si exiguo precio hi, quibus cum tibi
A communis fundus erat, rem abiicere, vel necessitate rei familiaris, vel alia caussa cogerentur? num etiam tu ad idem dispendium deducereris? sed nec lucrum tibi ex hac caussa adquirere debes, cùm mandatum gratuitum esse debeat. neque enim tibi concedendum est, propter hoc venditionem impedire: quod animosiorem eius rei emptorem esse, quàm tibi mandatum est, cognoueris.

In mandato de emendo rem communem cum pluribus, nisi tota redimatur, mandati actione non agitur si hoc est actum. secus si simpliciter est mandatum. Bar.

Quod si fundum, qui per partes venit, emendum mandassem: sed ita, vt non aliter mandato tenear, q̃ si totũ fun-
B dũ emeret: si totũ emere non potuerit, in partibus emẽdis sibi negociũ gerit: siue habuerit in eo fundo partem, siue nõ. & eueniet, vt is, cui tale mandatũ datũ est, periculo suo interim partes emat: & nisi totum emerit, ingratus eas retineat. Propius autem est, vt cùm huiusmodi incommodis mandatum suscipi possit: præstarique officium etiam in partibus emendis, perinde atque in toto, debeat ab eo, qui tale mandatum sua sponte suscepit. quod si mandassem tibi, vt fundum mihi emeres: non addito eo, vt non aliter mandato tenear, quàm si totum emeres: & tu partem, vel quasdam partes eius emeris: tum habebimus sine dubio
C inuicem mandati actionem, quamuis reliquas partes emere non potuisses.

Quando æstimatio debetur iure obligationis: tempus contractæ obligationis inspicitur. sed si debetur officio iudicis, inspicitur tempus moræ. Bar.

XXXVII. AFRICANVS *lib.* VIII. *Quæstionum.*

HOminem certum pro te dari fideiussi, & solui. cùm mandati agitur: æstimatio eius ad id potius tempus, quo solutus est, non quo agitur, referri debet. & ideo etiam si mortuus fuerit, nihilominus vtilis ea actio est. aliter in stipulatione seruatur. nam tunc id tempus spectatur, quo agitur: nisi fortè aut per promissorem steterit, quò minus sua die solueret: aut per creditorem, quò minus acciperet. etenim neutri eorũ frustratio sua prodesse debet.

Qui obligauit pro alio pignus vel se: potest agere antequam soluat vt liberetur in casibus hic expressis. Bar. D

XXXVIII. MARCELLVS *lib. singulari Responsorum.*

LVcius Titius Publio Mæuio filio naturali domum cōmunem permisit, non donationis caussa, creditori obligare. postea Mæuio defuncto, relicta pupilla, tutores eius iudicem aduersus Titium acceperunt: & item Titius de mutuis præstationibus. quæro, an domus pars, quā Titius obligandam filio suo accommodauit, arbitratu iudicis liberari debeat? respondi, an, & quando debeat liberari ex persona debitoris: itemque ex eo, quod inter contrahentes actum esset: ac tempore, quo res, de qua quæritur, obligata fuisset: iudicem æstimaturum. est enim earum specierum iudicialis quæstio, per quam res expediatur. Non E absimilis illa, quæ frequentissimè agitari solet. an fideiussor & prius, quàm soluat, agere possit, vt liberetur (nec enim semper exspectandum est, vt soluat, aut iudicio accepto condemnetur) si diu in solutione reus cessauit, aut certè bona sua dissipauit? præsertim si domi pecuniam fideiussor non habebit, qua numerata creditori, mādati actione conueniat.

Per pactum potest quis se adstringere ad casum fortuitum. Bar.

XXXIX. NERATIVS *lib. III. Membranarum.*

ET Aristoni & Celso patri placuit: posse rem hac conditione deponi, mandatumque suscipi: vt res periculo F eius sit, qui depositum vel mādatum suscepit. quod & mihi verum esse videtur.

Prohibitio impedit actionem mandati, & negociorū gestorū. Bar.

XL. PAVLVS *lib. IX. ad edictum.*

SI pro te præsente, & vetante fideiusserim: nec mandati actio, nec negociorum gestorum est. Sed quidam vtilē dari putant, quibus non consentio: secundum quod & Pōponio videtur.

XLI. CAIVS *lib. III. ad edictum prouinciale.*

POtest & ab vna dumtaxat parte mādati iudicium dari. nam si is, qui mandatum suscepit, egressus fuerit mandatum: ipsi quidem mandati iudicium non competit: at ei, qui mandauit, aduersus eum competit.

Si man-

Si mandatarius mandantem decipit, actione mandati tenetur. Baldus.

A XLII. VLPIANVS *lib.XI.ad edictum.*

SI mandauero tibi,vt excuteres vires hæreditatis, & tu quasi minoris sit,eam à me emeris: & mandati mihi teneberis. tantumdem etsi tibi mandaui, vt vires excuteres eius,cui erã crediturus,& denunciaueris eum idoneũ esse.

XLIII. IDEM *lib.XXIII.ad edictum.*

QVi mandatum suscepit, vt pecunias in diem collocaret, isque hoc fecerit: mandati conueniendus est, vt cum dilatione temporis actionibus cedat.

Qui non vult facere id, ad quod scit se teneri, & potest, est in dolo.Bar.

B XLIIII. IDEM *lib.LXII.ad edictum.*

DOlus est, si quis nolit persequi, quod persequi potest: aut si quis nõ exegerit, quod exigere potest, aut soluere.

Mandati actione potest agere mandatarius,cum mandatum impleuerit:aliàs non.Bar.

XLV. PAVLVS *lib.V.ad Plautium.*

SI mandatu meo fundum emeris, vtrum cũ dederis precium, ages mecum mandati: an & antè, quàm des: ne necesse habeas, res tuas vendere? & rectè dicitur, in hoc esse mandati actionem, vt suscipiam obligationem, quæ aduersus te venditori competit. nam & ego tecum agere possum, vt præstes mihi aduersus venditorem empti actionẽ. C Sed si mandatu meo iudicium suscepisti: manente iudicio, sine iusta caussa non debes mecum agere, vt transferatur iudicium in me. nondum enim perfecisti mandatum. Item si dum negocia mea geris, alicui de creditoribus meis promiseris: & antequàm soluas, dicendum est, te agere posse, vt obligationẽ suscipiam: aut si creditor nolit obligationem mutare, cauere tibi debeo, defensum iri te. Si iudicio te sisti promisero, nec exhibuero: & antè, quàm præstem, mãdati agere possum, vt me liberes: vel si pro te reus promittendi factus sim. Sed si mandauero tibi, vt creditori meo soluas, tuque expromiseris, & ex ea caussa dãnatus sis: humanius est, & in hoc casu mandati actionem tibi competere.

Quoties ante ſolutam pecuniam mandati agi poſſe diximus: faciendi cauſſa, non dandi tenebitur reus. & eſt æquum, ſicut mandante aliquo, actionem nacti cógimur eam præſtare iudicio mandati: ita ex eadem cauſſa obligatos nos habere mandati actionem, vt liberemur. D

Reus tenetur fideiuſſori ad id, in quo creuit obligatio ſeu condẽnatio. Bar.

Si fideiuſſor multiplicauerit ſummam, in quam fideiuſſit, ſumptibus ex iuſta ratione factis: totam eam præſtabit is, pro quo fideiuſſit. Quod mihi debebas, à debitore tuo ſtipulatus ſum periculo tuo. poſſe me agere tecum mãdati in id, quod minus ab illo ſeruare potero, Nerua & Atilicinus aiunt: quamuis id mandatum ad meam rem pertineat. & meritò. tunc enim liberatur is, qui debitorem delegat: ſi nómen eius creditor ſecutus, non cum periculo debitoris ab eo ſtipulatur. idem iuris eſt, ſi mandatu fideiuſſoris cum reo egiſſem: quia ſequente mandatu liberaretur ex priore cauſſa. E

Si fideiuſſor ſoluit aliud vilius vt principalem liberet ab obligatione maiori, mandati actione repetit. Bar.

XLVI. IDEM *lib.* LXIIII. *ad edictum.*

SI quis pro eo ſpoponderit, qui ita promiſit: ſi Stichũ non dederis, centum milia dabis? & Stichum redemerit vilius, & ſoluerit, ne centum milium ſtipulatio committatur: conſtat, poſſe eum mandati agere. Igitur commodiſſimè illa forma in mandatis ſeruanda eſt: vt quoties certum mandatum ſit, recedi à forma non debeat. at quoties incertum vel plurium cauſſarũ: tunc licet aliis præſtationibus exſoluta ſit cauſſa mandati, quam quæ ipſo mandato inerat: ſi tamen hoc mandatori expedierit, mandati ſit actio. F

Abeſſe videtur dos eo ipſo, quod maritus ſuſtinet onera matrimonii. Bartolus.

XLVII. POMPONIVS *lib.* III. *ex Plautio.*

IVlianus ait. ſi fideiuſſori vxor doti promiſerit, quod ei ex cauſſa fideiuſſoria debebat: nuptiis ſecutis, confeſtim mandati aduerſus debitorem agere eum poſſe: quia intelligatur abeſſe ei pecunia, eo quod onera matrimonij ſuſtineret.

Solutio

A *Solutio quando non liberat debitorem, non parit actionem mandati, ſed reconciliata ſolutione naſcitur actio. Bartolus.*

Si is, qui pro te hominem dare fideiuſſit, alienum hominem ſtipulatori dederit: nec ipſe liberatur, nec te liberat: & ideo mandati actionem tecum non habet. ſed ſi ſtipulator eum hominem vſuceperit: dicendum eſſe, Iulianus ait, liberationem contingere. eo ergo caſu mandati actio poſt vſucapionem demum tecum erit.

Qui parcit pudori alterius, ad alterius commodum non excuſatur, ſecus in eo qui parcit pudori proprio. Bartolus.

XLVIII. CELSVS *lib.* VII. *Digeſtorum.*

QVintus Mutius Scæuola ait. ſi quis ſub vſuris creditam pecuniã fideiuſſiſſet, & cũ reus in iudicio cõuẽ-
B tus, recuſare vellet ſub vſuris creditam eſſe pecuniam, fideiuſſor ſoluendo vſuras poteſtatem recuſandi eas reo ſuſtuliſſet: eam pecuniam à reo non petiturũ. Sed ſi reus fideiuſſori denunciaſſet, vt recuſaret ſub vſuris debitam eſſe, nec is propter ſuam exiſtimationẽ recuſare voluiſſet: quod ita ſoluerit, à reo petiturum. hoc bene cenſuit Scæuola. parum enim fideliter facit fideiuſſor in ſuperiore caſu, quod poteſtatẽ eximere reo videtur, ſuo iure vti. cæterùm in poſteriore caſu non oportet eſſe noxiæ fideiuſſori, ſi ipſe pepercit pudori ſuo.

Mandatum quod reſeruatur ad vtilitatem mandantis, eſt verum mandatum: ſecus ſi ad vtilitatem ſolius mandatarii. Baldus.

C Cùm mandauero tibi, vt credendo pecuniam negocium mihi geras, mihiq́ue id nomen præſtes, & vt periculum & emolumentum meum ſit: puto mandatum poſſe conſiſtere. cæterùm, ſi vt tibi negocium geras, tuiq́; arbitrij ſit nomen: id eſt, vt cuiuis credas, & tu recipias vſuras, periculumq́ue dumtaxat ad me pertineat: iam extra mãdati formam eſt, quemadmodum ſi mandarem, vt tibi quéuis fundum emas.

Qui vendidit vt procurator, de euictione tenetur. Et ideo ſi euincit, exceptione repellitur. Item qui mãdauit vendi rem ſuam ex vna cauſſa, quam ſuã probat, ex alia cauſſa nõ poterit vindicare. Bar.

XLIX. MARCELLVS *lib.* V. *Digeſtorum.*

SEruum Titij emi ab alio bona fide, & poſſideo. mandatu meo cum Titius vendidit, cùm ignoraret ſuum eſſe.

vel contrà,ego védidi illius mãdatu,cùm fortè is,cui hæres exstitit,eum emisset. de iure euictionis(& de mandato) D quæsitum est? & puto Titium, quamuis quasi procurator vendidisset,obstrictum emptori esse: neque si rem tradidisset, vindicationem ei concedendam. & idcirco (mandati eum non teneri: sed contrà) mandati agere posse,si quid eius interfuisset: quia fortè venditurus non fuerit. Contrà mandator,si rem ab eo vindicare velit, exceptione doli submouetur:& aduersus venditorem testatoris sui habet ex empto iure hæreditario actionem.

Qui soluit pro fideiussore, potest ab eo repetere, & fideiussor à principali. Bartolus.

L. CELSVS *lib.* XXXVIII. *Digestorum.*

SI is,qui negocia fideiussoris gerebat,ita soluit stipulatori,vt reum fideiussoremque liberaret,idque vtiliter E fecit: negociorum gestorum actione fideiussorem habet obligatum. nec refert,ratum habuit, nécne. fideiussor etiã antè, quàm soluit procuratori pecuniam: simul atque ratum habuit,habet tamen mandati actionem.

*Fideiussor repetit debitum quod soluit,si quid vltrà soluerit.*Bar.

Siue cùm frumentum deberetur,fideiussor Africum dedit:siue quid ex necessitate soluendi plus impendit, quàm precium esset solutæ rei:siue Stichum soluit,isque decessit,aut debilitate flagitióve ad nullum precium sui redactus est: id mandati iudicio consequetur.

Soluens ante diem per errorem iuris, vel facti minus probabilem non repetit,nec ante diem mandati agit. Bal. F

LI. IABOLENVS *lib.* VII. *ex Cassio.*

SI fideiussor, quamuis per errorem, ante diem pecuniam soluerit: repetere tamen ab eo non potest. ac ne mandati quidem actionem antè,quàm dies soluendi veniat,cum reo habebit.

In obligatione generis liberatur quis dando vilissimum,quod est in ipso genere. Bartolus.

LII. IDEM *lib.* I. ἐπιστολῶν.

FIdeiussorem, si sine adiectione bonitatis tritici pro altero triticum spopondit: quodlibet triticum dando liberari posse existimo. à reo autem non aliud triticũ repetere poterit,quàm quo pessimo tritico liberare se à stipulatore

latore licuit. Itaque si paratus fuerit reus, quod dando ip-
A se creditori liberari potuit, fideiussori dare: & fideiussor id, quod dedit, id est melius triticum condicet: exceptione eum doli mali submoueri existimo.

Fideiussor potest habere obligatũ principalem & alium, vel principalem tantum, vel alium tantum. Bartolus.

LIII. PAPINIANVS *lib.* IX. *Quæstionum.*

QVi fide alterius pro alio fideiussit præsente, & non recusante: vtrosque obligatos habet iure mandati. quòd si pro inuito vel ignorante, alterius mandatum secutus, fideiussit: cum solum conuenire potest, qui mandauit, non etiã reum promittendi. nec me mouet, quod pecunia fideiussoris reus liberetur. id enim contingit, & si
B meo mandatu pro alio soluat.

Cùm seruus se mandat emendum: emptione non secuta, mandatum est nullum: ea autem secuta, mandatum reconualescit, vt dominus agere possit: non autem mandatarius contra dominum. Item si liber homo se emendum mandauit, contrariam mandati actionem habet. Bartolus.

LIIII. IDEM *lib.* XXVII. *Quæstionum.*

CVm seruus extero se mandat emendum, nullum mandatum est. sed si in hoc mandatum intercessit, vt seruus manumitteretur, nec manumiserit, & precium consequatur dominus vt venditor: ex affectus ratione mandati agetur. finge filium naturalem vel fratrem esse. placuit
C enim prudentioribus affectus rationem in bonæ fidei iudiciis habendam. quod si de suis numis emptor precium dederit (neque enim aliter iudicio venditi liberari potest) quæri solet, an vtiliter de peculio agere possit? & verius & vtilius videtur, prætorem de huiusmodi contractibus seruorum non cogitasse: quibus se ipsi ratione mala dominis auferunt. Si liber homo bona fide seruiens, redimi se mandauerit, idque numis emptoris factum sit: contraria mãdati actione agi posse constat: vt tamẽ actiones præstentur, quas habet emptor aduersus venditorem. finge nõ manumisisse liberam personam emptorem.

Furtum sine contrectatione non committitur. Bartolus.

LV. IDEM *lib.* I. *Responsorum.*

PRocurator, qui res non inclusas subtraxit, sed traditas non

non reddidit: iudicio mandati, non furti tenetur.

Quæ caussa dubitationis tollendæ contractibus inseruntur, ius commune non lædunt. Bartolus. D

LVI. IDEM *lib.* III. *Responsorum.*

QVi mutuam pecuniam dari mãdauit, omisso reo promittendi, & pignoribus non distractis eligi poterit. quod vti liceat, si literis exprimatur: distractis

Ca. 81. de reg. iur. quoque pignorib⁹ ad eum creditor redire poterit. etenim quæ dubitationis tollendæ caussa cõtractibus inseruntur, ius cõmune nõ lædunt. Fideiussor, qui pecuniam in iure obtulit, & propter ætatem eius, qui petebat, obsignauit, ac publicè deposuit: confestim agere mandati potest.

Domino reuertente mandatum finitur: & si fuerit reuocatũ debitum ex primo, non deuoluitur in secundo. Bartolus. E

Non ideo minus omnis temporis bonam fidem explorari oportet: quod dominus post annos quinque ex prouincia reuersus, mox reipublicæ caussa profecturus, non acceptis rationibus, mandatum instaurauerit. cùm igitur ad officium procuratoris pertinuerit, quidquid ex prima negociorum gestorum administratione debuit, ad secundam rationem transferre: secundi tẽporis caussa priorem litem suscipiet. Salarium incertæ pollicitationis, neque extra ordinem rectè petitur, neque iudicio mandati, vt constituatur. Sumptus bona fide necessariò factos (& si negocio finem adhibere procurator non potuit) iudicio mandati restitui necesse est. F

Mandatum non transit ad hæredem mandatarii, & videtur electa persona industria. Item Publiciana non competit contra dominum. Bartolus.

LVII. IDEM *lib.* X. *Responsorum.*

MAndatum distrahendorum seruorum, defuncto eo, qui mandatum suscepit, intercidisse constitit. quoniam tamen hæredes eius errore lapsi, non animo furandi, sed exsequendi quod defunctus suæ curæ fecerat, seruos vendiderãt: eos ab emptoribus vsucaptos videri placuit. & venaliciarium ex prouincia reuersum Publiciana actione inutiliter *acturum: cùm exceptio iusti dominij caussa cognita detur: neq; oporteat eum, qui certi hominis fidem elegit, ob errorem, aut imperitiam hæredum affici dãno.

*Vet⁹ exẽplar Rãconeti habet nõ inutiliter. aliàs, non vtiliter.

Mandatum

Mandatum morte finitur, non actio mandati. Item nec obligatio quæ datur ex negocio gesto. Bartolus.

A LVIII. PAVLVS *lib.* IIII. *Quæstionum.*

SI præcedente mandatu, Titium defenderis: quamuis mortuo eo (cùm hoc ignorares) puto mandati actionē aduersus hæredem Titij competere: quia mandatum morte mandatoris, non etiam mandati actio soluitur. quod si sine mandatu defensione suscepta, negocium quodammodo defuncti gerere institueras: quemadmodum si illum liberasses, competeret tibi negociorum gestorum actio: ita potest dici, & hæredem eius eadem actione teneri.

B *Decretum iudicis pro debitore, non præiudicat creditori absenti actione competenti contra mandatorem, nisi consenserit. Bar.*

Lucius Titius creditori suo mandatorem dedit. deinde defuncto debitore, maiore parte creditorum consentiente, à prętore decretum est, vt portionem creditores ab hęredibus ferant: absente eo creditore, apud quem mandator exstiterat. quæro, si mandator cōueniatur, an eandem habeat exceptionem, quam hæres debitoris? respondi. si præsens apud prætorem ipse quoque consensisset: pactus videretur iusta ex caussa: eademque exceptio & fideiussori danda esset, & mandatori. sed cùm proponas eum absuisse: iniquum est, auferre ei electionem, sicut pignus, aut priuilegium: qui potuit pręsens idipsum proclamare, nec desiderare decretum prætoris. nec enim si quis dixerit, C submouendum creditorem: hæredi consulitur, sed mandatori, vel fideiussori, quibus mandati iudicio eandem partem præstaturus est. planè si ab hærede partem accepisset: an in reliquum permittendum esset creditori, fideiussorem conuenire, dubitatum est. sed videbitur consentire decreto, conueniendo hæredem.

Qui mãdato alterius stipulatur, in dubio non videtur adhibitus animo donandi. Bartolus.

LIX. IDEM *lib.* IIII. *Responsorum.*

SI mandatu Titij Calpurnius pecuniā, quā Titius credebat, stipulatus est, nō donãdi animo: mãdati iudicio eū ab hęrede Titij posse cōueniri, vt actiōes suas præstet. idē est, & si exacta est à Calpurnio pecunia. PAVLVS respondit,

reſpondit, fideiuſſorem, qui rem pignoris iure obligatam, à creditore emit : mandati iudicio conuentum ab hæreде debitoris, oblato omni debito, reſtituere cum fructib⁹ cogendum: neque habendum ſimilem extraneo emptori, cùm in omni contractu bonam fidem præſtare debeat. PAVLVS reſpondit. die adiecto in mandato, intra quam præſtaturum ſe Lucius Titius ſcripſit non eſſe impedimento, quominus etiam poſt eum diem conueniri mandati iudicio poſſit. D

Plures mandatores qui tenentur pro alio, tenentur in ſolidum ex mandato: ex ſententia verò ſimpliciter lata, tenentur in viriles. Bartolus.

PAVLVS reſpõdit. vnumquenque mandatorum in ſolidum eligi poſſe: etiam ſi non ſit conceptum in mandato. poſt condemnationem autem in duorum perſonam collatam, neceſſariò ex cauſſa iudicati ſingulos pro parte dimidia conueniri poſſe, & debere. E

Illud quod creditor percipit ex vẽditione pignoris, liberat debitorem, & mandatorem ſi de euictione non eſt obligatus. aliàs ſecus. Bartolus.

Creditor pignus vẽdidit. quęro, an ſi euicta ſit poſſeſſio emptori, regreſſum creditor ad mandatorẽ habere poſſit? & an interſit creditoris, iure vendiderit, an communi iure promiſerit? PAVLVS reſpondit. ſi creditor ex precio pignorum debitum conſecutus non ſit: mandatorem liberatum non videri.† Ex hoc reſponſo adparet: & ſi euictionis nomine non teneatur, proficere eam rem ad liberationem. F

†Verba cõpilatorum

Mandatum tempore limitatum poſt moram erit perpetuum. Bar.

Ille illi ſalutem. mãdo tibi, vt Blęſio Seuero adfini meo octoginta credas ſub pignore illo. in quam pecuniam, & quidquid vſurarum nomine acceſſerit, indénem rationem tuam me eſſe ex cauſſa mandati in eum diem, quoad vixerit Blæſius Seuerus, præſtaturum. poſtea ſæpe conuentus mandator, non reſpondit. quæro, an morte debitoris liberatus ſit? PAVLVS reſpondit. mandati obligationem perpetuam eſſe, licet in mandato adiectum videatur: INDEMNEM RATIONEM TVAM ESSE ME EX CAVSSA MANDATI IN EVM DIEM, QVOAD VIXERIT

VIXERIT BLAESIVS SEVERVS, PRAESTATVRVM. PAVLVS respódit. non videri mandati conditioni paritum, cùm mandato adiectum sit, vt idonea cautio à debitore exigeretur: si neque fideiussor, neque pignora accepta sint.

A

Pendente appellatione mãdatoris potest conueniri reus. Bartolus.

L X. SCAEVOLA *lib. I. Responsorum.*

CReditor mandatorem conuenit. is condemnatus prouocauit. quęrendum est, an manente appellatione, debitor à creditore conueniri potest? respondi posse.

Mandatum quod fit propter vtilitatem mandantis: actionem mandati contra tertium non parit. Bartolus.

Titius ad eum, qui vxorem ducturus erat, literas fecit tales. Titius Seio salutem. Semproniam ad animum meum pertinere cognouisti. ideóque cùm ex voto meo nuptura tibi sit: velim certus sis, secundum dignitatem tuam contrahere te matrimonium. & quãuis idoneè promissuram tibi Titiam matrem puellæ dotem sciam: tamé & ipse quo magis conciliem animum tuum domui meæ, fidem meam interponere non dubito. quare scias: quodcunque ab ea, ex ea caussa stipulatus fueris, id me mea fide iussisse, saluum te habiturum. Atque ita Titia, quæ neque Titio mandauerat, neque ratum habuerat, quod scripserat, dotem Seio promisit. quæro, si hæres Titij ex caussa mandati præstiterit: an actione mandati hæredem Titiæ conuenire potest? Respondi. secundum ea, quæ proponuntur, non posse. Item quæsitum est, an nec negociorum gestorum? Respõdi, neq; hoc nomine iure agere posse. palã enim facere Titium: nó tam Titiæ nomine, quàm quod cõsultum sibi vellet, mandasse. Item si maritus aduersus mandatorem ageret: an aliqua exceptione submoueatur? Respondi. nihil proponi, cur submouendus sit. Duobus quis mandauit negociorum administrationem. quæsitum est, an vnusquisque mandati iudicio in solidum teneatur? Respõdi. vnumquenque pro solido conueniri debere: dummodo ab vtroque non amplius debito exigatur.

B

C

Si vir vt vir alit vxorem, debet habere vsuras dotis integras: sed si alit vt minister, debet habere vsuras dotis vsque ad concurrentem quantitatem alimentorum. Bartolus.

Si inter maritum & ſocerum id actum eſſet, vel tacito intellectu, vt onus exhibendæ vxoris ad maritum rediret, D præſtante patre dotis vſuras: nullam actionem ſuperfore ad recipiendum, quod negetur conſumptum. quòd ſi pater puellæ exhibitionem mandaſſe doceatur: actionem mandati cõpetere. Lucius Titius fratris filio commiſit rerum ſuarum adminiſtrationem ita. Σεΐῳ τέκνῳ χαίρειν. ἐγὼ μὲν κατὰ φύσιν νομίζω, τοῦ περὶ πατρὸς καὶ τῶν τοῦ πατρὸς ἀδελφῶν πραγματεύεσθαι, δίχα τοῦ τινὰ ἐπιτρεπτικὸν αἰτεῖν. εἰ δέον δὲ καὶ τοιούτου τινός: ἐπιτρέπω σοὶ περὶ πάντων ἡμῶν (ὡς θέλεις) πραγματεύεσθαι: εἴτε πωλεῖν θέλεις, εἴτε ὑποθέσθαι, εἴτε ἀγοράζειν, εἴτε ὁτιοῦν πράττειν, ὡς κυρίῳ ὄντι τῶν ἐμῶν: ἐμοῦ πάντα κύρια εἶναι τὰ ὑπό σου γινόμενα ἡγουμένου, καὶ μηδὲν ἀντιλέγοντός σοι πρὸς μηδεμίαν πρᾶξιν. quæſitum eſt, ſi quid non adminiſtrandi animo, ſed fraudulenter E alienaſſet, vel vendidiſſet: an valeret? Reſpondi. eũ, de quo quæritur, plenè quidem, ſed quatenus res ex fide agenda eſſet, mandaſſe. Item quæro, an cùm Seius magiſtratu functus debitor exſtitiſſet: & Lucius Titius eo nomine conueniri poſſet, vel res eius obligatæ eſſent, propter verba epiſtolæ ſuprà ſcriptæ? Reſpondi. neque conueniri poſſe, neque res obligatas eſſe.

LXI. PAVLVS *lib. II. ad Neratium.*

Quod filiofamiliâs, vt peteret, mandaui, ſi emancipatus exegerit: de peculio intra annum vtiliter agam. F PAVLVS. ſed & cum filio agendum eſt.

Ex mandato vt patiatur quem agere, poteſt mandator conueniri vt conſequatur quod ad eum peruenit. Bartolus.

LXII. SCAEVOLA *lib. VI. Digeſtorum.*

Cum controuerſia eſſet de hæreditate defunctæ inter ſcriptum hæredem, & patruum Mæuium, & amitas: Mæuius literis ad ſorores ſuas factis, declarauit commune futurum, quidquid ad eum ex euentu litis hæreditariæ perueniſſet: neq; ſtipulatio literas ſecuta eſt, quæſitum eſt. cùm tranſegerit idem Mæuius cum ſcripto hærede, ita vt prædia & aliæ quædã res ex ea tranſactione ad eum peruenirent: an ex literis ſuis poſſit à ſororibus conueniri? Reſpondi poſſe.

Mandati agitur ſiue quis mandatum impleat, ſiue aliquid æquipollens.

pollens faciat. Bartolus.

A Mandauit in hæc verba Lucius Titius. Caio suo salutẽ. Peto & mando tibi, vt mea fide dicas pro Publio Mæuio apud Sempronium: quæque à Publio soluta tibi non fuerint, me repræsentaturum, hac epistola manu mea scripta notum tibi facio. Quæro, si non fideiussisset, sed mandasset creditori: & aliter egisset, quàm ei mandatum esset: an actione mandati teneretur? Respondi teneri.

PRO SOCIO. Tit. II.

PAVLVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

B Societas coiri potest, vel in perpetuum, id est, dum viuunt: vel ad tempus, vel ex tempore, vel sub conditione. In societate omnium bonorũ omnes res, quæ coeuntiũ sunt, continuò communicantur.†

† *Nã socii putantur, quos inter res cõmunicata est.* Ci*ce. act.* 5. *in Verrem.*

II. CAIVS *lib.* X. *ad edictum prouinciale.*

Quia licet specialiter traditio non interueniat, tacitè tamen creditur interuenire.

III. PAVLVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

Ea verò, quæ in nominibus erunt, manent in suo statu: sed actiones inuicem præstare debent. Cùm specialiter omnium bonorum societas coita est: tunc & hæreditates, & legata, & quod donatũ est, aut quaqua ratione adquisitum, communioni adquiretur.

C *Iusta hæreditas propriè dicitur, quæ ab intestato defertur.* Bart.

De illo quæritur: si ita coita societas sit, vt si qua iusta hæreditas alterutri obueniat, communis sit: quæ sit iusta hæreditas? vtrum quæ iure legitimo obuenit: an etiam ea, quæ testamẽto? sed probabilius est, ad legitimam hæreditatem tantùm hoc pertinere. Societas si dolo malo, aut fraudandi caussa coita sit: ipso iure nullius momenti est: quia fides bona contraria est fraudi & dolo.

IIII. MODESTINVS *lib.* III. *Regularum.*

Societatem coire & re, & verbis, & per nuncium posse nos, dubiũ non est. Dissociamur renunciatione, morte, capitis deminutione, & egestate.

V. VLPIANVS *lib.* XXXI. *ad edictum.*

Societates contrahuntur siue vniuersorum bonorum, siue

ſiue negociationis alicuius, ſiue vectigalis, ſiue etiam rei vnius. Societas autem coiri poteſt, & valet etiam inter eos, qui non ſunt æquis facultatibus: cùm plerumque pauperior opera ſuppleat, quantum ei per comparationem patrimonij deeſt. Donationis cauſſa ſocietas rectè non contrahitur. D

Poteſtas alicui ſimpliciter conceſſa, in dubio ſignificat arbitrium boni viri. Baldus.

VI. POMPONIVS *lib.* IX. *ad Sabinum.*

SI ſocietatem coieris ea conditione, vt partes ſocietatis conſtitueres: ad boni viri arbitrium ea res redigenda eſt. & conueniens eſt viri boni arbitrio, vt non vtique ex æquis partibus ſocij ſimus: veluti ſi alter plus operæ & induſtriæ, alter plus pecuniæ in ſocietatem collaturus ſit. E

Societate contracta ſimpliciter, lucra perſonalia tantùm veniunt communicanda.

VII. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

COire ſocietatem & ſimpliciter licet: & ſi non fuerit diſtinctum, videtur coita eſſe vniuerſorum, quæ ex quæſtu veniunt: hoc eſt, ſi quod lucrum ex emptione, venditione, locatione, conductione deſcendit.

VIII. PAVLVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

QVæſtus enim intelligitur, qui ex opera cuiuſque deſcendit.

IX. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

NEc adiecit Sabinus, hæreditatem, vel legatũ, vel donationes mortis cauſſa, ſiue non mortis cauſſa. fortaſſis hoc ideo: quia non ſine cauſſa obueniũt, ſed ob meritũ aliquod accedunt. F

X. PAVLVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

ET quia plerũque vel à parente, vel à liberto, quaſi debita nobis hæreditas obuenit.

XI. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

ET ita de hæreditate, legato, donatione Quintus Mutius ſcribit.

XII. PAVLVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

SEd nec æs alienum, niſi quod ex quæſtu pendebit, veniet in rationem ſocietatis.

XIII. IDEM. *lib.* XXXII. *ad edictum.*

Sed

SEd etsi adiiciatur, vt & quæstus, & lucri socij sint: verum est, non ad aliud lucrum, quàm quod ex quæstu venit, hanc quoque adiectionem pertinere.

A

Pactum de non diuidenda societate nihil releuat. Bar. *Item societas non potest intempestiuè renunciari, posito etiam quòd non sit dictum: nisi in casibus hic expressis.* Baldus.

XIIII. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

SI conuenerit inter socios, ne intra certum tempus communis res diuidatur; non videtur conuenisse, ne societate abeatur. Quid tamen, si hoc conuenerit, ne abeatur: an valeat? eleganter Pomponius scribit, frustra hoc conuenire. nam etsi non conuenerit: si tamen intempestiuè renuncietur societati, esse pro socio actionem. Sed etsi conuenerit, ne intra certum tempus societate abeatur, & ante tempus renuncietur: potest rationem habere renunciatio. nec tenebitur pro socio, qui ideo renunciauit, quia conditio quædam, qua societas erat coita, ei non præstatur. aut quid si ita damnosus socius sit, vt non expediat eum pati?

B

XV. POMPONIVS *lib.* XIII. *ad Sabinum.*

VEl quòd ea re frui non liceat, cuius gratia negociatio suscepta sit?

XVI. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

IDémque erit dicendum, si socius renunciauerit societati, qui reipublicæ caussa diu, & inuitus sit absfuturus: quamuis nonnunquam obiici ei possit, quia potuit & per alium societatem administrare, vel socio committere. sed hæc non aliâs, nisi valde sit idoneus socius: aut facilis absfuturo sit etiam per alium societatis administratio.

C

Ius excipiendi transit contra singularem successorem. Bartolus.

Qui igitur paciscitur, ne diuidatur, nisi aliqua iusta caussa intercedat: nec vendere poterit, nec alia ratione efficere, vt diuidatur. sed sanè potest dici venditionem quidem non impediri: sed exceptionem aduersus emptionem locum habere, si antè diuidat, quàm diuideret is, qui vendidit.

XVII. PAVLVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

SEd & socius, qui alienauit, committit contra pactionem: & tenetur societatis, aut communi diuidundo iudicio.

Renunciatio facta ignoranti, valet quantum ad praiudicium re-

renunciationis communioni, sed non quantum ad praeiudicium ignorantia. Bartolus.

Si absenti renunciata societas sit: quoad is scierit, quòd is adquisiuit, qui renunciauit: in commune redigi debet: detrimentum autem solius eius esse, qui renunciauit. sed quod absens adquisiuit, ad solum eum pertinere, detrimentum ab eo factum cōmune esse. In societate autem coëunda nihil attinet de renunciatione cauere: quia ipso iure societatis intempestiua renunciatio in aestimationem venit. D

XVIII. POMPONIVS *lib.* XIII. *ad Sabinum.*

SI seruus societatem coiërit: non sufficiet, si iubeatur à domino seruus abire à societate: sed socio renunciandum est.

Si vnus ex sociis alium in societatem admittit: sibi soli socium facit, & de eius facto alius tenetur: cum eo ipse solus communicat: & quod ab eo consequitur, alii communicabit, nec liberatur cedendo contra eum actionem, & communionem cum damno non compensabit. Baldus. E

XIX. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

QVi admittitur socius: ei tantùm socius est, qui admisit. & rectè. cùm enim societas consensu cōtrahatur: socius mihi esse non poterit, quem ego socium esse nolui. quid ergo? si socius meus eum admisit: ei soli socius est.

XX. IDEM *lib.* XXXI. *ad edictum.*

Ca. 47. de reg. iur. NAm socij mei socius, meus socius non est. F

XXI. IDEM *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

ET quidquid fuerit de societate nostra cōsecutus: cum ipso, qui eum adsumpsit, cōmunicabit: nos cum eo nō cōmunicabimus, sed factum eius praestabitur societati: id est, socius aget, & societati prestabit, quod fuerit cōsecutus.

XXII. CAIVS *lib.* X. *ad edictum prouinciale.*

EX contrario quoque factum sociorum debet ei praestare, sicut suum: quia ipse aduersus eos habet actionem. Item certum est, nihil vetare, prius inter eum, quem admiserit, & eum, qui admissus fuerit, societatis iudicio agi: quàm agi incipiat inter caeteros, & eum, qui admiserit.

Qui tenetur ratione culpa, non liberatur cedendo actionem. Et lucrum contingens ex industria non compensatur cum damno contingente

gente ex culpa.Baldus.

A XXIII. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

DE illo Pomponius dubitat: vtrũ actionem eum mandare sociis sufficiat, vt si facere ille non possit, nihil vltrà sociis præstet: an verò indemnes eos præstare debeat? & puto omnimodo eum teneri eius nomine, quem ipse solus admisit: quia difficile est negare, culpa ipsius admissum. Idem quærit, an commodum, quod propter admissum socium accessit, compensari cum damno, quod culpa præbuit, debeat? & ait compensandũ. quod non est verum. Nam & Marcellus libro sexto Digestorum scribit: si seruus vnius ex sociis societati à domino præpositus, negligenter versatus sit: dominum, qui præposuerit societati,

B præstaturum: nec compensandum commodum, quod per seruũ societati accessit cum damno: & ita diuum Marcum pronunciasse, nec posse dici socio, ABSTINE COMMODO, QVOD PER SERVVM ACCESSIT, SI DAMNVM PETIS.

XXIIII. IDEM *lib.* XXXI. *ad edictum.*

PLanè si ambo socij seruum alterius præposuerint: non tenebitur dominus eo nomine, nisi dumtaxat de peculio. cõmune enim periculum esse oportet, cùm ambo eum præposuerint.

XXV. PAVLVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

NOn ob eam rem minus ad periculum socij pertinet,

C quod negligentia eius periisset: quod in plerisque aliis industria eius societas aucta fuisset. & hoc ex appellatione Imperator Antoninus pronunciauit.

XXVI. VLPIANVS *lib.* XXXI. *ad edictum.*

ET ideo si socius quædam negligenter in societate egisset, in plerisque autem societatem auxisset: non compensatur compendium cum negligentia, vt Marcellus libro quinto Digestorum scribit.

Aes alienum societate contractum, debet solui de communi. & si debitum est sub conditione vel in diem, debent interponi cautiones de soluendo adueniente conditione. Baldus.

XXVII. PAVLVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

OMne æs alienum, quod manente societate contractũ est, de communi soluendum est: licet postea, quàm

ducto: neq; damnum, nisi omni lucro deducto. Sed potest
A societas coiri, ita vt eius lucri, quod reliquum in societate sit, omni damno deducto, pars alia feratur: & eius damni, quod similiter relinquatur, pars alia capiatur.

Ad hoc vt habeat locum actio pro socio, non sufficit rem esse communem, nisi sit ex conuentione intercedente animo contrahendæ societatis: aliàs si res sunt communes, alia de caussa habent locum alia remedia. Baldus.

XXXI. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

VT sit pro socio actio, societatem intercedere oportet. nec enim sufficit rem esse communem, nisi societas intercedat. communiter autem res agi potest etiam citra societatem: puta cùm non affectione societatis incidimus in cõmunionem: vt euenit in re duobus legata. Item
B si duobus simul empta res sit: aut si hæreditas,† vel donatio communiter nobis obueniat: aut si à duob⁹ separatim emimus partes eorum, non socij futuri.

†Est tamē hæreditas societati simillima vt pulchrè declarat Cic. in ora. pro Roscio Comœdo.

XXXII. IDEM *lib.* II. *ad edictum.*

NAm cùm tractatu habito societas coita est, pro socio actio est. cùm sine tractatu: in re ipsa & negocio communiter gestum videtur.

XXXIII. IDEM *lib.* III. *ad edictum.*

VT in conductionibus publicorum, item in emptionibus. nam qui nolunt inter se contendere, solent per nuncium rem emere in commune. quod à societate longè remotum est. & ideo societate sine tutoris authoritate
C coita, pupillus non tenetur: attamen communiter gesto tenetur.

XXXIIII. CAIVS *lib.* III. *ad edictum prouinciale.*

QVibus casibus si quid fortè vnus in eam rem impenderit, siue fructus mercedésve vnus perceperit, vel deteriorem rem fecerit: nõ societatis iudicio locus est, sed inter cohæredes quidē familiæ erciscundæ iudicio agitur, inter cæteros communi diuidundo. Inter eos quoque, quibus hæreditario iure communis res est, potest communi diuidundo agi.

Societas non transit ad hæredem ex conuentione socii: sed actio pro socio bene transit tam pro culpa ipsius defuncti quàm pro dolo hæredis, ex conuentione tamen hæredis potest reuocari societas.

XXXV. VLPIANVS *lib. XXX. ad Sabinum.*

NEmo potest societatem hæredi suo sic parere, vt ipse hæres socius sit. in hæredem autem socij proponitur actio, vt bonam fidem præstet, D

XXXVI. PAVLVS *lib. VI. ad Sabinum.*

ET acti etiam culpam, quam is præstaret, in cuius locũ successit: licet socius sit.

XXXVII. POMPONIVS *lib. XIII. ad Sabinum.*

PLanè si hi, qui socij hæredes exstiterunt, animum inierint societatis in ea hæreditate nouo consensu: quod postea gesserũt, efficietur, vt in pro socio actioné deducatur.

Cautela futurorum spectat ad iudicem tam in generalibus iudiciis quàm specialibus, vbicunque æquitas suadet. Baldus.

XXXVIII. PAVLVS *lib. VI. ad Sabinum.* E

PRo socio arbiter prospicere debet cautionib' in futurum damno vel lucro pendenti ex ea societate. quod Sabinus in omnib' bonæ fidei iudiciis existimauit: siue generalia sunt, veluti pro socio, negociorum gestorum, tutelæ: siue specialia, veluti mandati, cõmodati, depositi. Si tecum mihi societas sit, & res ex societate cõmunes: quam impensam in eas fecero, quósve fructus ex his rebus perceperis: vel pro socio, vel communi diuidundo, me consecuturum: & altera actione alteram tolli, Proculus ait.

XXXIX. POMPONIVS *lib. XIII. ad Sabinum.*

SI fundus mihi tecum communis sit, & in eum mortuum intuleris: agam tecum pro socio. F

Societas ad hæredem non transit: tamen inchoata per defunctum debent per hæredem explicari. Baldus.

XL. IDEM. *lib. XVI. ad Sabinum.*

HAeres socij quamuis socius non est: tamé ea, quæ per defunctum inchoata sunt, per hæredé explicari debent: in quibus dolus eius admitti potest.

Stipulatio pœnalis non nouat præcedentem obligationem, nisi ex caussa onerosa factam: sed ex actione facta, per vnam tollitur altera, quatenus concurrunt. Bartolus.

XLI. VLPIANVS *lib. XIX. ad edictum.*

SI quis à socio pœnam stipulatus sit: pro socio non aget, si tantundem in pœna sit, quantum eius interfuit.

XLII. IDEM *lib. XXX. ad Sabinum.*

Quod

A QVòd si exstipulatu eam consecutus sit: postea pro socio agendo, hoc minus accipiet, pœna ei in sortem imputata.

Actio communi diuidundo nō tollitur per actionem pro socio: quia habent se vt excedentia & excessa. Bar.

XLIII. IDEM *lib.* XIX. *ad edictum.*

SI actum sit communi diuidundo, non tollitur pro socio actio: quoniam pro socio & nominum rationem habet, & adiudicationem non admittit. sed si postea pro socio agatur: hoc minus ex ea actione consequitur, quàm ex prima actione consecutus est.

XLIIII. IDEM *lib.* XXXI. *ad edictum.*

B SI margarita tibi vendenda dedero, vt si ea decem vendidisses, redderes mihi decem: si pluris, quod excederet, tu haberes: mihi videtur, si animo contrahendæ societatis id actum sit, pro socio esse actionem. si minus: præscriptis verbis.

Actio rei persecutoria non tollitur per pœnalem, nec econuerso: sed vna persecutoria aliam bene tollit. Bar.

XLV. IDEM *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

REi communis nomine cum socio furti agi potest: si per fallaciam, dolóue malo amouit, vel rem communem cælandi animo contrectauit. sed & pro socio actione obstrictus est, nec altera actio alteram tollit. idemque & in omnibus bonæ fidei iudiciis dicendum est.

C XLVI. PAVLVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

IDem est & in colono, & in eo, qui negocia gerit, & qui mandatum nostrum exsequitur, & in tutore.

XLVII. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

SEd si ex caussa furtiua condixero: cessabit pro socio actio, nisi si pluris mea intersit. Si damnum in re cōmuni socius dedit: Aquilia teneri eum, & Celsus, & Iulianus, & Pomponius scribunt.

XLVIII. PAVLVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

SEd nihilominus & pro socio tenetur,

XLIX. VLPIANVS *lib.* XXXI. *ad edictum.*

SI hoc facto societatem læsit: si (verbi gratia) negociatorem seruum vulnerauit, vel occîdit.

L. PAVLVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

Sed actione pro socio cōsequitur, vt altera actione cōtentus esse debeat: quia vtraque actio ad rei persecutionem respicit, non (vt furti) ad pœnam dumtaxat. D

In dubio quis vti præsumitur iure suo. Bar.

LI. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

Meritò autem adiectum est, ita demum furti actionem esse, si per fallaciam, & dolo malo amouit. cùm enim sine dolo malo fecit: furti non tenetur. & sanè plerumque credendum est: qui partis dominus est, eū iure potius suo vti, quàm furti consilium inire. & ideo videbimus, an Fauia teneatur. & ratio quidem facit, ne teneatur. verū si plagium fecit, vel suppressit: Fauia tenebitur.

Contra mandatum vni factum veniens conueniri non potest: secus si contra contractum societatis venerit. Nam in primo potest pœnitere, in vltimo non. Bar. E

LII. IDEM *lib.* XXXI. *ad edictum.*

Cvm duobus vicinis fundus venalis esset: alter ex his petiit ab altero, vt eum fundū emeret: ita vt ea pars, quæ suo fundo iuncta esset, sibi cederetur. mox ipse eum fundum ignorāte vicino emit. quæritur, an aliquam actionem cum eo vicinus habeat? Iulianus scripsit, implicitā esse facti quæstionem. Nam si hoc solum actum sit, vt fundum Lucij Titij vicinus emeret, & mecum communicaret: aduersus me, qui emi, nullam actionem vicino competere. Si verò id actum sit, vt quasi commune negocium gereretur: societatis iudicio tenebor, vt tibi deducta parte, quam mandaueram, reliquas partes præstem. Venit autem in hoc iudicium pro socio bona fides. vtrum ergo tantū dolum, an etiam culpam præstare socium oportet, quæritur? & Celsus libro sexto Digestorum scripsit: socios inter se dolū & culpam præstare oportere. Qui in coëunda societate (inquit) artem operámve pollicitus est alter: veluti cùm pecus in commune pascendum, aut agrū* politori damus in commune quærendis fructibus: nimirum ibi etiā culpa præstanda est. precium enim operæ & artis est velamentum. Quod si rei communi socius nocuit: magis admittit culpam quoque venire. Damna, quæ imprudentibus accidunt, hoc est dāna fatalia, socij nō coguntur præstare. ideoque si pecus æstimatum datum sit, & id latrocinio F

** de hac dictione vide Fest. Pompeiū, quamuis Bud. restituerit pollicitatori. & Non. Marcellū.*

nio,

nio, aut incendio perierit: commune damnum eſt, ſi nihil
A dolo aut culpa acciderit. Quod ſi à furibus ſubreptum ſit:
proprium eius detrimentum eſt: quia cuſtodiam præſtare
debuit, qui æſtimatum accepit. hæc vera ſunt, & pro ſocio
erit actio: ſi modò ſocietatis contrahendæ cauſſa paſcenda data ſunt, quamuis æſtimata. Quidam ſagariam communionem inierunt. alter ex his ad merces comparandas
profectus in latrones incidit. pecuniam perdidit. ſerui ciꝰ
vulnerati ſunt, resq; proprias perdidit. dicit Iulianus, dãnum eſſe commune. ideoque pro ſocio actione damni partem dimidiam agnoſcere debere, tam pecuniæ, quàm rerũ
cæterarum, quas ſecum non tuliſſet ſocius, niſi ad merces
communi nomine comparandas proficiſceretur. ſed & ſi
B quid in medicos impenſum eſt: pro parte ſociũ agnoſcere debere, rectiſſimè Iulianus probat. proinde & ſi naufragio quid periit, cùm non alias merces, quàm naui ſolerent
aduehi: damnum ambo ſentient. nam ſicuti lucrum, ita dãnum quoque commune eſſe oportet, quod non culpa ſocij
contingit. Duo erant argentarij ſocij. alter eorũ aliquid
ſeparatim quæſierat, & lucri ſenſerat. quærebatur, an commune eſſe lucrum oporteret? & Imperator Seuerus Flauio
Felici in hæc verba reſcripſit. etiam ſi maximè argentariæ
ſocietas inita eſt: quod quiſque tamen ſocius non ex argẽtariæ cauſſa quæſiit, id ad communionem non pertinere,
exploratí iuris eſt. Papinianus libro tertio Reſponſorũ
C ait. ſi fratres parentum indiuiſas hæreditates ideo retinuerunt, vt emolumentum ac damnum in his commune ſentirent: quod aliunde quæſierint, in communẽ non redigetur.

Item ex facto conſultum reſpondiſſe ſe ait libro quarto Reſponſorum. inter Flauium Victorem & Hellicum
Aſianum placuerat, vt locis emptis pecunia Victoris, monumenta fierẽt opera & peritia Aſiani: quibus diſtractis,
pecuniam Victor cum certa quantitate reciperet, ſuperfluum Aſianus acciperet, qui operã in ſocietatem cõtulit,
erit pro ſocio actio. Idem Papinianus libro eodẽ ait. ſi
inter fratres voluntarium conſortium initum fuerit: & ſtipendia, cæteraque ſalaria in commune redigi iudicio ſocietatis: quamuis filius emancipatus hæc non cogatur cõferre fratri (inquit) in poteſtate manenti: quia & ſi in poteſtate

ſtate

ſtate manéret, præcipua ea haberet. Idem reſpondit, ſocietatem non poſſe vltra mortem porrigi. & ideo nec libertatem de ſupremis iudiciis conſtringere quis poterit, vel cognatum vlteriorem proximioribus præferre. Idē reſpōdit. ſocius, qui ceſſantis ceſſantiúmue portiones inſulæ reſtituerit: quamuis aut ſortem cum certis vſuris intra quatuor menſes, poſtquam opus refectum erit, recipere poteſt, in exigendoque priuilegio vtetur, aut deinceps, propriam rem habebit: poteſt tamen & pro ſocio agere ad hoc, vt conſequatur, quod ſua intererat. finge enim malle eum magis ſuum conſequi quàm dominium inſulæ. Oratio enim diui Marci idcirco quatuor menſibus finit certas vſuras, quia poſt menſes quatuor dominium dedit. Si quis ſocietatem ad emendum coierit, deinde res alterius dolo vel culpa empta non ſit: pro ſocio eſſe actionem conſtat. Planè ſi conditio ſit adiecta, SI INTRA ILLVM DIEM VENIERIT, & dies ſine culpa ſocij præterierit: ceſſabit actio pro ſocio. Item ſi in communem riuum reficiendum impenſa facta ſit: pro ſocio eſſe actionem ad recuperandum ſumptum Caſſius ſcripſit. Item Mela ſcripſit: ſi vicini ſemipedes inter ſe contulerint, vt ibi craticium parietem inter ſe ædificarent ad onera vtriuſque ſuſtinenda: deinde ædificato pariete, alter in eum immitti non patiatur: pro ſocio agendum. itemque & ſi aream in commune emerint, ne luminibus ſuis officeretur: & alteri tradita ſit, nec præſtet alteri, quod conuenit: pro ſocio actionem eſſe. Si plures ſint inter eoſdem ſocietates coitæ: ad omnes ſocietates ſufficere hoc vnum iudicium conſtat. Si quis ex ſociis propter ſocietatem profectus ſit (veluti ad merces emendas) eos dūtaxat ſumptus ſocietati imputabit, qui in eam rem impenſi ſunt. viatica igitur & meritoriorum, & ſtabulorum, & iumentorum: & carrulorum vecturas, vel ſui, vel ſarcinarum ſuarum gratia, vel mercium rectè imputabit.

D

E

F

Socius omnium bonorum omnia conferre tenetur, præterquam ex illicito quæſtu quæſita: damna verò ſuo delicto prouenientia ſocietati non imputat: & inhoneſtarum rerum ſocietas nulla contrahitur: & ſi quæſtus illicitus communicatus fuerit ſponte, & communicans

municans fuerit ex delicto damnatus, partem recuperat à socio. Baldus.

A Socium vniuersa in societatem conferre debere, Neratius ait, si omnium bonorum socius sit. & ideo siue ob iniuriam sibi factam, vel ex lege Aquilia, siue ipsius, siue filij corpori nocitum sit: conferre debere respondit.

Idem ait, socium omnium bonorum non cogi conferre, quæ ex prohibitis caussis adquisierit. per contrarium quoque apud veteres tractabatur: an socius omnium bonorum, si quid ob iniuriarum actionem damnatus præstiterit, ex communi consequatur, vt præstet?& Atilicinus, Sabinus, Cassius responderunt. si iniuria iudicis damnatus sit: consecuturum. si ob maleficium suum: ipsum B tantum damnum sentire debere, cui congruit. quod Seruium respondisse Ofilius refert. si socij bonorum omnium fuerint, deinde vnus cùm ad iudicium non adesset, damnatus sit: non debere eum de communi id consequi. si verò præsens iniuriam iudicis passus sit: de communi sarciendum.

LIII. IDEM *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

QVod autem ex furto, vel ex alio maleficio quæsitum est: in societatem non oportere conferri, palam est: * quia delictorum turpis atque fœda cómunio est. planè si in medium collata sint: commune erit lucrum.

**Attamē ob æquabilē prædæ partitionem Bargulum latronē magnas opes habuisse refert. Cice. lib. i. Offi.*

C LIIII. PAVLVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

QVod enim ex maleficio contulit socius, non aliter recipere debet, quàm si damnatus sit.

LV. POMPONIVS *lib.* XIII. *ad Sabinū.*

SI igitur ex hoc conuentus fuerit, qui maleficium admisit: id, quod contulit, aut solum, aut cum pœna auferet: si mihi proponas, insciente socio, eum in societatis rationem hoc contulisse. Quod si sciente: etiam pœnam socium agnoscere oportet. æquum est enim, vt cuius participauerit lucrum, participet & damnum.

LVI. PAVLVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

NEc quidquam interest, vtrum manente societate præstiterit ob furtum, an dissoluta ea. Idemq́ue est in omnibus turpibus actionibus: veluti iniuriarū, vi bonorū raptorum,

raptorum, serui corrupti, & similibus: & in omnibus pœnis pecuniariis, quæ ex publicis iudiciis accidunt. D

LVII. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

† Genera societatis honestæ eleganter describit Cic. lib. I. Offic.

NEc prætermittendum esse, Pomponius ait: ita demum hoc esse verum†, si honestæ & licitæ rei societas coita sit. Cæterùm si maleficij societas coita sit: constat nullam esse societatem. generaliter enim traditur, rerum inhonestarum nullam societatem esse.

Si societas fit re, rerũ ipsarum collatione perficitur: si fit per contractum, non dicitur perfecta nisi celebretur contractus. **Bartolus.**

LVIII. IDEM *lib.* XXXI. *ad edictum.*

SI id, quod quis in societatem contulit, exstinctum sit: videndum est, an pro socio agere possit. tractatum id, ita est apud Celsum libro septimo Digestorum, ad epistolam Cornelij Felicis. cùm tres equos haberes, & ego vnum: societatem coimus, vt accepto equo meo quadrigam venderes, & ex precio quartam mihi redderes. si igitur ante venditionẽ equus meus mortuus sit: non putare se Celsus ait, societatem manere, nec ex precio equorum tuorum partem deberi. nec enim habendæ quadrigæ, sed vendendæ coitam esse societatem. Cæterùm si id actum dicatur, vt quadriga fieret, eaque communicaretur, tuque in ea tres partes haberes, ego quartam: non dubiè adhuc socij sumus. Item Celsus tractat: si pecuniam contulissemus ad mercem emẽdam, & mea pecunia perisset: cui perierit ea? & ait. si post collationem euenit, vt pecunia perierit (quod non fieret, nisi societas coita esset) vtrique perire: vtputa si pecunia, cùm peregre portaretur ad mercem emendam, periit. si verò ante collationem, postea, quàm eam destinasses, tunc perierit: nihil eo nomine consequeris (inquit) quia non societati periit. E F

Filius emancipatus potest pro socio conueniri ipse: & pater de peculio. **Bartolus.**

Si filiusfamiliâs societatem coierit, deinde emancipatus à patre fuerit: apud Iulianum quæritur, an eadem societas duret, an verò alia sit, si fortè post emancipationem in societate duratum sit? Iulianus libro decimoquarto Digestorum scripsit, eandem societatem durare. initium enim in his contractibus inspiciẽdum. duabus autem actionibus

nibus agendum eſſe. vna aduerſus patrem, altera aduerſus
A filium. cum patre de eo, cuius dies ante emancipationem
ceſſit. nam eius temporis, quo poſt emancipationem ſocietas
durauit, nihil præſtare patrem oportere. cum filio autem
de vtroque tempore, id eſt, de tota ſocietate. Nam &
ſi quid (inquit) ſocius filij poſt emancipationem filij dolo
fecerit: eius, non patri, ſed filio actio danda eſt. Si ſeruus
meus ſocietatem cum Titio coierit, & alienatus in
eadem permanſerit: poteſt dici alienatione ſerui, & priorem
ſocietatem finitam, & ex integro alteram inchoatam.
atque ideo & mihi & emptori actionem pro ſocio competere.
item tam aduerſus me ex his cauſſis, quæ ante alienationem
inciderunt, dandam actionem, quàm ex reliquis
B aduerſus emptorem ſolum.

Non poteſt conueniri vt ſocietas tranſeat ad hæredem, niſi in ſocietate vectigalium. Bartolus.

LIX. POMPONIVS *lib.* XII. *ad Sabinum.*

ADeo morte ſocij ſoluitur ſocietas, vt nec ab initio paciſci poſſimus, vt hæres ſuccedat ſocietati. Hæc in priuatis ſocietatibus: at in ſocietate vectigalium nihilominus manet ſocietas, etiam poſt mortem alicuius. ſed ita demum, ſi pars defuncti ad perſonam hæredis eius adſcripta ſit, vt hæredi quoque conferri oporteat. quod ipſum ex cauſſa æſtimãdum eſt. Quid enim ſi is mortuus ſit, propter cuius operam maximè ſocietas coita ſit: aut ſine
C quo ſocietas adminiſtrari nõ poſſit? Quod in alea vel adulterio perdiderit ſocius: ex medio nõ eſt laturus. Si quid verò dolo noſtro ſocius damni cepit: à nobis repetet.

In hac actione poſt moram veram vel fictam veniunt vſuræ & intereſſe contra ſocium: ſecus contra hæredem ſocii. Bartolus.

LX. IDEM *lib.* XIII. *ad Sabinum.*

SOcium, qui in eo, quod ex ſocietate lucrifaceret, reddendo moram adhibuit, cùm ea pecunia ipſe vſus ſit: vſuras quoque præſtare debere, Labeo ait. ſed non quaſi vſuras, ſed quod ſocij interſit, moram eum non adhibuiſſe. ſed ſi aut vſus ea pecunia non ſit, aut moram non fecerit: contrà eſſe. item poſt mortem ſocij nullam talem æſtimationem ex facto hæredis faciendam: quia morte ſocij dirimitur ſocietas.

Damna

Damna & lucra contemplatione ſocietatis obuenientia ſunt communicanda: ſecus ſi contemplatione perſonæ obueniunt, licet huius ſocietatis fuerit occaſio. Bartolus. D

Socius, cùm reſiſteret communib' venalibus ad fugam erumpentibus, vulneratus eſt. impenſam, quam in curando ſe fecerit, non conſecuturum pro ſocio actione, Labeo ait: quia id non in ſocietatem (quamuis propter ſocietatem) impenſum ſit: ſicuti nec ſi propter ſocietatem eum hæredem quis inſtituere deſiiſſet, aut legatum prætermiſiſſet, aut patrimonium ſuum negligentius adminiſtraſſet. nam nec compendium, quod propter ſocietatem ei contigiſſet, veniret in medium: veluti ſi propter ſocietaté hæres fuiſſet inſtitutus, aut quid ei donatum eſſet.

LXI. VLPIANVS *lib.* XXXI. *ad edictum.* E

SEcundum Iulianum tamen, & quod medicis pro ſe datum eſt, recipere poteſt. quod & verum eſt.

Si preciũ rei cõmunis cũ ſocio putatiuo diuiſerim, à vero ſocio ille putatiuus cõuenitur, non ego: cùm partem precii receperim. Bar.

LXII. POMPONIVS *lib.* XIII. *ad Sabinum.*

SI Titius, cum quo mihi ſocietas erat, deceſſerit: egoque cùm putarem Titij hæreditatem ad Seium pertinere, communiter cum eo res vendiderim: & partem pecuniæ ex venditione redactæ ego, partem Seius abſtulerit: te, qui re vera Titio hæres es, partem à me redactæ pecuniæ ſocietatis iudicio non cõſecuturum, Neratio & Ariſtoni placebat: quia meæ duntaxat partis precia percepiſſem. neque intereſſe, vtrum per ſe partes meas vendidiſſem, an communiter cum eo, qui reliquas partes ad ſe pertinere diceret. alioquin euenturum, vt etiam ſi duo ſocij rem vendiderint, vnuſquiſque eius, quod ad ſe peruenerit, partem alteri ſocietatis iudicio præſtari debeat. Sed nec te ex parte, quam hæreditatis petitione fortè à Seio conſecuturus ſis, quidquam mihi præſtare debere: quia quod ad Seium peruenerit, tuarum partium ſit: nec ad me habétem meum, quidquam ex eo redire debeat. F

Socius non condemnatur, niſi quatenus facere poteſt, vel dolo deſiit poſſe facere: quod beneficium ad fideiuſſorem vel hæredem non tranſit. Bartolus.

LXIII. VLPIANVS *lib.* XXXI. *ad edictum.*

Verum

A VErùm est, quod Sabino videtur: etiam si non vniuersorum bonorum socij sint, sed vnius rei: attamen in id, quód facere possunt, quódve dolo malo fecerunt, quò minus possint, condemnari oportere. Hoc enim summam rationem habet: cùm societas ius quodammodo † fraternitatis in sese habeat. Videndum est, an & fideiussori socij præstari id debeat: an verò personale beneficium sit. quod magis verùm est. Sed si hic fideiussor, quasi defensor socij iudiciũ susceperit: proderit sibi. namque Iulianus libro septimo Digestorum scribit, defensorem socij in id, quod socius facere potest, condemnari oportere. idemque & in patroni defensore accipi debere ait. & vtique idem erit in vniuersis, qui in id, quod facere possunt, B conueniuntur. Patri autẽ vel domino socij, si iussu eorũ societas contracta sit, non esse hanc exceptionẽ dandam: quia nec hæredi socij, cæterisq; successorib' hoc præstabitur: quia nec cæterorum hæredibus successoribúsve, quos in id, quód facere possunt, cõuenimus, idẽ præstatur.

† Iuxta hãc sententiã est qđ in oratiõe p Roscio Amerino M. Cicero copiose disserit.

Socius debet conueniri, in quantum facere potest, ære tamen alieno deducto: debet tamen cauere de satisfaciendo integrè, si ad pinguiorem fortunam deuenerit. Bar.

Id quod facere potest sociùs, quẽmadmodum æstimandum sit? & placuit, non debere deduci æs alienum, quod debetur à socio. Ita & Marcellus lib. septimo Digestorum scribit. nisi fortè (inquit) ex ipsa societate debeatur. Item C videndum, an cautio veniat in hoc iudicium eius, quod facere socius non possit: an scilicet nuda promissio? quod magis dicendum arbitror.

Inter socios inuicem agentes non est melior conditio occupantis. Baldus.

Si cum tres socij essent, egerit cum vno ex sociis socius, & partem suam integram sit consecutus: deinde alius socius cùm eodem agat, & partem consequi integram non poterit, quia facere solidũ nõ potest: an hic, qui minus cõsecutus est, cũ eo agere possit, qui solidũ accepit, ad cõmunicandas partes & inter eos exæquandas, quasi iniquum sit ex eadem societate alium plus, alium minus consequi? sed magis est, vt pro socio actione consequi possit, vt vtriusq; portio exæquatur. quæ sententia habet æquitatem.

Vtrū socius facere possit, inspicitur tēpus rei indicatæ: & facere quis posse dicitur, si dolo facit quò minus posset: secus si culpa. **Bal.** D

Tempus autem spectamus, quantum socius facere possit, rei iudicandæ. hoc quoque facere posse quisque videtur, quod dolo fecit, quò minus possit. nec enim æquum est, dolum suū quenquam releuare. quod & in cæteris, qui in id, quod facere possunt, conueniuntur, accipiendum est. Si tamen non dolo, sed culpa sua vt facere posset desiit: dicendum est, condemnari eum non debere.

Contra hæredem socii cōpetit actio pro socio, licet nō sit socius, nec possit esse socius, licet sit actum, nisi sit societas vectigalis. **Bal.**

In hęredem quoque socij pro socio actio cōpetit: quāuis hæres socius non sit. licet enim socius non sit: attamen emolumenti successor est. & circa societates vectigalium, cæterorumque idem obseruamus, vt licet hæres socius non sit, nisi fuerit adscriptus: verumtamen etiam omne emolumentū societatis ad eum pertineat, simili modo & damnū agnoscat: siue quod viuo adhuc socio vectigalis contigit, siue postea. Quod non similiter in voluntaria societate obseruatur. E

Legatum factum per vnum ex sociis seruo communi, non debet conferri inter socios & hæredes legantis. **Bal.**

Si seruo communi legatum sine libertate vnus ex dominis reliqnit: hoc ad solum socium pertinet. an tamen pro socio iudicio communicari debeat cum hærede socij, quæritur? & ait Iulianus Sextum Pædium referre Sabinum respondentem non communicari: & posse hanc sententiam defendi, Iulianus ait. non enim propter communionem hoc adquisitum esse, sed ob suā partem: nec oportere id communicari, quod quisque non propter societatem, sed propter suam partem adquisierit. Societas soluitur ex personis, ex rebus, ex voluntate, ex actione. Ideoque siue homines, siue res, siue voluntas, siue actio interierit: distrahi videtur societas. intereunt autē homines quidem maxima, aut media capitis deminutiōe, aut morte. res verò cùm aut nullæ relinquuntur, aut conditionem mutauerunt: neque eius rei, quæ iam nulla sit, quisquam socius est, neque eius quæ consecrata, publicatáve sit. Voluntate distrahitur societas renunciatione. F

LXIIII. CALLISTRATVS *lib. I. Quæstionum.*

A ITa quoq; cũ separatim socij agere cœperint, & vnusquisque eorũ sibi negocietur: sine dubio ius societatis soluitur. LXV. PAVLVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

ACtione distrahitur: cùm aut stipulatione, aut iudicio mutata sit caussa societatis. Proculus enim ait. hoc ipso, quod iudicium ita dictatum est, vt societas distrahatur: renunciatam societatem: siue totorum bonorum, siue vnius rei societas coita sit. Item bonis à creditoribus venditis vnius socij, distrahi societaté, Labeo ait. Si in rem certam emendam conducendámve coita sit societas: tunc etiam post alicuius mortem, quidquid lucri detrimentíve factum sit, commune esse Labeo ait.

B *Dissensu dissoluitur societas. qualiter hoc intelligatur, hic per exempla declaratur. Item renunciatio intempestiua non liberat renũciantem: sed facit socios à renunciante liberari.* Bal.

Diximus dissensu solui societatem. hoc ita est, si omnes dissentiant. quid ergo, si vnus renunciet? Cassius scribit. eum, qui renunciauerit societati, à se quidem liberare socios suos: se autem ab illis non liberare. quod vtique obseruandum est, si dolo malo renunciatio facta est. veluti si cùm omnium bonorum societatem inissemus. deinde cùm obuenisset vni hæreditas, propter hoc renunciauit. ideóque si quod damnum attulit hæreditas: hoc ad eum, qui renunciauit, pertinebit. Commodum autem communicare C cogetur actione pro socio. Quod si quid post renunciationem adquisierit, non erit communicandum: quia nec dolus admissus in eo est. Item si societatem ineamus ad aliquam rem emendam: deinde cùm solus volueris eam emere, ideo renunciaueris societati, vt solus emeres: teneberis, quanti mea interest. Sed si ideo renunciaueris, quia emptio tibi displicebat: non teneberis, quamuis ego emero: quia hic nulla fraus est. eáque & Iuliano placent.

Labeo autem Posteriorum libris scripsit. si renunciauerit societati vnus ex sociis eo tempore, quo interfuit socij, non dirimi societatem: committere eum in pro socio actionem. Nam si emimus mancipia inita societate, deinde renuncies mihi eo tempore, quo vendere mancipia non expedit: hoc casu, quia deteriorem caussam meam facis,

teneri te pro socio iudicio. Proculus hoc ita verum esse: si societatis interfit, non dirimi societatem. Semper enim non id, quod priuatim interest vnius ex sociis, seruari solet: sed quod societati expedit. hæc ita accipienda sunt, si nihil de hoc in coëunda societate conuenit. Item qui societatem in tempus coiit: ante tempus eam renũciando, socium à se non se à socio liberat. Itaque si quid compendij postea factum erit: eius partem non feret. At si dispendium: æquè præstabit portionem, nisi renunciatio ex necessitate quadam facta sit. Quòd si tempus finitum est: liberũ est recedere, quia sine dolo id fiat. D

Renunciatio potest fieri per se & per procuratorem etiam generalem. Bartolus.

Renunciare societati etiam per alios possumus. & ideo dictum est, per procuratorem quoque posse renunciari societati. Sed vtrum de eo dictum sit, cui omnium bonorum administratio concessa est: an de eo, cui hoc ipsum mandatum est nominatim, videamus: an vero per vtrũque rectè renuncietur. quod est verius: nisi prohibuerit eum dominus specialiter renunciare. E

Procuratori facta renunciatio habet effectum, si dominus ratam habuit. Bartolus.

Item scriptum est, posse procuratori quoque meo socium meum renunciare. quod Seruius apud Alfenum ita notat. esse in potestate domini, cùm procuratori eius renunciatum est, an velit ratam habere renunciationẽ. Igitur is, F cuius procuratori renunciatum est, liberatus esse videbitur. an autem ipse quoque, qui renunciauit procuratori, liberetur: in potestate eius erit, quemadmodum diximus in eo, qui socio renunciat.

Morte naturali vel ciuili soluitur societas. Bartolus.

Morte vnius societas dissoluitur, & si consensu omniũ coita sit, plures verò superfint: nisi in coëunda societate aliter conuenerint. nec hæres socij succedit. sed quod ex re communi postea quæsitum est, item vt dolus & culpa: in eo, quod ex antè gesto pendet, tam ab hærede, quàm hæredi præstandum est. Item si alicuius rei societas contracta sit, & finis negocio impositus: finitur societas. Quod si integris omnibus manẽtibus alter decesserit, deinde tũc

sequatur

sequatur res, de qua societatem coierunt : tunc eadem distinctione vtemur, qua in mandato : vt si quidem ignorata
A fuerit mors alterius, valeat societas. si nota: non valeat.

Societas quemadmodum ad hæredes socij non transit, ita nec ad adrogatoré : ne alioquin inuitus quis socius efficiatur, cui nõ velit. ipse autem adrogatus socius permanet. nã & si filiusfamiliâs emancipatus fuerit, permanebit socius. Publicatione quoq; distrahi societatem quod diximus: videtur spectare ad vniuersorũ bonorum publicationem, si socij bona omnia publicentur . nam cùm in eius locum alius succedat, pro mortuo habetur. Si post distractam societatem aliquid in rem communem impenderit socius : actione pro socio id non consequitur : quia non est verum pro socio communitérve id gestum esse:
B sed cõmuni diuidundo iudicio huius quoq; rei ratio habebitur. nam & si distracta est societas: nihilominus diuisio rerum superest. Si cõmunis pecunia penes aliqué sociorum sit, & alicui sociorũ quid absit: cum eo solo agendum, penes quem ea pecunia sit: qua deducta, de reliquo, quod cuiq; debeatur, omnes agere possunt. Nonnunquã necessarium est, & manente societate agi pro socio : veluti cùm societas vectigaliũ caussa coita est, propterq; varios cõtract' neutri expedit recedere à societate: nec refertur in medium, quod vectigalium ad alterum peruenerit.

Inter socios tempore diuisionis ante partem assumitur dos ab eo,
C *qui sustinet onera matrimonii. Bartolus.*

Si vnus ex sociis maritus sit, & distrahatur societas manente matrimonio: dotem præcipere maritus debet: quia apud eum esse debet, qui onera sustinet. quòd si iam dissoluto matrimonio societas distrahatur: eadem die recipienda est dos, qua & solui debet.

LXVI. CAIVS *lib.* X. *ad edictum prouinciale.*

QVòd si eo tépore, quo dissoluitur societas, in ea caussa dos sit, vt certum sit eam, vel parté eius reddi non oportere: diuidere eã inter socios iudex debet.

Si vnus ex sociis rem communem vendidit, debet ei de indẽnitate caueri : & ipsum receptum inter socios diuidi : & si precium socius cõmunicauerit, super indemnitate ei succurretur. Baldus.

LXVII. PAVLVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

SI vnus ex sociis rem communem vendiderit consensu sociorum: precium diuidi debet ita vt ei caueatur, indemnem eum futurum. Quod si iam damnum passus est: hoc ei præstabitur. Sed si precium communicatum sit sine cautione, & aliquid præstiterit is, qui vendidit: an si non omnes socij soluendo sint, quod à quibusdam seruari non potest, à cæteris debeat ferre? sed Proculus putat hoc ad cæterorum onus pertinere, quod ab aliquibus seruari non potest: rationeq; id defendi posse: quoniã cũ societas cõtrahitur, tam lucri quàm dãni cõmunio ineatur. D

Si socius non omnium bonorũ omnẽ pecuniam fœneratur, ita demũ inter socios vsuras perceptas debet cõmunicare, si cõmuni nomine fœnerauerit. Item si vnus ex sociis de suo in communi negocio necessario impendit, poterit illud repetere cum vsuris. Bal. E

Si vnus ex sociis, qui non totorũ bonorum socij erũt, communem pecuniam fœnerauerit, vsurasque perceperit: ita demum vsuras partiri debet, si societatis nomine fœnerauerit. Nam si suo nomine: quoniam sortis periculum ad eum pertinuerit, vsuras ipsum retinere oportet.

Si quid vnus ex sociis necessariò de suo impenderit in commune negocium: iudicio societatis seruabit & vsuras, si fortè mutuatus sub vsuris dedit. Sed & si suam pecuniã dedit: non sine caussa dicetur, quod vsuras quoque percipere debeat, quas posset habere, si alij mutuum dedisset.

Sed nec aliâs socius in id, quod facere potest, condemnatur, quàm si confitetur se socium fuisse. F

LXVIII. CAIVS *lib.* X. *ad edictum prouinciale.*

NEmo ex sociis plus parte sua potest alienare, & si totorum bonorum socij sint.

Dolus commissus in perdendo facit perdere beneficium: secus in non adquirendo. Bartolus.

Illud quæritur. vtrum is demũ facere videatur, quò minus facere possit, qui erogat bona sua in fraudẽ futuræ actionis: an & qui occasiõe adquirẽdi nõ vtitur? sed verius est, de eo sentire ꝓconsulẽ, qui erogat bona sua. idq; ex interdictis colligere possumꝰ: in quibꝰ ita est, QVOD DOLO FECISTI, VT DESINERES POSSIDERE.

LXIX. VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

CVm societas ad emendum coiretur, & conueniret, vt

vnus reliquis nundinarias epulas præstaret, eosque ad ne-
A gocium dimitteret: si eas eis non soluerit: & pro socio, &
ex vendito cum eo agendum est.

LXX. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

NVlla societatis in æternum coitio est.

Si cötractui iurisgentiũ subiiciatur stipulatio cõtinens idem, nouatur prima si actũ est, non aliàs. Item stipulatio pœnalis non nouat precedentẽ obligationem ex caussa onerosa contractam. Bartolus.

LXXI. IDEM *lib.* II. ἐπιτομῶν. *Alfeni Digestorum.*

DVo societatẽ coierunt, vt grãmaticam docerent: & quod ex eo artificio quæstus fecissent, cõmune eorũ esset. de ea re, quæ voluerũt fieri, in pacto cõuento societatis perscripserũt. deinde inter se his verbis stipulati sũt.
B HAEC QVAE SVPRÀ SCRIPTA SVNT, EA ITA DARI FIERI, NEQVE ADVERSVS EA FIERI? SI EA ITA DATA FACTA NON ERVNT, TVNC DECEM DARI? quæsitũ, an si quid cõtrà factũ esset, societatis actione agi posset? respondit. siquidẽ pacto cõuento inter eos societate facto, ita stipulati essent, HAEC ITA DARI FIERI SPONDES? futurũ fuisse, vt si nouationis caussa id fecissent, pro socio agi nõ posset, sed tota res in stipulationem translata videretur. sed quoniã non ita essent stipulati, EA ITA DARI FIERI SPONDES? sed SI EA ITA DATA FACTA NON ESSENT, DECEM
C DARI? nõ videri sibi rem in stipulationem peruenisse, sed dũtaxat pœnã. non enim vtriusq; rei promissorẽ obligari, vt ea daret faceret: & si nõ fecisset, pœnã sufferret. & ideo societatis iudicio agi posse. Duo colliberti societatẽ coierũt lucri, quæstus, cõpendiĩ. postea vnus ex his à patrono hæres institutus est. alteri legatũ datum est. neutrum horũ in medium referre debere respondit.

In societate culpa leuis est non adhibere eam diligentiam, quã in suis adhibere solitus est tempore contractæ societatis. Bartolus.

LXXII. CAIVS *lib.* II. *rerum quotidianarum, siue aureorum.*

SOcius socio etiam nomine culpæ tenetur, id est desidiæ atque negligentiæ. culpa autem non ad exactissimam diligentiam dirigenda est. sufficit enim talem dili-

gentiam communibus rebus adhibere, qualem ſuis rebus adhibere ſolet: quia qui parum diligentem ſibi ſocium adquirit, de ſe queri debet. D

Sententiæ arbitri omnino eſt parendum, ſententia verò arbitratoris reducitur ad arbitrium boni viri. Bartolus.

LXXIII. VLPIANVS *lib.* I. *Reſponſorum Maximino reſpondit.*

SI ſocietatẽ vniuerſarum fortunarũ coierint, id eſt, earum quoq; rerũ, quæ poſtea cuiq; adquirẽtur: hæreditatem cuiuis eorũ delatam in cõmune redigẽdam. Item Maximino reſpondit. ſi ſocietatem vniuerſarũ fortunarũ ita coierunt, vt quidquid erogetur, vel quæratur, cõmunis lucri atq; impendij eſſet: ea quoq;, quæ in honorem alterius liberorum erogata ſunt, vtriſque imputanda. E

LXXIIII. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

SI quis ſocietatem cõtraxerit: quod emit, ipſius fit, non cõmune: ſed ſocietatis iudicio cogitur rẽ cõmunicare.

LXXV. CELSVS *lib.* X. *Digeſtorum.*

SI coita ſit ſocietas ex his partibus, quas Titius arbitratus fuerit, & Titius antè, quàm arbitraretur, deceſſerit: nihil agitur. nam idipſum actum eſt, ne aliter ſocietas ſit, quàm vt Titius arbitratus ſit.

LXXVI. PROCVLVS *lib.* V. ἐπιϛολῶν.

SOcietatem mecum coiſti ea conditione, vt Nerua amicus communis partes ſocietatis conſtitueret. Nerua conſtituit, vt tu ex triente ſocius eſſes, ego ex beſſe. quæris: vtrum ratum id iure ſocietatis ſit, an nihilominus ex æquis partibus ſocij ſimus? exiſtimo autem melius te quæſiturum fuiſſe: vtrum ex his partibus ſocij eſſemus, quas is conſtituiſſet: an ex his, quas virum bonum conſtituere oportuiſſet? Arbitriorum enim genera ſunt duo†. vnum huiuſmodi, vt ſiue æquum ſit, ſiue iniquum, parẽre debeamus. quod obſeruatur, cùm ex compromiſſo ad arbitrum itum eſt. alterum eiuſmodi, vt ad boni viri arbitratum redigi debeat: etiam ſi nominatim perſona ſit comprehenſa, cuius arbitratu fiat. F

†*In hunc locũ Cice. in Oratio. p Roſcio Comœdo.*

LXXVII. PAVLVS *lib.* IIII. *Quæſtionum.*

VEluti cùm lege locationis comprehenſum eſt, vt opus arbitrio locatoris fiat.

LXXVIII.

LXXVIII. PROCVLVS *lib.* V. ἐπιστολῶν.

A IN proposita autem quæstione arbitrium boni viri existimo sequendum esse: eò magis, quòd iudicium pro socio bonæ fidei est.

LXXIX. PAVLVS *lib.* IIII. *Quæstionum.*

VNde si Neruæ arbitrium ita prauum est, vt manifesta iniquitas eius adpareat: corrigi potest per iudicium bonæ fidei.

LXXX. PROCVLVS *lib.* V. ἐπιστολῶν.

QVid enim, si Nerua constituisset, vt alter ex millesima parte, alter ex duabus millesimis socius esset? Illud potest conueniens esse boni viri arbitrio, vt non vtiq; ex æquis partib⁹ socij simus: veluti si alter plus B operæ, industriæ, gratiæ, pecuniæ in societatem collaturus erat.

Pactum inter socios, quòd filiæ de communi dotentur, est validū: & si durāte societate dos reddatur, in commune cum sua caussa reuertitur. secus si societate soluta, per filiam recuperetur, et si acceptilatione fuerit liberata: socio non nocebit. h. d. quā. l. no. Bart. & Bal. Quid si non fuit expresse actum, quod de communi? cōsuluit Paulus de castro quod de sua parte videtur dotasse.

LXXXI. PAPINIANVS *lib.* VII. *Quæstionum.*

SOcius pro filia dotem promisit: & prius, quàm soluerer, hærede ea relicta decessit: quæ postea, quàm cum marito de exigenda dote egit: accepto liberata est. quæsiC tum est, an si pro socio ageret, dotis quantitatem percipere deberet? si fortè conuenisset inter socios, vt de communi dos constitueretur: dixi, pactum non esse iniquum: vtiq; si non de alterius tantùm filia cōuenit. nam si cōmune hoc pactum fuit: non interesse, quod alter solus filiam habuit, alter non habuit. cæterùm si numeratam dotem pater defuncta in matrimonio filia recuperasset: reddi pecunia societati debuisset, pactum ex æquitate sic nobis interpretantibus. quod si salua societate, diuortio matrimonium solutum foret: cum sua caussa dotem recuperari, scilicet vt ea vel alij marito dari possit. nec si prior maritus facere non posset: denuo de societate constituendā dotem, nisi nominatim ita conuenisset. Verùm in proposito largius interesse videbatur: an dos numerata esset, an verò expromissa. nā

si filia datam dotem postea, quàm patri hæres exstitit, iure suo recepisset: nõ esse referendã pecuniam societati, quam D mulier habitura fuit, & si alius hæres exstitisset. Quod si accepto à marito liberata esset: nequaquam imputari posse societati, non solutam pecuniam.

LXXXII. IDEM *lib.* III. *Responsorum.*

IVre societatis per socium ære alieno socius nõ obligatur: nisi in communem arcam pecuniæ versæ sint.

Quantam partem quis habet in terra, tantam habet in arboribus & lapidibus separatis ab ea: quia aliud est separatio, aliud specificatio. Baldus.

LXXXIII. PAVLVS *lib.* I. *Manualium.*

ILlud quærendum est. arbor, quæ in cõfinio nata est: item lapis, qui per vtrumque fundum extenditur: an cùm suc E cisa arbor est, vel lapis exẽptus, sicut fundus, pro ea quoq; parte singulorum esse debeat, pro qua parte in fundo fuerit: an qua ratione duabus massis duorum dominorum con flatis, tota massa cõmunis est: ita arbor hoc ipso, quod separatur à solo, propriámque substantiam in vnum corpus redactam accipit, multò magis pro indiuiso cõmunis fiat, quàm massa? Sed naturaliter conuenit rationi, & postea tantam partem vtrumque habere, tam in lapide, quàm in arbore, quantam & in terra habebat.

LXXXIIII. LABEO *lib.* VI. *Posteriorum à Iaboleno epitomatorum.*

QVoties iussu alicuius, vel cum filio eius, vel cum ex- F traneo societas coitur: directò cum illo agi posse, cuius persona in contrahẽda societate spectata est.

DIGESTORVM SEV PANdectarum Liber decimusoctauus.

DE CONTRAHENDA EMPTIONE, *& de pactis inter emptorem & venditorem compositis, & quæ res venire non possint.* Tit. I.

Orig

PAVLVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

A ORIGO emendi vendendíque à permutationibus cœpit. olim enim non ita erat numus: neque aliud merx, aliud precium vocabatur: sed vnusquisque secundum necessitatem temporum ac rerũ, vtilibus inutilia permutabant: quando plerũq; euenit, vt quod alteri superest, alteri desit. Sed quia non semper, nec facilè concurrebat, vt cùm tu haberes, quod ego desiderarem: inuicem ego haberem, quod tu accipere velles: electa materia est, cuius publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate B quantitatis subueniret. ea materia forma publica percussa, vsum dominiúmque non tam ex substantia præbet, quàm ex quantitate: nec vltrà merx vtrumque est, sed alterum precium vocatur. Sed an sine numis venditio dici hodie quoque possit, dubitatur. veluti si ego togam dedi, vt tunicam acciperem. Sabinus & Cassius esse emptionem & venditionẽ putant Nerua & Proculus permutationem, nõ emptionem hoc esse. Sabinus Homero teste vtitur, qui exercitum Græcorum ære, ferro, hominibúsq; vinum emere refert, illis versibus Græcis,

† Arist. li. 1 Poli. ca. 6. & li. 5. Ethic. ca. 5.

ἔνθεν ἄρ᾽ οἰνίζοντο καρηκομόωντες ἀχαιοὶ
ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ᾽ αἴθωνι σιδήρῳ,
C ἄλλοι δὴ ῥίνοις, ἄλλοι δ᾽ αὐτοῖσι βόεσσιν,
ἄλλοι δ᾽ ἀνδραπόδεσσιν.

Sed hi versus permutationem significare videntur, non emptionem, sicut & illi:

ἔνθ᾽ αὖτε γλαύκῳ κρονίδης φρένας ἐξέλετο ζεύς.
ὃς πρὸς τυδείδην διομήδεα τεύχε᾽ ἄμειβε
χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι᾽ ἐννεαβοίων.

Magis autem pro hac sententia illud diceretur, quod aliàs idem poëta dicit:

τήν ποτὲ λαέρτης πρίατο κτεάτεσσιν ἑοῖσι,
πρωτήβην ἔτ᾽ ἐοῦσαν, ἐεικοσίβοια δ᾽ ἔδωκεν.

Sed verior est Neruæ & Proculi sententia. nam vt aliud est vendere, aliud emere, alius emptor, alius venditor: sic aliud est preciũ, aliud merx. quod in permutatione discerni non

ni non potest: neq; vter emptor, nec vter venditor sit. Est autem emptio iurisgentium. & ideo consensu peragitur: & inter absentes contrahi potest, & per nunciū, & per literas. D

II. VLPIANVS *lib. L. ad Sabinum.*

INter patrem & filium contrahi emptio non potest; sed de rebus castrensibus potest. Sine precio venditio nulla est. non autem precij numeratio, sed conuentio perficit sine scriptis habitam emptionem.

III. IDEM *lib. XXVIII. ad Sabinum.*

SI res ita distracta sit, vt si displicuisset, inempta esset: constat non esse sub conditione distractam, sed resolui emptionem sub conditione.

IIII. POMPONIVS *lib. VIII. ad Sabinum.*

ET liberi hominis, & loci sacri, & religiosi, qui haberi non potest: emptio intelligitur, si ab ignorāte emitur. E

V. PAVLVS *lib. V. ad Sabinum.*

QVia difficilè dignosci potest liber homo à seruo.

Potest agi in contractu ad rescißionem contractus. Bal.

VI. POMPONIVS *lib. VIII. ad Sabinum.*

SEd Celsus filius ait, hominē liberum scientem te emere nō posse: nec cuiusquā rei, cuius scias alienationem prohibitam esse: vt sacra, aut religiosa loca, aut quorum commercium non sit: vt publica, quæ non in pecunia populi, sed in publico vsu habentur, vt est campus Martius.

Vbi contractus ex conuentione resoluitur, actione ex eo contractu agitur ad id quod est actum. Bartolus. F

Si fundus annua, bima, trima die ea lege venisset, vt si in diem statutum pecunia soluta non esset, fundus inemptus foret: & vt si interim emptor fundum coluerit, fructúsque ex eo perceperit, eos inempto fundo facto restitueret: & quanti minoris postea alij venisset, vt id emptor venditori præstaret: ad diem pecunia non soluta, placet venditori ex vendito eo nomine actionem esse. nec conturbari debemus eo, quod inempto fundo facto, dicatur actionem ex vendito futuram esse. In emptis enim & venditis potius id, quod actum, quàm quod dictum fuit, sequendū est. & cùm in lege id dictum sit: apparet hoc duntaxat actum esse, ne venditor emptori, pecunia ad diem non soluta, obligatus esset; non vt omnis obligatio em-

pti

pti & venditi vtrinque solueretur. Conditio, quæ initio contractus dicta est, postea alia pactione immutari potest: sicut etiam abiri à tota emptione potest, si nondum impleta sunt, quæ vtrinque præstari debuerunt.

A

Si in alterius ex contrahentibus arbitrium conditio conferatur, intelligitur de arbitrio boni viri, & tunc arbitrādi facultas extinguitur cum in mora fuerit Bar.

VII. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad Sabinum.*

HAec venditio serui, SI RATIONES DOMINI PVTARIT ARBITRIO: conditionalis est. conditionales autem venditiones tunc perficiuntur, cū impleta fuerit conditio. Sed vtrum hæc est vēditionis cōditio, si ipse dominus putasset suo arbitrio: an verò, si arbitrio viri boni? nam si arbitrium domini accipiamus, nulla est venditio: quemadmodum si quis ita vendiderit, SI VOLVERIT: vel stipulanti sic respondeat, SI VOLVERO: DECEM DABO. neque enim debet in arbitrium rei conferri, an sit obstrictus. placuit itaque veteribus, magis in viri boni arbitrium id collatum videri, quàm in domini. si igitur rationes potuit accipere, nec accepit: vel accepit, fingit autem se non accepisse: impleta conditio emptionis est, & ex empto venditor conueniri potest. Huiusmodi emptio, QVANTI TV EVM EMISTI: vel QVANTVM PRECII IN ARCA HABEO: valet. nec enim incertum est precium in tam euidenti venditione. magis enim ignoratur, quanti emptus sit, quàm in rei veritate incertum est. Si quis ita emerit, ESTO MIHI FVNDVS EMPTVS CENTVM, ET QVANTO PLVRIS EVM VENDIDERO: valet venditio, & statim impletur. habet enim certū precium centum: augebitur autem precium, si pluris emptor fundum vendiderit.

B

C

Consistit emptio siue fundetur super re, siue super spe. Bal.

VIII. POMPONIVS *lib.* VIII. *ad Sabinum.*

NEc emptio, nec venditio sine re, quæ veneat, potest intelligi: & tamē fructus, & partus futuri rectè emūtur: vt cùm editus est partus, iam tunc venditio facta intelligatur. sed si id egerit venditor, ne nascatur, aut ne fiat: ex empto agi potest. Aliquando tamen & sine re venditio intelligitur:

telligitur: veluti cùm quasi alea emitur. quod fit, cùm captus piscium, vel auium, vel missilium emitur. emptio enim contrahitur, etiam si nihil inciderit: quia spei emptio est. Et quod missilium nomine eo casu captum est, si euictum fuerit: nulla eo nomine ex empto obligatio contrahitur: quia id actum intelligitur. D

Dissensus circa precium vēditionis, seu in precio, seu in materia vel sexu, contractum venditionis vitiat: dissensus autem in nomine, si de corpore constet, non habet vitiare. Bal.

IX. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

IN venditionibus & emptionibus cōsensum debere intercedere, palàm est. Cæterùm siue in ipsa emptione dissentiant, siue in precio, siue in aliquo alio: emptio imperfecta est. Si igitur ego me fundum emere putarem Cornelianum, tu mihi te vendere Sempronianum putasti: quia in eo corpore dissensimus, emptio nulla est. idem est, si ego me Stichum, tu Pamphilum absentem vendere putasti. nā cùm in corpore dissentiamus, adparet nullam esse emptionem. Planè si in nomine dissentiamus, verum de corpore constet: nulla dubitatio est, quin valeat emptio & venditio. nihil enim facit error nominis, cùm de corpore cōstat. Inde quæritur. si in ipso corpore non erretur, sed in substantia error sit: vtputa si acetum pro vino veneat, aut æs pro auro, vel plumbum pro argento, vel quid aliud argento simile: an emptio & venditio sit? Marcellus scripsit libro septimo Digestorum, emptionem esse & venditionem: quia in corpus consensum est, & si in materia sit erratum. ego in vino quidem consentio: quia eadem propè οὐσία est, si modò vinum acuit. Cæterùm si vinum non acuit, sed ab initio acetum fuit, vt embamma: aliud pro alio venisse videtur. in cæteris autem nullam esse venditionem puto, quoties in materia erratur. E F

X. PAVLVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

ALiter atque si aurum quidem fuerit, deterius autem, q̄ emptor existimaret. tunc enim emptio valet.

XI. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad Sabinum.*

ALioquin quid dicemus, si cæcus emptor fuit, vel si in materia erretur à minus perito discernendarum materiarum? in corpus eos consensisse dicemus? & quemadmodum

modum consensit, qui non vidit? Quod si ego me vir-
A ginem emere putarem, cùm esset iam mulier: emptio vale-
bit. in sexu enim non est erratum. cæterùm si cùm ego mu-
lierem venderem, tu puerum emere existimasti: quia in se-
xu error est, nulla emptio, nulla venditio est.

Inspicitur dissensus, vel cõsensus contrahentis: non autem illorũ quibus adquiritur. Baldus.

XII. POMPONIVS *lib.* XXV. *ad Qu. Mutium.*

IN huiusmodi autem quæstionibus personæ ementium & vendentium spectari debent: non eorum, quibus adquiritur ex eo contractu actio. nam si seruus meus, vel filius, qui in mea potestate est, me præsente suo nomine emat: non est quærendum, quid ego existimem: sed quid il-
B le, qui contrahit.

XIII. IDEM *lib.* VIII. *ad Sabinum.*

SEd si seruo meo, vel ei, cui mandauero, vendas sciens fugitiuum, illo ignorante, mé sciente: non teneri te ex empto, verum est.

XIIII. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad Sabinum.*

QVid tamen dicemus, si in materia & qualitate ambo errarint? vtputa si & ego me vẽdere aurum putarim, & tu emere, cùm æs esset? vt putà cohæredes viriolam, quæ aurea dicebatur, precio exquisito vni hæredi vendidissent, eaque inuenta esset magna ex parte ænea? vẽditionem esse constat ideo, quia auri aliquid habuit. nam si
C inauratum aliquid sit: licet ego aureum putem, valet venditio. si autem æs pro auro veneat: non valet.

XV. PAVLVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

SEd & si consensum fuerit in corpus, id tamen in rerum natura ante venditionem esse desierit: nulla emptio est.

Ignorantia emptori prodest, quæ non in supinum hominem cadit. Si rem meam mihi ignoranti vendideris, & iussu meo alij tradideris: nõ putat Pomponius dominiũ in eum transire, quoniam non mihi propositum fuit: sed quasi tuum dominium in eum transire. & ideo etiam si donaturus mihi rem meam, iussu meo alij tradas: idem dicendum erit.

XVI. POMPONIVS *lib.* VIII. *ad Sabinum.*

SVæ rei emptio non valet: siue sciens, siue ignorãs emit.
sed si

sed si ignorans emi: quod soluero, repetere potero: quia nulla obligatio fuit. nec tamen emptioni obstat, si in ea re vsusfructus dumtaxt ementis sit. D

XVII. PAVLVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

OFficio tamen iudicis precium minuetur.

XVIII. POMPONIVS *lib.* VIII. *ad Sabinū.*

SEd & si cōmunis ea res emptori cum alio sit: dici debet, scisso precio pro portione, pro parte emptionem valere, pro parte non valere. Si seruus domini iussu in demonstrandis finibus agri venditi, vel errore, vel dolo plus demonstrauerit: id tantum demōstratum accipi oportet, quod dominus senserit. & idem Alfenus scripsit de vacua possessione per seruum tradita.

XIX. IDEM *lib.* XXII. *ad Qu. Mutium.* E

QVod vendidi & tradidi, non aliter fit accipientis, q̄ si aut precium nobis solutum sit, aut satis eo nomine factum: vel etiam fidem habuerimus emptori sine vlla satisdatione.

XX. IDEM *lib.* IX. *ad Sabinum.*

SAbinus respondit. si quā rem nobis fieri velimuus (veluti statuam, vel vasa aliqua, seu etiam vestem) vt nihil aliud, quàm pecuniam daremus: emptionē videri. nec posse vllam locationem esse, vbi corpus ipsum non detur ab eo, cui id fieret. aliter atque si aream darem, vbi insulam ædificares: quoniam tunc à me substantia proficiscitur.

XXI. PAVLVS *lib.* V. *ad Sabinum.* F

LAbeo scribit. obscuritatem pacti nocere potius debere venditori, qui id dixerit, quàm emptori: quia potuit re integra apertius dicere.

XXII. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad Sabinum.*

HAnc legē vēditionis, SI QVID SACRI VEL RELIGIOSI EST, EIVS NIHIL VENIT: superuacuam dicimus non esse, sed ad loca modica pertinere. cæterùm si omne religiosum, vel sacrum, vel publicum venierit: nullam esse emptionem.

XXIII. PAVLVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

ET quod soluerit eo nomine, emptor condicere potest.

XXIIII. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad Sabinū.*

In mo-

A IN modicis autem ex empto esse actioné: quia non specialiter locus sacer, vel religiosus venit, sed emptioni maioris partis accessit.

XXV. IDEM lib. XXIII. ad Sabinum.

SI ita distrahatur, ILLA AVT ILLA RES: vtrã elegerit venditor, hæc erit empta. Qui vẽdidit, necesse nõ habet fundũ emptoris facere: vt cogitur, qui fundum stipulanti spopondit.

XXVI. POMPONIVS lib. XVIII. ad Sabinum.

SI sciens emam ab eo, cui bonis interdictum sit, vel cui tempus ad deliberandum de hæreditate ita datum sit, vt ei deminuendi potestas non sit: dominus non ero. dissimiliter, atque si à debitore sciens creditorem fraudari, emero.

B XXVII. PAVLVS lib. VIII. ad Sabinum.

QVi à quolibet rem emit, quam putat ipsius esse: bona fide emit. at qui sine authoritate tutoris à pupillo emit, vel falso tutore authore, quem scit tutorem non esse: non videtur bona fide emere, vt Sabinus scripsit.

XXVIII. VLPIANVS lib. XLI. ad Sabinum.

REm alienam distrahere quem posse, nulla dubitatio est. nam emptio est & venditio. sed res emptori auferri potest.

XXIX. IDEM lib. XLIII. ad Sabinum.

C QVoties seruus venit, non cum peculio distrahitur. & ideo siue non sit exceptum, siue exceptum sit: nõ cũ peculio distractus videtur. vnde si qua res fuerit peculiaris à seruo subrepta: condici potest, videlicet quasi furtiua. hoc ita, si res ad emptorem peruenerit.

XXX. IDEM lib. XXXII. ad edictum.

SEd ad exhibendum agi posse, nihilominus & ex vendito puto.

XXXI. POMPONIVS lib. XXII. ad Sabinum.

SEd & si quid postea accessit peculio, reddendum est venditori: veluti partus, & quod ex operis vicarij perceptum est.

Qui vẽdit rẽ, videtur vẽdere solũmodo ius, quod habet in re. Bal.

XXXII. VLPIANVS lib. XIII. ad Sabinum.

Qui

QVi tabernas argentarias, vel cætera, quæ in ſolo publico ſunt, vẽdidit: non ſolum, ſed ius vendidit: cùm iſtæ tabernæ publicæ ſunt, quarum vſus ad priuatos pertinet. D

Verba quæ poſſunt intelligi actiuè & paßiuè, in præiudiciũ venditoris intelliguntur actiuè. vnde hic intelliguntur de ſtillicidiis dominantibus, non ſeruientibus. Baldus.

XXXIII. POMPONIVS *lib.* XXXIII. *ad Sabinum.*

CVm in lege vẽditionis ita ſit ſcriptum: FLVMINA, STILLICIDIA VTI NVNC SVNT, VT ITA SINT: nec adiicitur, quæ flumina, vel ſtillicidia: primum ſpectari oportet, quid actum ſit. ſi id non adpareat: tunc id accipitur, quod venditori nocet. ambigua enim oratio eſt. E

Diſſenſus circa acceſſoria contractum non vitiat, & in dubio ſit interpretatio contra creditorem. Bartolus & Baldus.

XXXIIII. PAVLVS *lib.* VI. *ad edictum.*

SI in emptione fundi dictum ſit, accedere Stichum ſeruum: neque intelligatur, quis ex pluribus acceſſerit, cũ de alio emptor, de alio venditor ſenſerit: nihilominus fundi venditionem valere conſtat. Sed Labeo ait, eũ Stichum deberi, quem venditor intellexerit. nec refert, quãti ſit acceſſio: ſiue plus in ea ſit, qmàm in ipſa re, cui accedit: an minus. pleraſque enim res aliquando propter acceſſiones emimus: ſicuti cùm domus propter marmora, & ſtatuas, & tabulas pictas emitur. F

Omnia quæ poſſunt haberi & poßideri, poſſunt vendi: ſecus ſi nõ poſſunt haberi & poßideri. Baldus.

Omnium rerũ, quas quis habere, vel poſſidere, vel perſequi poteſt: venditio rectè fit. quas verò natura, vel gentium ius, vel mores ciuitatis commercio exemerunt: earum nulla venditio eſt. Liberum hominem† ſcientes emere non poſſumus. ſed nec talis emptio, aut ſtipulatio admittenda eſt, CVM SERVVS ERIT: quãuis dixerimus, futuras res emi poſſe. nec enim fas eſt eiuſmodi caſus exſpectare. Item ſi & emptor & venditor ſcit furtiuum eſſe, quod venit: à neutra parte obligatio contrahitur. ſi emptor ſolus ſcit: non obligabitur venditor. nec enim ex vendito quidquam conſequitur, niſi vltro, quod conuenerit, præſtet.

†Idẽ prohibitũ. 24. ca. Deute.

præstet. quod si venditor scit, emptor ignorauit: vtrinque
A obligatio contrahitur. & ita Pomponius quoque scribit.
Rei suæ emptio tunc valet, cùm ab initio id agitur, vt possessionem emat, quam fortè venditor habuit: vt in iudicio possessionis potior esset. Alia caussa degustandi est, alia metiendi. gustus enim ad hoc proficit, vt improbare liceat. mensura verò non eò proficit, vt aut plus, aut minus veneat: sed vt adpareat, quantum ematur.

Si fiat venditio plurium rerum alternatiuè, erit in potestate venditoris, quæ res sit vendita: & si duæ res vendantur alternatiuè, prima perempta, altera remanet in venditione. Bal.

Si emptio ita facta fuerit, ESTO MIHI EMPTVS STICHVS AVT PAMPHILVS: in potestate est
B venditoris, quem velit dare: sicut in stipulationibus. Sed vno mortuo, qui superest, dandus est. & ideo prioris periculum ad venditorem, posterioris ad emptorem respicit. Sed & si pariter decesserint, preciũ debebitur. vnus enim vtique periculo emptoris vixit. Idem dicendum est, etiam si emptoris fuit arbitrium, quem vellet habere: si modò hoc solum arbitrio eius commissum sit, vt qué voluisset, emptor haberet: non etiam illud, an emptum haberet.

Tutor rem pupilli emere non potest. idemque porrigédũ est ad similia: id est, ad curatores, procuratores, & qui negocia aliena gerunt.

XXXV. CAIVS *lib. x. ad edictum prouinciale.*

C QVod sæpe arræ nomine pro emptione datur: non eò pertinet, quasi sine arra cõuentio nihil proficiat: sed vt euidentius probari possit, conuenisse de precio. Illud constat: imperfectum esse negocium, cũ emere volenti sic venditor dicit, QVANTI VELIS, QVANTI AEQVVM PVTAVERIS, HABEBIS EMPTVM. Veneni mali quidam putãt emptionem non contrahi: quia nec societas, aut mandatum flagitiosæ rei vllas vires habeat. quæ sententia potest sanè vera videri de his, quæ nullo modo adiectione alterius materiæ, vsui nobis esse possunt. de his verò, quæ mista aliis materiis adeo nocendi naturam deponunt, vt ex his antidoti, & alia quædam salubria medicamenta conficiantur: aliud dici potest. Si quis amico peregre eunti mandauerit, vt

fugitiuum seruum quærat, & si inuenerit, vendat: nec ipse contra senatusconsultum commisit, quia nõ vendidit: neque amicus eius, quia præsentem vendidit. emptor quoq;, qui præsentem emit, rectè negocium gerere intelligitur. D

Venditor tenetur præstare custodiam in re vendita: & si sine culpa sua perdatur, non tenetur, nisi vt actionem cedat: quam si cedere non potest, sine culpa tenetur. Bar.

Si res vendita per furtum perierit: prius animaduertendum erit, quid inter eos de custodia rei conuenit. si nihil apparet conuenisse: talis custodia desideranda est à venditore, qualẽ bonus paterfamilias suis rebus adhibet. quã si præstitit, & tamen rem perdidit: securus esse debet, tantùm vt vindicationem rei & condictionem exhibeat emptori. vnde videbimus in personam eius, qui alienam rem vendiderit, cùm is nullam vindicationem aut condictionẽ habere possit. certè ob id ipsum damnandus est: quia si suam rem vendidisset, potuisset eas actiones ad emptorem transferre. E

In iis quæ venduntur vt species, periculum est emptoris incontinenti: in iis quæ venduntur vt pondus, numerus, vel mensura: est periculum emptoris cum distinctione quæ hic habetur. Bart.

In his, quæ pondere, numero, mensura constant (veluti frumento, vino, oleo, argento) modò ea seruantur, quæ in cæteris: vt simul atque de precio cõuenerit, videatur perfecta venditio. modò vt etiam si de precio conuenerit: nõ tamen aliter videatur perfecta venditio, quàm admẽsa, adpensa, adnumerata sint. nam si omne vinum, vel oleum, vel frumentum, vel argentum (quantumcũque esset) vno *precio venierit: idem iuris est, quod in cæteris rebus. quod si venierit vinum ita, vt in singulas amphoras: item oleum, vt in singulas metretas: item frumẽtum, vt in singulos modios: item argentum, vt in singulas libras certum precium diceretur: quæritur, quando videatur emptio perfici? quod similiter scilicet quæritur & de his, quæ numero constant. Si pro numero corporum precium fuerit statutum: Sabinus & Cassius tunc perfici emptionem existimant, cũ adnumerata, admensa, adpensa sint: quia venditio quasi sub hac conditione videtur fieri, vt in singulas metretas, aut in singulos modios, quos quasúe admẽsus eris: aut in singulas li- F

*hac venditio dicĩ facta auersione, An. Aug. & Lel.

las libras, quas adpenderis: aut in singula corpora, quę adnumeraueris. ergo & si grex venierit, siquidem vniuersaliter
A vno precio: perfecta videtur, postquam de precio cōuenerit. si verò singula corpora certo precio: eadem erunt, quę proximè tractauimus. Sed & si ex doliario pars vini venierit (veluti metretæ centum) verissimum est, (quod & constare videtur) antè quàm admetiatur, omne periculum ad venditorem pertinere. nec interest, vtrum omnium centum metretarum semel dictum sit, an in singulas metretas. Si * quis in vendendo prædio confinem cælauerit, quem emptor si audisset, empturus non esset: teneri venditorem dicimus.

** Huc pertinet quod Themistocles prædiũ vendẽs præclamari iussit bonũ vicinũ habere Plutarch in Apophthegma.*

XXXVI. VLPIANVS *lib.* XLIII. *ad edictum.*

B Cvm in venditione quis precium rei ponit, donationis caussa non exacturus: non videtur vendere.

XXXVII. IDEM *lib.* V. *Disputationum.*

SI quis fundum iure hæreditario sibi delatum ita vendidisset, ERIT TIBI EMPTVS, QVANTI A TESTATORE EMPTVS EST: mox inueniatur non emptus, sed donatus testatori: videtur quasi sine precio facta venditio. Ideoque similis erit sub conditione factæ venditioni: quæ nulla est, si conditio defecerit.

Valet donatio commista venditioni, licet ei incidat donatio, nisi inter prohibitos. Bar.

XXXVIII. IDEM *lib.* VII. *Disputationum.*

C SI quis donationis caussa minoris vendat: venditio valet. toties enim dicimus in totum venditionem non valere: quoties vniuersa vẽditio donationis caussa facta est. quoties verò viliore precio res donationis caussa distrahitur: dubium non est, venditionem valere. hoc inter cæteros. inter virum verò & vxorem donationis caussa venditio facta precio viliore, nullius momenti est.

Emptio rei suæ non valet, etiam si ematur à creditore cui obligata est. Bal.

XXXIX. IVLIANVS *lib.* XIII. *Digestorum.*

SI debitor rem pignoratam à creditore redemerit: quasi suæ rei emptor actione ex vendito non tenetur, & omnia integra sunt creditori. Verisimile est eum, qui fructũ oliuæ pendentis vendidit, & stipulatus est, DECEM

Nn ij PONDO

PONDO OLEI, QVOD NATVM EST? preciũ conſtituiſſe ex eo, quod natum eſſet vſque ad decem pondo olei. idcirco ſolis quinque collectis : non amplius emptor petere poteſt, quàm quinque pondo olei, quæ collecta eſſent. & hoc à pleriſque reſponſum eſt. D

Renunciatio facta poſt terminum conuentionalem, nullius eſt momenti. Item per vniuerſalem renũciationem ſatisfit termino, ſi aliud non eſt actum expreſſe. Bar.

XL. PAVLVS *lib.* IIII. ἐπιτομῶν *Alfeni Digeſtorum.*

QVi fundum vendebat, in lege ita dixerat : vt emptor in diebus triginta proximis fundum metiretur, & de modo renunciaret: & ſi ante eam diem non renũciaſſet, vt venditoris fides ſoluta eſſet. emptor intra diem menſuræ, quo minorem modum eſſe credidit, renunciauit, E & pecuniam pro eo accepit. poſtea eum fundum vendidit: & cùm ipſe emptori ſuo admetiretur, multò minorem agri modum, quàm putauerat, inuenit. quærebatur, an id, quod minoris eſſet, conſequi à ſuo venditore poſſet? Reſpondit. intereſſe, quemadmodum lex diceretur. nam ſi ita dictum eſſet, VT EMPTOR IN DIEBVS TRIGINTA PROXIMIS FVNDVM METIATVR, ET DOMINO RENVNCIET INTRA ID TEMPVS, QVANTO MODVS AGRI MINOR SIT: quod poſt triceſimum diem renunciaſſet, nihil eſſe ei profuturum. ſed ſi ita pactum eſſet: vt emptor in diebus proximis fundum metiatur, & de modo agri renunciet: & ſi in diebus triginta renunciaſſet, minorẽ F modum agri eſſe: quãuis multis pòſt annis, poſſe eum, quò minoris modus agri fuiſſet, repetere. In lege fundi aquã acceſſuram dixit. quærebatur, an etiam iter aquæ acceſſiſſet? & reſpondit, ſibi videri id actũ eſſe. & ideo iter quoque venditorem tradere oportere. Qui agrum vendebat, dixit fundi iugera decem & octo eſſe: & quod eius admenſum eſſet, ad ſingula iugera certum precium ſtipulatus fuerat. viginti inuenta ſunt. pro viginti deberi pecuniam, reſpondit. Fundi venditor frumenta manu ſata receperat. in eo fundo ex ſtipula ſeges erat enata. quæſitum eſt, an pacto cõtineretur? reſpondit, maximè referre, quid actum eſſet. cæterùm ſecundum verba eſſe actum, quod ex ſtipula na-

la nasceretur: non magis, quàm si quid ex eo, quod de sacco saccarij, aut quod auibus ex ore cecidisset, natum esset.

A Cùm fundum quis vendiderat, & omnem fructum receperat: & arundinem cæduam, & syluam in fructu esse respondit. Dolia, quæ in fundo domini essent, accessura dixit. etiam ea, quæ seruus, qui fundum coluerat, emisset: peculiaria emptori accessura respondit. Rota quoque, per quam aqua traheretur, nihilominus ædificij est, quàm situla.

Modus adiectus contractui, contractum non suspendit: & actione ex eo contractu quis modũ implere cogitur. secus in conditione. Bar.

XLI. IVLIANVS *lib.* III. *ad* Vrseium Ferocem.

CVm ab eo, qui fundum alij obligatum habebat, quidã sic emptũ rogasset: VT ESSET IS SIBI EMPTVS, SI EVM LIBERARET, DVMMODO ANTE KALENDAS IVLIAS LIBERARET.

B quæsitum est, an vtiliter agere posset ex empto in hoc, vt venditor eum liberaret? respondit, videamus, quid inter ementem & vendentem actum sit. nam si id actum est, vt omni modò intra kalendas Iulias venditor fundum liberaret: ex empto erit actio, vt liberet, nec sub conditione emptio facta intelligetur: veluti & si emptor hoc modo interrogauerit, ERIT MIHI FVNDVS EMPTVS, ITA VT EVM INTRA KALENDAS IVLIAS LIBERES: vel ita, VT EVM INTRA KALENDAS IVLIAS À TITIO REDIMAS. si verò

C sub conditione facta est emptio: non poterit agi, vt conditio impleatur. Massam argento coopertam mihi ignoranti pro solido vendidisti imprudens. nulla est emptio: & pecunia, quæ eo nomine data est, condicetur.

XLII. MARTIANVS *lib.* I. *Institutionum.*

DOmini neque per se, neque per procuratores suos possunt saltem criminosos seruos vendere, vt cum bestiis pugnent: & ita diui fratres rescripserunt.

Commendatio generalis non obligat commendantem, & promissio generalis non refertur ad id quod emptor sciebat. Bar. *&* Bal.

XLIII. FLORENTINVS *lib.* VIII. *Institutionũ.*

EA, quæ commendandi caussa in venditionibus dicuntur, si palam esse appareant: venditorem non obligant.

veluti si dicat seruum speciosum, domum bene ædificatā-at si dixerit hominem literatum, vel artificē: præstare debet. nam hoc ipso pluris vendidit. Quædam etiam pollicitationes venditorem non obligant, si ita in promptu res sit, vt eam emptor non ignorauerit: veluti si quis hominē luminibus effossis emat, & de sanitate stipuletur. nā de cætera parte corporis potius stipulatus videtur, quàm de eo, in quo se ipse decipiebat. Dolū malum à se abesse præstare venditor debet, qui non tantùm in eo est, qui aliquid fallendi caussa obscurè loquitur: sed etiam, qui insidiosè obscurè dissimulat*. D

*Hunc locum latè explicat Cic. lib. 3. Offici.

XLIIII. MARTIANVS lib. III. Regularum.

SI duos quis seruos emerit pariter vno precio, quorum alter ante traditionem mortuus est: neque in viuo constat emptio. E

XLV. IDEM lib. III. Regularum.

LAbeo libris Posteriorū scribit. si interpola quis pro nouis emerit: Trebatio placere, ita emptori præstandum quod interest, si ignorans interpola emerit. quam sententiam & Pomponius probat, in qua & Iulianus est, qui ait. si quidem ignorabat venditor: ipsius rei nomine teneri. si sciebat: etiam damni, quod ex eo contingit: quemadmodum & si quis aurichalcum pro auro vēdidit ignorās: tenetur, vt aurum, quod vendidit, præstet.

Officialis in loco vbi administrationem gerit, contractus per se, vel per alium facere non potest Bar. F

XLVI. IDEM. lib. singulari de delatoribus.

NOn licet ex officio, quod administrat quis, emere quid vel per se, vel per aliā personam. alioquin non tantū rem amittit: sed & in quadruplum conuenitur secundum constitutionem Seueri & Antonini Impp. & hoc ad procuratorem quoque Cæsaris pertinet. sed hoc ita se habet: nisi specialiter quibusdam hoc concessum sit.

Iura realia accedunt rei sine aliqua expressione. Bal.

XLVII. VLPIANVS lib. XXVIII. ad Sabinum.

SI aquæductus debeatur prædio: ius aquæductus transit in emptorem, etiam si nihil dictum sit: sicut & ipsæ fistulæ, per quas aqua ducitur,

XLVIII. PAVLVS lib. V. ad Sabinum.

Licet

Licet extra ædes sint.

A XLIX. VLPIANVS lib. XXVIII. ad Sabinum.

ET quanquã ius aquæ non sequatur, quod amissum est: attamen fistulæ & canales dum sequuntur, quasi pars ædium ad emptorem perueniunt. & ita Pomponius libro decimo putat.

Conditio habetur pro impleta, quantum ad illum contrahentem per quem stat. Bartolus.

L. IDEM lib. XVII. ad edictum.

LAbeo scribit. si mihi bibliothecam ita vendideris, si decuriones Campani locum mihi vẽdidissent, in quo eam ponerem: & per me stet, quò minus id à Campanis impetrem: non esse dubitandum, quin præscriptis verbis agi B possit. ego etiam ex vendito agi posse puto, quasi impleta conditione: cùm per emptorem stet, quò minus impleatur.

Circunstantiæ agri, quæ non sunt iuris priuati, nec cedunt emptori, non computantur in modum agri. Iaco. But.

LI. PAVLVS lib. XXVIII. ad edictum.

LIttora, quæ fundo vendito coniuncta sunt, in modum agri non cõputantur: quia nullius sunt, & iure gẽtium omnibus vacant. sed nec viæ publicæ, aut loca religiosa, vel sacra. itaq; vt proficiant vẽditori: caueri solet, vti viæ, item littora, & loca publica in modum cedant.

Quis non potest vendere ædificia domorum caussa discooperiendi, vel demoliendi. Bal.

C LII. IDEM lib. LIIII. ad edictum.

SEnatus censuit, ne quis domum villámve dirueret, quò plus sibi adquireretur, néue quis negociandi caussa eorum quid emeret venderétve: pœna in eum, qui aduersus senatusconsultum fecisset, constituta, vt duplum eius quãti emisset, in ærarium inferre cogeretur: in eum verò, qui vendidisset, vt irrita fieret venditio. planè si mihi precium solueris, cùm tu duplum ærario debeas: repetes à me, quod à mea parte irrita facta est venditio. nec solùm huic senatusconsulto locus erit, si quis suam villam vel domũ, sed & si alienam vendiderit.

Ad hoc vt dominiũ transeat in emptorẽ: paria sunt precium esse solutũ, vel fideiussorem datũ, vel esse aliter satisfactum. Bal.

LIII. CAIVS *lib.* XXVIII. *ad edictũ prouinciale.*

VT res emptoris fiat, nihil intereſt, vtrum ſolutum ſit precium, an eo nomine fideiuſſor datus ſit. quod autem de fideiuſſore diximus, plenius acceptum eſt: vt quacunque ratione venditori de precio ſatisfactum eſt (veluti ex promiſſore, aut pignore dato) perinde ſit, ac ſi precium ſolutum eſſet. D

LIIII. VLPIANVS *lib.* I. *ad edictũ ædiliũ curuliũ.*

†In hunc locũ Alex. ab Alexã. lib.6. Genialium dierũ.c.1.

REs† bona fide vendita, propter minimam cauſſam inempta fieri non debet.

LV. IDEM *lib.* II. *ad edictum ædiliũ curulium.*

NVda & imaginaria venditio pro non facta eſt. & ideo nec alienatio eius rei intelligitur.

Pactum manus iniectionis proſequitur rem penes quemcunque poſſeſſorem. Bartolus. E

LVI. IDEM *lib.* LX. *ad edictum.*

SI quis ſub hoc pacto vẽdiderit ancillam, ne proſtitueretur: & ſi contrà factum eſſet, vt liceret ei abducere: & ſi per plures emptores mancipium decurrit: ei, qui primò vendidit, abducendi poteſtas eſt.

Si res quæ venditur, non ſubeſt, non valet venditio: ſed ſi ſubeſt, pro parte valet: & per officium iudicis precium minuitur, & intereſſe præſtabitur. Bartolus.

LVII. PAVLVS *lib.* V. *ad Plautium.*

DOmum emi, cùm eam & ego, & venditor combuſtam ignoraremus. Nerua, Sabinus, Caſſius, nihil veniſſe, quamuis area maneat: pecuniamq́ue ſolutam condici poſſe, aiunt. ſed ſi pars domus maneret: Neratius ait, in hac quæſtione multum intereſſe, quanta pars domus incẽdio conſumptæ permaneat. vt ſiquidem amplior domus pars exuſta ſit: non tantùm compellatur emptor perficere emptionem: ſed etiam quod fortè ſolutum eſt, ab eo repetat. Sin verò vel dimidia pars, vel minor, quàm dimidia, exuſta fuerit: tunc coartandus eſt emptor venditionem adimplere, æſtimatiõe boni viri arbitratu habita: vt quod ex precio propter incendium decreſcere fuerit inuentum, ab huius præſtatione liberetur. Sin autẽ venditor quidem ſciebat domum eſſe exuſtam, emptor autem ignorabat: nullam venditionem ſtare, ſi tota domus ante venditionẽ exuſta ſit. F

sta sit. Sin verò quantacumque pars ædificij remaneat: &
A stare venditionem, & venditorem emptori, quod interest, restituere. simili quoque modo ex diuerso tractari oportet, vbi emptor quidem sciebat, vẽditor autem ignorabat. & hic enim oportet & vẽditionem stare, & omne precium ab emptore venditori, si non depensum est, solui: vel si solutum sit, non repeti. quòd si vterque sciebat & venditor & emptor, domum esse totam exustam, vel ex parte: nihil actum fuisse, dolo inter vtrãque partem compensando: & iudicio, quod ex bona fide descẽdit, dolo ex vtraque parte veniente, venditionem stare non concedente.

LVIII. PAPINIANVS *lib.* X. *Quæstionum.*

B Arboribus quoque vento deiectis, vel igne absumptis, dictum est, emptionem fundi non videri esse cõtractam: si contemplatione illarum arborum (veluti oliueti) fundus comparabatur: siue sciente, siue ignorante venditore. siue autem emptor sciebat, vel ignorabat, vel vterque eorum: hæc obtinent, quæ in superioribus casibus de ædibus dicta sunt.

LIX. CELSVS *lib.* VIII. *Digestorum.*

Cu'm vẽderes fundũ, non dixisti ITA VT OPTIMVS MAXIMVSQVE EST. verum est, quod Quinto Mutio placebat: nõ liberũ, sed qualis esset, fundũ præstari oportere. idem & in vrbanis prædiis dicendũ est.

In generali sermone est electio venditoris. Vel sic. Quando certi-
C *tudo est habenda per viam electionis, est electio debitoris.* Bal.

LX. MARCELLVS *lib.* V. *Digestorum.*

Comprehensum erat in lege venditionis, dolia sexaginta emptori accessura. cùm essent centũ in venditoris fortè potestate, responsum est. daturũ, quæ vellet.

LXI. IDEM *lib.* VI. *Digestorum.*

Existimo posse me id, quod meum est, sub conditione emere: quia fortè speratur meum esse desinere.

LXII. MODESTINVS *lib.* V. *Responsorum.*

Qui officij†caussa in prouincia agit, vel militat: prædia comparare in eadem prouincia non potest, præterquam si paterna eius à fisco distrahantur.

Qui nesciens loca sacra, vel religiosa, vel publica pro priuatis comparauit: licet emptio nõ teneat, ex empto tamen

†Hoc responsũ elegãter explicat Cic. act. sexta in Verrẽ circa principium.

men aduerſus venditorē experietur: vt conſequatur, quod interfuit eius, ne deciperetur. Res in auerſione empta, D ſi non dolo venditoris factum ſit, ad periculum emptoris pertinebit: etiam ſi res adſignata non ſit.

LXIII. IABOLENVS *lib.* VII. *ex Caßio.*

CVm ſeruo dominus rem vendere certæ perſonæ iuſſerit: ſi alij vendiderit, quàm cui iuſſus erat: vēditio non valet. Idem iuris & in libera perſona eſt: cùm perfici vēditio non potuit in eius perſona, cui dominus venire eam noluit. Demonſtratione fundi facta, fines nominari ſuperuacuum eſt. ſi nominentur: etiam ipſum venditorem nominare oportet, ſi fortè alium agrum confinē poſſidet.

In contractu inter viuos eſt locus iuri adcreſcendi, quando promiſſoris hoc intereſt. Bar. & Bal. E

LXIIII. IDEM. *lib.* XI. ἐπιςολῶν.

FVndus ille eſt mihi & Titio emptus. quæro, vtrum in partem, an in totum venditio conſiſtat, an nihil actum ſit? reſpondit. perſonam Titij ſuperuacuò accipiendam, ideoq́ue totius fundi emptionem ad me pertinere.

LXV. IDEM. *lib.* XI. ἐπιςολῶν.

COnuenit mihi tecum, vt certum numerū tegularum mihi dares certo precio. quod vt faceres: vtrum emptio eſt, an locatio? Reſpondi. ſi ex meo fundo tegulas tibi factas vt darem, conuenit: emptionem puto eſſe, nō conductionem. toties enim conductio alicuius rei eſt, quoties materia, in qua aliquid præſtatur, in eodem ſtatu eiuſdem F manet. quoties verò & mutatur, & alienatur: emptio magis, quàm locatio intelligi debet.

LXVI. POMPONIVS *lib.* XXXI. *ad Qu. Mutiū.*

IN vendendo fundo quædam, etiam ſi non condicantur, præſtanda ſunt: veluti ne fundus euincatur, aut vſusfructus eius. quædam ita demū, ſi dicta ſint: veluti viam, iter, actum, aquæductum præſtaturi. Idem & in ſeruitutibus vrbanorum prædiorum. Si cùm ſeruitus venditis prædiis deberetur, nec commemorauerit venditor, ſed ſciens eſſe reticuerit: & ob id per ignorantiam rei, emptor non vtēdo per ſtatutum tempus, eam ſeruitutem amiſerit: quidam rectè putant, venditorem teneri ex empto ob dolū.

Quintus Mutius ſcripſit. ruta cæſa ædium fundíve non ſunt,

ſunt, niſi id ſcriptum eſt. nam ruta cæſa ea ſunt, quæ neque
A ædium, neque fundi ſunt.

Res tranſit cum ſua cauſſa. Baldus.

LXVII. IDEM *lib.* XXX. *ad Quint. Mutium.*

Alienatio cùm fit, cum ſua cauſſa dominium ad alium transferimus, quæ eſſet futura, ſi apud nos ea res manſiſſet. idque toto iure ciuili ita ſe habet, præterquam ſi aliquid nominatim ſit conſtitutum.

Si venditor promiſit emptori exigere mercedem rei venditæ à cõductore, debet in exigendo diligentiam præſtare. Item in venditione ſolent adiici verba quod dolus malus abſit à venditore. Bal.

LXVIII. PROCVLVS *lib.* VI. ἐπιϛολῶν.

B Si cùm fundum venderes, in lege dixiſſes, quod mercedis nomine à conductore exegiſſes, id emptori acceſſurum eſſe: exiſtimo te in exigendo non ſolùm bonam fidem, ſed etiam diligentiam præſtare debere: id eſt, non ſolùm, vt à te dolus malus abſit, ſed etiam vt culpa. Ferè aliqui ſolent hæc verba adiicere, DOLVS MALVS À VENDITORE ABERIT. qui tamen, & ſi adiectum non eſt, abeſſe debet. Nec videtur abeſſe, ſi per eum factum eſt, aut fiet, quò minus fundum emptor poſſideat. erit ergo ex empto actio, non vt venditor vacuam poſſeſſionem tradat: cum multis modis accidere poteſt, ne tradere poſſit: ſed vt ſi quid dolo malo fecit, aut facit, dolus malus eius æſtimetur.

C *Verba contractus referuntur ad tempus contractus. Item lacus ius non habet: ſecus in flumine. Bartolus.*

LXIX. IDEM *lib.* VII. ἐπιϛολῶν.

Rutilia Palla emit lacum Sabatianẽſem anguillarium, & circa eum lacum pedes decem. quæro, nũquid decem pedes qui tunc acceſſerunt, ſub aqua ſint, quia lacus creuit: an proximi decem pedes ab aqua Rutiliæ Pallæ iuris ſint? Proculus reſpondi. ego exiſtimo eatenus lacum, quem emit Rutilia Palla veniſſe, quatenus tunc fuit: & circa eum decem pedes, qui tunc fuerunt. nec ob eam rem, quod lacus poſtea creuit, latius eum poſſidere debere, quàm emit.

LXX. LICINIVS RVFINVS *lib.* VIII. *Regularum.*

Liberi

LIberi hoïs emptioné contrahi poſſe plerique exiſtimauerunt: ſi modò inter ignorantes id fiat. quod idem placet, etiam ſi vēditor ſciat, emptor autem ignoret. quod ſi emptor ſciens liberum eſſe, emerit: nulla emptio contrahitur. D

Quibus menſuris menſuretur, eſt in arbitrio contrahentium. Bar.

LXXI. PAPYRIVS IVSTVS *lib.* I. *Conſtitutionum.*

IMperatores Antoninus & Verus Auguſti Sexto Vero in hæc verba reſcripſerunt. quibus mēſuris aut preciis negociatores vina compararent, in contrahentium poteſtate eſt. neque enim quiſquam cogitur vendere, ſi aut precium, aut menſura ei diſpliceat: præſertim ſi nihil contra conſuetudinem regionis fiat.

Pacta ſuper accidentalibus vel naturalibus contractibus ex interuallo adpoſita, ad exceptionem tantùm proſunt. Si adponantur ſuper ſubſtantialibus, ad actionem proſunt. Bartolus & Baldus. E

LXXII. PAPINIANVS *lib.* X. *Quæſtionum.*

PActa conuenta, quæ poſtea facta detrahunt aliquid emptioni, contineri contractu videntur. quæ verò adiiciunt: credimus non ineſſe. quod locū habet in his, quæ adminicula ſunt emptionis: veluti ne cautio duplæ præſtetur, aut vt cum fideiuſſore cautio duplæ præſtetur. ſed quo caſu agente emptore non valet pactum: eodem vires habebit iure exceptionis agente venditore. An idem dici poſſit, aucto poſtea, vel deminuto precio, non immeritò quæſitum eſt: quoniam emptionis ſubſtantia conſiſtit ex precio? PAVLVS NOTAT. ſi omnibus integris manentibus de augēdo vel deminuendo precio rurſum cōuenit: receſſum à priore contractu, & nouam emptionem interceſſiſſe videri. PAPINIANVS. lege venditionis ita facta, SI QVID SACRI, AVT RELIGIOSI, AVT PVBLICI EST, EIVS NIHIL VENIT: ſi res non in vſu publico, ſed in patrimonio fiſci erit: venditio eius valebit, nec venditori proderit exceptio, quæ non habuit locum. F

LXXIII. IDEM *lib.* III. *Reſponſorum.*

AEde ſacra terræ motu diruta, locus ædificij non eſt profanus: & ideo venire non poteſt. Intra maceriam ſepulchrorum hortis, vel cæteris culturis loca pura ſeruata

uata, si nihil venditor nominatim exceperit, ad emptorem pertinent.

A *Clauibus traditis videtur tradi possessio eorum, quæ sunt sub clauibus. Item quo casu facta traditione à domino transfertur dominium, eodem casu traditione facta à non domino, transfertur conditio vsucapiendi. de hoc plenè in l. Pomponius. §. Si iussu. infrà de adquirenda possessione. Bartolus.*

LXXIIII. IDEM *lib.* I. *Definitionum.*

CLauibus traditis, ita mercium in horreis reconditarum possessio tradita videtur, si claues apud horrea traditæ sunt. quo facto, confestim emptor dominiũ & possessionem adipiscitur, etsi non aperuerit horrea. quòd si venditoris merces non fuerint: confestim inchoabitur vsucapio. . .

B *Actio ex vendito datur etiam ad id quod deuenit in pacto incontinenti adposito. Baldus.*

LXXV. HERMOGENIANVS *lib.* II. *iuris* ἐπιτομῶν.

QVi fundum vendidit, vt eum certa mercede conductum ipse habeat: vel si vendat, vt non alij, sed sibi distrahat: vel simile aliquid paciscatur: ad complendum, quod pepigerunt, ex vendito agere poterit.

LXXVI. PAVLVS *lib.* VI. *Responsorum.*

DOlia in horreis defossa, si non sint nominatim in venditione excepta, horreorum vẽditioni cessisse videri. Eum, qui in locum emptoris successit, iisdem defensionibus vti posse, quibus venditor vti potuisset: sed & lõgæ possessionis præscriptione, si vtriusque possessio impleat tempora constitutionibus statuta.

C

LXXVII. IABOLENVS *lib.* IIII. *ex posterioribus Labeonis.*

IN lege fundi vendundi lapidicinæ in eo fundo, vbiq; * essent, exceptæ erant. post multum temporis in eo fundo repertæ erant lapidicinæ. eas quoque venditoris esse Tubero respondit. Labeo. referre, quid actũ sit. si non adpareat: non videri eas lapidicinas esse exceptas. neminem enim nec vendere, nec excipere, quod non sit. & lapidicinas nullas esse, nisi quæ adpareãt, & cædantur. aliter interpretantibus totum fundum lapidicinarum fore: si fortè in toto eo sub terra esset lapis. & hoc probo.

**i. vbicunque veteri loquendi forma.*

LXXVIII.

LXXVIII. LABEO *lib.* IIII. *Posteriorum à Iaboleno epitomatorum.* D

FIstulas emptori accessuras in lege dictum erat. quærebatur, an castellum ex quo fistulis aqua duceretur, accederet? respondit, apparere id actum esse, vt id quoque accederet, licet scriptura non contineretur. Fundum ab eo emisti, cuius filij postea tutelam administras, nec accepisti vacuam possessionem. dixit, te tradere tibi possessionem hoc modo posse: vt pupillus & familia eius decedat de fundo: tunc demum tu ingrediaris in possessionem.

Qui fundum ea lege emerat, vt soluta pecunia traderetur ei possessio: duobus hęredibus relictis, decessit. si vnus omnem pecuniam soluerit: partem familiæ erciscundæ iudicio seruabit. nec si partem soluat, ex empto cum venditore aget: quoniam ita contractum æs alienum diuidi non potuit. Frumenta, quæ in herbis erant, cùm vẽdidisses: dixisti te, si quid vi aut tempestate factum esset, præstaturum. ea frumenta niues corruperunt. si immoderatæ fuerunt, & contra consuetudinem tempestatis: agi tecum ex empto poterit. E

Pactum est loco precii. Baldus.

LXXIX. IABOLENVS *lib.* V. *ex posterioribus Labeonis.*

FVndi partem dimidiam ea lege vendidisti, vt emptor alteram partem, quam retinebas, annis decem certa pecunia in annos singulos conductam habeat. Labeo & Trebatius negant posse ex vendito agi, vt id, quod conuenerit, fiat. ego contrà puto: si modò ideo vilius fundum vendidisti, vt hæc tibi conductio præstaretur. nam hoc ipsum precium fundi videtur, quòd eo pacto venditus fuerit: eóque iure vtimur. F

LXXX. LABEO *lib.* V. *Posteriorum à Iaboleno epitomatorũ.*

CVm manu sata in venditione fundi excipiuntur: non quę in perpetuum sata sunt, excipi videntur: sed quę singulis annis seri solent, ita vt fructus eorum tollantur. nam aliter interpretantibus, vites & arbores omnes exceptæ videbuntur. Huius rei emptionem posse fieri dixi: scilicet, QVAE EX MEIS AEDIBVS IN TVAS AEDES PROIECTA SVNT, VT EA MIHI ITA HABERE LICEAT: déque ea re ex empto agi.

S ylua

Sylua cædua in quinquenniũ venierat. quærebatur, cùm glans decidisset, vtrius esset? scio Seruiũ respondisse: pri-
A mum sequendũ esse, quod appareret actum esse. quod si in obscuro esset: vt quæcunque glans ex his arboribus, quæ cæsæ non essent, cecidisset: venditoris esset. ea autem, quæ in arboribus fuisset eo tempore, cùm hæ cæderentur: emptoris. Nemo potest videri eam rem vendidisse, de cuius dominio id agitur, ne ad emptoré transeat: sed hoc aut locatio est, aut aliud genus contractus.

Pactum simile legi commissoriæ reprobatur inter creditorem & debitorem, non inter debitorem & tertium. Bartolus.

LXXXI. SCAEVOLA *lib.* VIII. *Quæstionum.*

B Titius cũ mutuos acciperet tot aureos sub vsuris, dedit pignori siue hypothecæ prædia, & fideiussorem Luciũ: cui promisit, intra triennium proximũ se eum liberaturum. quod si id non fecerit die suprà scripta, & soluerit debitum fideiussor creditori: iussit prædia empta esse, quæ creditori obligauerat: quæro, cùm nõ sit liberatus Lucius fideiussor à Titio: an si soluerit creditori, empta haberet suprà scripta prædia? respõdi. si non vt in caussam obligationis, sed vt empta habeantur, sub conditione emptio facta est: & contractam esse obligationem.

Obligatio personalis non sequitur fundi possessorem. Bartolus.

Lucius Titius promisit de fundo suo centum milia modiorũ frumenti annua præstare pro prædiis Caij Seij. postea
C Lucius Titius vendidit fundũ, additis verbis his: QVO IVRE, QVÁQVE CONDITIONE EA PRAEDIA LVCII TITII HODIE SVNT, ITA VENEVNT, ITÁQVE HABEBVNTVR. quæro, an emptor Caio Seio ad præstationem frumenti sit obnoxius? respõndi, emptorem Caio Seio secundũ ea, quæ proponerentur, obligatum non esse.

DE IN DIEM ADDICTIONE.

Titulus II.

PAVLVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

IN diem addictio ita fit. ille fundus cétũm esto tibi emptus: nisi si quis intra kalend. Ianuarias proximas melioré cõditionem fecerit, quò res à do-

à domino abeat.

II. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad Sabinum.* D

QVoties fundus in diem addicitur, vtrum pura emptio est, sed sub conditione resoluitur: an verò conditionalis est magis emptio, quęstionis est. & mihi videtur verius, interesse quid actum sit. nam si quidem hoc actum est, vt meliore allata conditione, discedatur ab emptione: erit pura emptio, quæ sub conditione resoluetur. sin autem hoc actum est, vt perficiatur emptio, nisi melior conditio adferatur: erit emptio conditionalis. vbi igitur, secundum quod distinximus, pura venditio est: Iulianus scribit, hunc, cui res in diem addicta est, & vsucapere posse, & fructus & accessiones lucrari, & periculum ad eum pertinere, si res interierit. E

III. PAVLVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

QVoniam post interitũ reĩ iam nec adferri possit melior conditio.

IIII. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad Sabinum.*

VBi autem conditionalis venditio est: negat Pomponius vsucapere eum posse, nec fructus ad eum pertinere. Item Iulianus libro decimoquinto quærit: si res in diem addicta interciderit, vel ancilla decesserit: an partus, vel fructus eius nomine adiectio admitti possit? & negat admittẽdam adiectionem: quia alterius rei, quàm eius, quæ distracta est, non solet adiectio admitti. Idem Iulianus eodem libro scribit. si ex duobus seruis viginti venditis, & in diem addictis, alter decesserit: deinde vnius nomine, qui superest, emptor exstiterit, qui supra viginti promitteret: an discedatur à priore cõtractu? & ait dissimilem esse hanc speciem partus speciei. & ideo hic discedi à priore emptione, & ad secundam perueniri. Sed & Marcellus libro quinto Digestorum scribit. purè vendito, & in diem addicto fundo, si melior conditio allata sit, rem pignori esse desinere, si emptor eum fundum pignori dedisset. ex quo colligitur, quòd emptor medio tempore dominus est. alioquin nec pignus teneret. Idem Iulianus libro quadragesimooctauo Digestorum scribit: eum, qui emit fundum in diem addictum: interdicto QVOD VI AVT CLAM vti posse. nam hoc interdictum ei competit, cuius interest, F

intereſt, opus non eſſe factum. Fundo autẽ (inquit) in diem
A addicto, & commodum, & incõmodum omne ad emptorem pertinet, ante quàm venditio transferatur. & ideo ſi quid tunc vi aut clam factum eſt (quamuis melior conditio allata fuerit) ipſe vtile interdictum habebit: ſed eam actionem, ſicut fructus (inquit) quos perceperit, venditi iudicio præſtaturus eſt. Cùm igitur tunc recedatur ab emptione, vbi purè contrahitur: vel tunc non impleatur, vbi ſub conditione ſit, cùm melior conditio ſit allata: ſi falſus emptor ſubiectus ſit, eleganter ſcribit Sabinus, priori rem eſſe emptam: quia non videatur melior cõditio allata eſſe, non exiſtente vero emptore. ſed & ſi exiſtat alius emptor, meliorẽ tamen conditionem non adferat: æquè dicendum
B erit, perinde haberi, ac ſi nõ exiſteret. Melior autem conditio adferri videtur, ſi precio ſit additum. ſed & ſi nihil precio addatur, ſolutio tamen offeratur facilior precij, vel maturior: melior conditio adferri videtur. propterea ſi locus opportunior ſoluendo precio dicatur: æquè melior conditio allata videtur. & ita Pomponius libro quinto ad Sabinum ſcribit. idem ait. & ſi perſona idoneior accedat ad emptionem, æquè videri meliorem conditionem allatam eſſe. proinde ſi quis accedat eiuſdem precij emptor, ſed qui leuioribus emat conditionibus, vel qui ſatiſdationem nullam exigat: melior conditio allata videbitur. ergo idem erit dicendum, & ſi viliore precio emere ſit paratus:
C ea tamen remittat, quæ venditori grauia erant in priore emptione.

V. POMPONIVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

QVicquid enim ad vtilitatem venditoris pertinet, pro meliore conditione haberi debet.

VI. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad Sabinum.*

ITem quod dictum eſt, fructus interea captos emptorem priorem ſequi: toties verum eſt, quoties nullus emptor exiſtit, qui meliorem conditionem adferat, vel falſus exiſtat. ſi verò extitit emptor poſterior: fructus refundere priorẽ debere conſtat venditori. & ita Iulianus libro quadrageſimooctauo Digeſtorum ſcripſit.

Si melior conditio ſit allata à tertio, venditio ſtatim reſoluitur, & fructus ad vẽditorem redeunt. ſed ſi prior emptor adhuc afferat meliorem

liorem, præfertur secūdo, & noua emptio contrahitur: nec fructus recuperat, nec est res addicenda secundo emptori, nisi certiorato priore si meliorem afferre vult. D

Si quis exstiterit, qui meliorem conditionem adferat: deinde prior emptor aduersus eum licitatus sit, & penes eum emptorem manserit: dubitari poterit, vtrum fructus ipse habeat, quasi nulla meliore conditione allata: an verò venditoris sint, licet eadem sit persona, quæ meliorem conditionem attulerit. quod ratio facere videtur. intererit tamen, quid acti sit. & ita Pomponius scribit.

VII. PAVLVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

Licet autem venditori meliore allata conditione addicere posteriori: nisi prior paratus sit plus adiicere.

VIII. IDEM. *lib.* XXXIII. *ad edictum.* E

Necesse autem habebit venditor, meliore conditione allata, priorem emptorem certiorem facere, vt quod alius addidit, ipse quoque adiicere possit.

Licet melior cōditio sit allata, nō resoluitur vēditio, si vēditor eam nō admittat, nisi in fauorē emptoris vel tertii fuerit pactū adpositū.

IX. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad Sabinum.*

Sabinus scripsit, licere venditori meliorē conditionem oblatam abiicere, & sequi primam quasi meliorē: & ita vtimur. quid tamen, si hoc erat nominatim actum, vt liceret emptori resilire, meliore conditione allata? dicendum erit, dissolutam priorem emptionem, etiam si venditor sequentem non admittat. F

X. IVLIANVS *lib.* XIII. *Digestorum.*

Sed & si proponatur à creditore pignus in diem addictum: nō potest videri bona fide negocium agi, nisi adiectio recipiatur. quid ergo si inops est emptor, & impediendæ tantummodo venditionis caussa interuenit? potest creditor sine periculo priori emptori addicere.

XI. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad Sabinum.*

Quod autem Sabinus scribit: fundum in diem addici rursus non posse, qui semel fuerit in diem addictus: ratione eiusmodi defendit. quia prioris (inquit) emptoris statim fit: scilicet quasi nō videatur melior cōditio allata, si non securè secūdo emptori fundus addicatur: sed alia licitatio p̱spicitur. sed Iulianus lib. decimotertio Digestorum

Digestorũ scripsit, interesse multũ, quid inter cõtrahentes
A actũ sit: nec impedire quidquã vel hoc agi, vt sępius collo
cetur: dũ vel prima, vel secũda, vel tertia adiectione res à
vẽditore discedat. Itẽ quod Sabinus ait: si trib⁹ venden
tib⁹ duo posteriori addixerint, vn⁹ nõ admiserit adiectio-
nẽ, huius partẽ priori emptori, duorũ posteriori emptã: ita
demum verũ est, si variis preciis partes suas distraxerunt:

XII. POMPONIVS *lib.* VIII. *ad Sabinum.*

ETsi dispares partes vendentium fuerint.

XIII. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad Sabinum.*

QVod si vno precio vẽdiderint: dicẽdũ est, totã prio-
ri emptã manere: quẽadmodũ si quis mihi totũ fun-
dũ ad diẽ addixisset, postea verò adiecto precio
B dimidiũ alij addixerit. Celsus quoq; lib. octauo Digestorũ
refert Mutiũ, Brutũ, Labeonẽ, Sabinũ ita existimasse: ipse
quoq; Celsus idẽ probat. & adiicit. mirari se à nemine ani
maduersum, si prior emptor ita cõtraxit, vt nisi totum fun
dum, emptũ nollet habere: non habere eum, ne eam quidẽ
partem emptam, quam vnus ex sociis posteriori emptori
addicere noluit. Verum est autem, vel vnum ex venditori-
bus posse meliorem adferre cõditionem. emere enim cum
tota re etiam nostram partem possumus.

Si res addicitur secundo qui plus non obtulit: prima venditio non rescinditur, & venditor vtrique remanet obligatus. sed si plus obtu lit, rescinditur, licet secundus non sit soluendo: si tamen ab emptore
C *fuit dolosè submissus venditori, contra eum succurritur.* Bartolus.

XIIII. PAVLVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

SI venditor simulauerit meliorem conditionem allatã,
cùm minoris, vel etiam tantidem alij venderet: vtriq;
emptori in solidum erit obligatus. Sed si emptor alium
non idoneum subiecit, eique fundus addictus est: non vi-
deo (inquit) quemadmodum priori sit emptus, cùm alia
venditio & vera postea subsecuta sit. Sed verum est, ven-
ditorem deceptum ex vendito actionem habere cum prio-
re emptore, quanti sua intersit, id non esse factũ. per quam
actionẽ & fructus, quos prior emptor perceperat, & quod
deterior res culpa vel dolo malo ei⁹ facta sit, recipiet ven
ditor. & ita Labeõi & Neruæ placet. sed si neuter subiecit
emptorẽ, maiore autẽ precio addictũ est prædium ei, qui

soluendo non esset: abitum est à priore emptione, quia ea melior intelligitur, quàm venditor comprobauit: cui licuit non addicere. D

Licet plus offerens non obligetur efficaciter: si tamen venditor sibi efficaciter obligatur, dicitur venditio, & per eam à prima receditur: secus si nec venditor efficaciter ei obligatur. Bartolus.

Sed & si pupillus postea sine tutoris authoritate pluris emerit, consentiente vẽditore: abibitur à priore emptione. idem & in seruo alieno. aliter atque si seruo suo vel filio, quẽ in potestate habeat, vel domino rei per errorẽ id addixerit: quia non est emptio his casibus. quòd si alieno seruo, quem putauerit liberum esse, addixerit: contra se habebit. erit enim is egenti emptori similis, qui meliorem conditionem attulerit. Præter corpus nihil sequitur, quod venierit. non tamen ideo, si tantundem precium alius det: hoc ipso, quòd fructus eum non sequuntur, qui secuturi essent priorem emptorem, melior conditio videtur allata: quia non id agitur inter emptorem & venditorem. E

Iacente hæreditate vẽditoris, non potest melior conditio afferri. B.

XV. POMPONIVS *lib.* VIII. *ad Sabinum.*

SI prędio in diem addicto, ante diem venditor mortuus sit: siue post diem hæres ei existat, siue omnino non existat: priori emptori prædium emptum est: quia melior conditio allata, quæ domino placeat, intelligi non potest, cùm is qui vendat, non existat. quòd si intra diem addictionis hæres existat: melior conditio ei adferri potest. Si fundus in diem addictus fuerit pluris, vt quædam ei accedant, quæ non accesserint priori emptori: si non minoris sint hæ res, quàm quò pluris postea fundus venierit: prior venditio valet, quasi melior conditio allata non sit. si minoris sint. Idémque existimandum est, si dies longior precij soluendi data fuerit: vt quæratur, quantum ex vsura eius temporis capi potuerit. F

Sicut fructus percepti per emptorem meliore conditione allata restituuntur venditori: ita & econuerso ipsi primo emptori debet reddi quod impendit.

XVI. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

IMperator Seuerus rescripsit. Sicut fructus in diem addictæ domus, cùm melior conditio fuerit allata, venditori

tori restitui necesse est: ita rursus, quæ prior emptor medio tempore necessariò probauerit erogata, de reditu retineri: vel si non sufficiant, solui æquum est. & credo sensisse principem de empti & venditi actione.

A

Si duæ res vendantur duplici precio sub hoc pacto, vt aliquid adiiciatur ad precium: illius venditio resoluitur ad cuius precium fuit additum: quod si non adparet, neutra. Bartolus.

XVII. IVLIANVS *lib.* XV. *Digestorum.*

CVm duo serui duobus separatim denis in diem addicti sint, & exstiterit, qui pro vtroque triginta det: refert vnius precio decem, an singulorum quina adiiciat. secundum superiorem adiectionem is seruus ineptus erit, cuius precio adiectio facta fuit: secũdum posteriorem, vterque ad posteriorem emptorem pertinebit. quod si incertum sit, an ad vtriusque preciũ addiderit: à priore emptione non videtur esse discessum.

B

Vnus ex emptoribus potest afferre meliorem conditionem: & tota emptio nouatur. Baldus.

XVIII. AFRICANVS *lib.* III. *Quæstionum.*

CVm in diem duobus sociis fundus sit addictus: vno ex his precium adiiciẽte, etiã pro ipsius parte à priore venditione discedi rectius existimatur.

XIX. IABOLENVS *lib.* II. *ex Cassio.*

FVndo in diem addicto, si postea precium adiectum sit, & venditor alio fundo adplicato, eum ipsum fundum posteriori emptori addixerit, & id sine dolo malo fecerit: priori emptori obligatus non erit. nam quãuis non id tantùm, quod in diem addictum erat, sed aliud quoque cum eo venierit: tamen si venditor dolo caret, prioris emptoris caussa absoluta est. id enim solùm intuendum est, an priori venditori bona fide facta sit adiectio.

C

Prior emptor non habet actionem contra secundum, quia personalis actio non sequitur fundum. Bartolus.

XX. PAPINIANVS *lib.* III. *Responsorum.*

PRior emptor post meliorem conditionem allatam, ob pecuniam in exordio venditori de precio solutã, contra secundum emptorem, citra delegationem iure stipulationis interpositam, agere non potest.

DE LEGE COMMISSORIA. Titulus III.

D

Quando adponitur pactum legis commiſſoriæ, venditio eſt pura: ſed reſoluitur ſub conditione: & iſtud pactum adponitur in fraudem venditoris: ideo venditor poteſt vti iſto pacto volens: inuitus autem non cogitur. Baldus.

VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

SI fundus commiſſoria lege venierit: magis eſt, vt ſub conditione reſolui emptio, quàm ſub conditione contrahi videatur.

II. POMPONIVS *lib.* VIII. *ad Sabinum.*

CVm venditor fundi in lege ita cauerit, SI AD DIEM PECVNIA SOLVTA NON ERIT, FVNDVS INEMPTVS SIT: accipi inemptum eſſe fundum, ſi venditor eum inéptum eſſe voluit: quia id venditoris cauſſa caueretur. nam ſi aliter acciperet: exuſta villa, in poteſtate emptoris futurum, vt non dando pecuniam inemptum faceret fundum, qui eius periculo fuiſſet. E

III. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

NÁm legem commiſſoriam, quæ in venditionibus adiicitur, ſi volet, venditor exercebit, non etiam inuitus.

Pactum legis commiſſoriæ non facit cõditionalem emptionem, ſed eam reſoluit. Baldus.

IIII. IDEM *lib.* XXXV. *ad edictum.*

SI fundus lege commiſſoria venierit, hoc eſt, vt niſi intra certum diem precium exſolutum ſit, inemptus fiat: videamus, quemadmodum venditor agat tam de fundo, quàm de his, quæ ex fundo percepta ſunt: itémque ſi deterior fundus effectus ſit facto emptoris. & quanquam finita eſt emptio. ſed iam deciſa quæſtio eſt, ex vẽdito actionem competere, vt reſcripto Imperatoris Antonini & diui Veri declaratur. Sed quod ait Neratius, habet rationem: vt interdum fructus lucretur, cùm precium, quod numerauit, perdidit. igitur ſententia Neratij tunc habet locum (quæ eſt humana) quando emptor aliquam partẽ precij dederit. F

Eligens inter contraria, variare non poteſt. Baldus.

Eleganter Papinianus libro tertio Reſponſorũ ſcribit.

ſtatim

ſtatim atq; cõmiſſa lex eſt, ſtatuere venditoré debere: vtrũ
A commiſſoriam velit exercere, an potius precium petere. nec poſſe, ſi commiſſoriam elegit, poſtea variare. In cõmiſſoria etiam hoc ſolet conuenire: vt ſi venditor eundem fundum venderet, quantò minoris vendiderit, id à priore emptore exigat. erit itaque aduerſus eum ex vendito actio.

Vbi non eſt adpoſitus certus terminus, non eſt neceſſaria interpellatio. Baldus.

Marcellus libro viceſimo dubitat, commiſſoria vtrum tunc locum habeat, ſi interpellatus non ſoluat: an verò ſi nõ obtulerit? & magis arbitror offerre eum debere, ſi vult ſe legis commiſſoriæ poteſtate ſoluere. quod ſi nõ habet,
B cui offerat: poſſe ſecurum eſſe.

Antequam exiſtat conditio huius pacti, emptor efficitur dominus fructuum quos percepit: ſed ipſa exiſtente, reſtituere tenetur. Bar.

V. NERATIVS *lib.* V. *Membranarum.*

Lege fundo vendito dicta, vt ſi intra certum tẽpus precium ſolutum non ſit, res inempta eſſet: de fructibus, quos interim emptor percepiſſet, hoc agi intelligendum eſt: vt emptor interim eos ſibi ſuoque iure percipiat. ſed ſi fundus reueniſſet: Ariſto exiſtimabat, venditori de his iudicium in emptorem dandum eſſe: quia nihil penes eum reſidere oporteret ex re, in qua fidem feſelliſſet.

VI. SCAEVOLA *lib.* II. *Reſponſorum.*

C De lege commiſſoria interrogatus, ita reſpondit. ſi per emptorem factum ſit, quò minus legi pareretur, & ea lege vti venditor velit: fundos inemptos fore, & id quod arræ vel alio nomine datum eſſet, apud venditorem remanſurum. Idem reſpondit. ſi ex lege inempti ſint fundi, nec id, quod acceſſurum dictum eſt, emptori deberi.

Poſt diem lege commiſſoria comprehenſum, venditor partem reliquæ pecuniæ accepit. reſpondit. ſi poſt ſtatutũ diem reliquæ pecuniæ venditor legem dictam non exercuiſſet, ſed partem reliqui debiti accepiſſet: videri receſſum à commiſſoria.

Si poſt terminum ſolutionis venditor recipiat precium, videtur renunciare legi commiſſoriæ. Bal.

VII. HERMOGENIANVS *lib.* II. *iuris* ἐπιτεμῶν.

POſt diem commiſſoriæ legi præſtitutum, ſi venditor precium petat: legi commiſſoriæ renunciatum videtur, nec variare, & ad hanc redire poteſt. D

VIII. SCAEVOLA *lib.* VII. *Digeſtorum.*

MVlier fundos Caio Seio vendidit, & acceptis arræ nomine certis pecuniis, ſtatuta ſunt tẽpora ſolutionis reliquæ pecuniæ: quibus ſi non paruiſſet, emptor pactus eſt, vt arram perderet, & inemptæ villæ eſſent. die ſtatuto emptor teſtatus eſt, ſe pecuniam omnem reliquam paratum fuiſſe exſoluere, & ſacculum cum pecuniis ſignatorum ſignis obſignaſſe, defuiſſe autem venditricem. poſteriore autem die nomine fiſci teſtatò cõuentus emptor eſt, ne antè mulieri pecuniam exſolueret, quàm fiſco ſatisfaceret. quæſitum eſt, an fundi non ſint in ea cauſſa, vt à venditrice vindicari debeant ex conuentione venditionis? reſpondit, ſecundum ea, quæ proponerentur, non commiſiſſe in legem venditionis emptorem. E

DE HAEREDITATE VEL *actione uendita.* Tit. IIII.

POMPONIVS *lib.* IX. *ad Sabinum.*

SI hæreditas venierit eius, qui viuat, aut nulli⁹ ſit: nihil eſſe acti, quia in rerum natura non ſit, quod venierit.

Venditor hæreditatis ſatisdare nõ debet: nec cauere debet de euictiõe, niſi de ſuo dato & facto tantũ. Bal. F

II. VLPIANVS *lib.* IIII. *ad Sabinum.*

VEnditor hæreditatis ſatiſdare de euictione non debet: cùm id inter ementem & vendentem agatur, vt neque amplius, neque minus iuris emptor habeat, quàm apud hæredem futurum eſſet. planè de facto ſuo venditor ſatiſdare cogendus eſt.

In venditione hæreditatis in dubio videtur venire illud, quod erat in hæreditate tempore euictionis.

In hærèditate vendita vtrum ea quãtitas ſpectatur, quæ fuit mortis tempore: an ea quæ fuit, cùm adiretur hæreditas: an ea, quę fuit, cùm hęreditas venundaretur, videndum erit. & verius eſt, hoc eſſe ſeruandum, quod actum eſt. plerũque autem hoc agi videtur, vt quod ex hæreditate peruenit

uenit in id tempus, quo venditio fit: id videatur venisse.

A Illud potest quæri. si etiam impuberi sit substitutus is, qui vendidit hæreditatem testatoris: an id etiam, quod ex impuberis hæreditate ad eum, qui vendidit hæreditatem, peruenit: ex empto actioni locum faciat? & magis est, ne veniat: quia alia hæreditas est. licet enim vnum testamentum sit: alia tamen, atque alia hæreditas est. planè si hoc actum sit: dicendum erit, etiam impuberis hæreditatem in venditioné venire: maximè si iam ei delata impuberis hæreditate, venierit hæreditas. Peruenisse ad venditorem hęreditatis quo modo videatur, quæritur? & ego puto, antè quidem, quàm corpora rerum hæreditariarum nactus venditor fuerit: hactenus peruenisse ad eum videri, quatenus mandare potest earum rerum persecutionem, actio-

B nesque tribuere. enimuero vbi corpora nactus est, vel debita exegit: plenius ad eum videri peruenisse. Sed & si rerum venditarum ante hæreditatem venditam precia fuerit consecutus: palam est, precia rerum ad eum peruenisse. Illud tenendum est: cum effectu videri peruenisse, non prima ratione: idcirco quod legatorum nomine quis præstitit, non videtur ad eum peruenisse. sed & si quid alieni æris est, vel cuius alterius oneris hæreditarij: peruenisse meritò negabitur. sed & rerum ante venditionem donatarum precia præstari, æquitatis ratio exigit. Non tantùm autem quod ad venditorem hæreditatis, sed & quod ad hæ-

C redem eius ex hæreditate peruenit, emptori restituendum est. & non solùm quod iam peruenit, sed & quod quandoque peruenerit, restituendum est. sed & si quid dolo malo eorum factum est, quò minus peruenerit ad eos: & hoc emptori præstandum est. fecisse autem dolo malo, quò minus peruenitt, videtur: siue alienauit aliquid, vel etiam acceptò quem liberauit: siue egit dolo malo, ne de hæreditate adquireretur, vel ne possessionem adipisceretur, quam posset adipisci. sed & si non dolo malo, sed lata culpa amiserit aliquid: vtique tenebitur. deperdita autem & deminuta sine dolo malo venditoris nõ præstabuntur. Illud quæsitum est. an venditor hæreditatis ob debitum à filio suo, qui in potestate eius esset, seruóue, ei, cuius hæreditatem vendidisset: præstare debeat emptori? & visum est, quid-

quid

quid dumtaxat de peculio filij seruiúe,aut in suam ré versum inueniatur,præstare eum debere. D

Venditor hæreditatis si indebitum exegit, emptori præstare non debet: & si indebitum soluit, emptori imputari non debet, nisi soluatur per sententiam. h. d. vel sic. Illicitum lucrum non venit in restitutione huius. §. Et iniuriosa sententia lata contra venditorem nocet emptori. Bal.

Solet quæri: an etiam si quid lucri occasione hæreditatis venditor senserit, emptori restituere id debeat? & est apud Iulianum quæstio hæc tractata libro sexto Digestorum. & ait: quod non debitum exegerit, retinere hæredem: & quod non debitum soluerit, non reputare. nam hoc seruari, vt hæres emptori non præstet, quod non debitú exegerit: neque ab eo consequatur, quod non debitum præstiterit. Si autem condemnatus præstiterit: hoc solum hæredi sufficit, esse se condemnatum sine dolo malo suo: etiá si maximè creditor non fuerit is, cui condemnatus est hæres. quæ sententia mihi placet. E

Venditor actori non solùm actiones hæreditarias cedere debet: sed etiam actiones proprias ex suo facto sibi competentes. Bal.

Non solùm autem hæreditarias actiones, sed etiam eas obligationes, quas ipse hæres constituit, dicendum erit præstare emptori eum debere. itaque & si fideiussorem acceperit ab hæreditario debitore: ipsam hanc actionem, quam habet hæres, præstare debebit. sed & si nouauerit, vel in iudicium deduxerit actionem: præstare debebit emptori hanc ipsam actionem, quam nactus est. Sicuti lucrum omne ad emptorem hæreditatis respicit: ita damnum quoque debet ad eundem respicere. Denique si ré hæreditariam hæres vendiderit, ac per hoc fuerit condénatus: non habet contra emptorem actionem: quia non ideo condemnatur, quod hæres sit, sed quod vendiderit. sed si precium rei distractæ emptori hæreditatis dedit: videamus, an locus sit ex vendito actioni. & puto locum esse. Siue ipse venditor dederit aliquid pro hæreditate, siue procurator eius, siue alius quis pro eo, dum negocium eius gerit: locus erit ex vendito actioni, dummodo aliquid absit venditori hæreditatis. cæterùm si nihil absit vénditori: consequens erit dicere, nó cópetere ei hãc actioné. F

Venditor

Venditor hæreditatis, qui excepit seruum cum peculio: eatenus onera peculii agnoscere debet, quatenus non repetet. Bal.

A Apud Iulianum scriptum est. si vẽditor hæreditatis exceperit seruum sine periculo, & eius nomine cum eo fuerit actum de peculio, & in rem verso: id dumtaxat eum consequi, quod præstiterit eius peculij nomine, quod emptorem sequi debet, aut quod in rem defuncti versum est. his enim casibus æs alienum emptoris soluit: ex cæteris caussis suo nomine condemnatur. quid ergo si seruum cum peculio exceperit venditor hæreditatis, conuentusque de peculio præstiterit? Marcellus libro sexto Digestorum, nõ petere eum scripsit: si modò hoc actũ est, vt quod superfuisset ex peculio, hoc haberet. at si contrà actum est: re-

B ctè petere eum posse ait. si verò nihil expressim inter eos conuenit, sed tantummodo peculij mentio facta est: cessare ex vendito actionem constat.

Quando res singularis excipitur, videtur actum vt omne damnũ contingens ante venditionem pertineat ad emptorem: sed contingẽs post, ad venditorem. Bar.

Si venditor hæreditatis ædes sibi exceperit, quarũ nomine damni infecti promissum fuerat: interest, quid acti sit. nam si ita excepisset, vt damni quoque infecti stipulationis onus sustineret: nihil ab emptore consequeretur. Si verò id actum erit, vt emptor hoc æs alienum exsoluat: ad illum onus stipulationis pertinebit. si non adparebit, quid

C acti sit: verisimile erit, id actum, vt eius quidem damni nomine, quod ante venditionem datum fuerit, onus ad emptorem, alterius temporis ad hæredem pertineat.

Emptor hæreditatis venditori præstat id, quod hæres extraneus præstaret.

Si Titius Mæuij hæreditatem Seio vendiderit, & à Seio hæres institutus, eam hæreditatem Attio vendiderit: an ex priore venditione hæreditatis cum Attio agi possit? & ait Iulianus, quòd venditor hæreditatis petere à quolibet extraneo hærede potuisset, id ab hæreditatis emptore consequuturum. & certè si Seiò alius hæres exstitisset: quidquid venditor Mæuianæ hæreditatis nomine præstitisset, id ex vẽdito actione cõsequi ab eo potuisset. nam & si duplam hominis à Seio stipulatus fuissem, &

hæres-

hæres ei exstitissem, eamque hæreditatem Attio vendidissem: cuicto homine, rem ab Attio seruarem. D

Vendita hæreditate inter contrahentes habetur perinde, ac si vẽditor nunquam fuisset hæres, & emptor fuisset ab initio institutus. **Iacobus But.**

Si quid publici vectigalis nomine præstiterit venditor hæreditatis: consequens erit dicere, agnoscere emptorem hoc debere. namque hæreditaria onera hæc sunt. & si fortè tributorum nomine aliquid dependet: idem erit dicendum. Quid si funere facto, hæres vendiderit hæreditatem: an impensam funeris ab emptore consequatur? & ait Labeo, emptorem impensam funeris debere præstare: quia & ea (inquit) impensa hæreditaria sit. cuius sententiam & Iabolenus putat veram, & ego arbitror. Cùm quis debitori suo hæres exstiterit: confusione creditor esse desinit. E sed si vendiderit hæreditatem: æquissimum videtur emptorem hæreditatis vicem hæredis obtinere: & idcirco teneri venditori hæreditatis (siue cùm moritur testator, debuit, quamuis post mortem debere desiit, adita à venditore hæreditate: siue quid in diem debebatur: siue sub cõditione, & postea conditio exstitit.) ita tamen, si eius debiti aduersus hæredẽ actio esse poterat: ne fortè etiam ex his caussis, ex quibus cum hærede actio non est, cum emptore agatur. Et si seruitutes amisit hæres institutus, adita hæreditate: ex vendito poterit experiri aduersus emptorem, vt seruitutes ei restituantur. Sed & siquidem venditor nondum præstiterit, sed quoquo nomine obligatus F sit propter hæreditatem: nihilominus agere potest cum emptore.

III. POMPONIVS *lib.* XXVII. *ad Sabinum.*

SI venditor hæreditatis exactã pecuniam sine dolo malo vel culpa perdidisset: non placet eum emptori teneri.

IIII. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

SI nomen sit distractum: Celsus libro nono Digestorũ scribit, locupletem esse debitorem non debere prẹstari: debitorem autem esse præstari, nisi aliud conuenit.

V. PAVLVS *lib.* XXXIII. *ad edictum.*

ET quidem sine exceptione quoque: nisi in contrarium actum

actum sit. sed si certæ summę debitor dictus sit: in eã sum-
A mam tenetur venditor. si incertæ, & nihil debeat: quanti
intersit emptoris.

VI. IDEM *lib.* V. *Quæstionum.*

EMptori nominis etiam pignoris persecutio præstari
debet. eius quoque, quod postea vẽditor accepit. nam
beneficium venditoris prodest emptori.

VII. IDEM *lib.* XIII. *ad Plautium.*

CVm hæreditatem aliquis vendit: esse debet hæredi-
tas, vt sit emptio. nec enim alea emitur, vt in venatio-
ne, & similibus: sed res, quæ si non est, cõtrahitur emptio.
& ideo precium condicetur.

VIII. IABOLENVS *lib.* II. *ex Plautio.*

B QVod si nulla hæreditas ad venditorẽ pertinuit: quã-
tum emptori præstare debeat, ita distingui oporte-
bit: vt siquidem est aliqua hæreditas, sed ad vẽ-
ditorem non pertinet: ipsa æstimetur. si nulla est, de quã
actum videatur: hic verò (quia venditio non valet) pre-
cium dumtaxat, & si quid in eam rem impensum est, em-
ptor à venditore consequatur.

IX. PAVLVS *lib.* XXXIII. *ad edictum.*

ET si quid emptoris interest.

X. IABOLENVS *lib.* II. *ex Plautio.*

QVod si in venditione hæreditatis id actũ est: si quid
iuris esset venditori, venire, nec postea quidquã prę-
C stituiri: quamuis ad venditorem hæreditas nõ
pertinuerit, nihil tamen præstabitur: quia id actum esse ma
nifestum est, vt quemadmodum emolumẽtum negociatio-
nis, ita & periculum ad emptorem pertineret.

XI. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

NAm hoc modo admittitur esse venditionem, si quasi
hæreditas tibi empta est, aut quasi spes hæreditatis:
vt ipsum incertum rei veneat, sicut in retibus.

XII. VLPIANVS *lib.* X. *ad edictum prouinciale.*

HOc autem sic intelligendum est: nisi sciens ad se non
pertinere ita vendidit. nam tunc ex dolo tenebitur.

XIII. PAVLVS *lib.* XIIII. *ad Plautium.*

QVod si sit hæreditas: & si non ita cõuenit, vt quidq̃d
iuris haberet venditor, emptor haberet: tamen hære-
dem

dem se esse præstare debebit. illo verò adiecto: liberatur venditor, si ad eum hæreditas non pertineat. D

XIIII. IDEM *lib.* XXXIII. *ad edictum.*

QVi filiifamiliâs nomina vendidit, actiones quoque, quas cum patre habet, præstare debet. Si hæreditas veneat: venditor res hæreditarias tradere debet, quanta autem hæreditas est, nihil interest.

XV. CAIVS *lib.* X. *ad edictum prouinciale.*

NIsi de substantia eius adfirmauerit.

Vendens tanquam hæres, cùm sit fideicommissarius vniuersalis: tenetur ad interesse emptori. Bal.

XVI. PAVLVS *lib.* XXXIII. *ad edictum.*

SI quasi hæres vendideris hæreditatem, cùm tibi ex senatusconsulto Trebelliano restituta esset hæreditas: quanti intersit emptoris, teneberis. E

XVII. VLPIANVS *lib.* XLIII. *ad edictum.*

NOmina eorum, qui sub conditione, vel in diem debent: & emere, & vendere solemus. ea enim res est, quæ emi & venire potest.

Si vnus ex pluribus hæredibus pecuniã, quæ à testatore sub pœna debetur, soluit, & hæreditatem aliis hæredibus vendit: potest illud solutum ab emptore repetere. Bal.

XVIII. ALFENVS *lib.* V. *Digestorum*

SI ex pluribus hæredibus vnus antè, quàm cæteri adirent hæreditatem, pecuniam, quæ sub pœna debebatur à testatore, omnem soluerit, & hæreditatem vendiderit: nec à cohæredibus suis propter egestatem eorum quidquam seruare poterit: cum emptore hæreditatis, vel ex stipulatu, vel ex vendito rectè experietur. omnem enim pecuniam hæreditario nomine datam, eo manifestius est, quod in iudicio familiæ erciscundæ deducitur: per quod nihil amplius vnusquisque à cohæredibus suis consequi potest, quàm quod tanquam hæres impenderit. F

XIX. IDEM *lib.* XXV. *Digestorum.*

MVltum interest, sub cõditione aliqua obligatio veneat: an cùm ipsa obligatio sub conditione contracta sit, purè veneat. priore casu, deficiente conditione, nullam venditionem: posteriore, statim venditionem consistere. nam si Titius tibi decem aureos sub conditione debeat,

beat;& ego abs te nomen eius emam: confestim ex empto
A & vendito agere potero, vt vel acceptum ei facias.

XX. AFRICANVS *lib.* VII. *Quæstionum.*

SI hæreditatem mihi vendideris Lucij Titij, ac pòst debitori eiusdem hęres existas: actione ex empto teneberis, quod simplicius etiam in illa propositione procedit, cùm quis ipse creditori suo hæres exstiterit, & hæreditatem vendiderit.

Vbi venditur vniuersitas, precium succedit loco rei. sed vbi venditur, vel quasi venditur res singularis: precium vel pœna ab alio exacta loco rei non succedit, nec est propriè in obligatione. Bal.

XXI. PAVLVS *lib.* XIII. *Quæstionum.*

VEnditor ex hæreditate interposita stipulatione, rem
B hæreditariã persecutus, alij vendidit. quæritur, quid ex stipulatione præstare debeat? nam bis vtique nõ committitur stipulatio, vt & rem & precium debeat. Et quidem si postea, quam hæres rem vendidit, intercessit stipulatio: credimus precium in stipulationem venisse. quod si antecessit stipulatio, deinde rem nactus est: tunc rem debebit. si igitur hominem vendiderit, & is decesserit: an precium eiusdem debeat? nón enim deberet Stichi promissor (si eum vendidisset) mortuo eo, si nulla mora præcessisset. sed vbi hæreditatem, & postea rem ex ea vendidi: potest videri, vt tam ipsius negocium agam, quàm hæreditatis. sed hoc in re singulari non potest dici. nam si eundem
C hominem tibi vendidero, & necdum tradito eo, alij quoque vendidero, preciumque accepero: mortuo eo, videamus, ne nihil tibi debeam ex empto, qui moram in tradendo non feci. precium enim hominis venditi non ex re, sed propter negociationem percipitur: & sic fit, quasi alij non vendidissem. tibi enim rem debebam, non actionem. At cùm hæreditas venit: tacitè hoc agi videtur, vt si quid tanquam hæres feci, id præstem emptori, quasi illius negocium agam: quemadmodũ fundi venditor fructus pręstaret bonæ fidei ratione: quamuis si neglexisset vt alienũ, nihil ei imputari possit: nisi si culpa eius argueretur. Quid si rem, quam vendidi, alio possidente petij, & litis æstimationem accepi? vtrum precium illi debeo, an rem? vtique rem. non enim actionem ei, sed rem præstare debeo. sed si

aut

aut vi deiectus, vel propter furti actionem duplum abstulero: nihil hoc ad emptorem pertinebit. nam si sine culpa desiit detinere venditor: actiones suas præstare debebit, non rem, & sic æstimationem quoque. nam & aream tradere debet exusto ædificio. D

Donec soluatur precium, potest res vendita loco pignoris retineri. Baldus.

XXII. SCAEVOLA *lib.* II. *Responsorum.*

HAereditatis venditæ precium pro parte accepi, reliquum emptore non soluente, quæsitum est, an corpora hæreditaria pignoris nomine teneantur? respondit. nihil proponi, cur non teneantur.

Ille qui vendit actionem, tenetur cedere non solum ius, quod habet contra principalem, sed contra fideiussores. Bal. E

XXIII. HERMOGENIANVS *lib.* II. *iuris* ἐπιτομῶν.

VEnditor actionis, quã aduersus ipsum principalem reum habet: omne ius, quod ex ea caussa ei competit, tam aduersus ipsum reum, quàm aduersus intercessores huius debiti, cedere debet: nisi aliud actum est. Nominis vẽditor quidquid vel cõpensatione, vel exactione fuerit consecutus, integrum emptori restituere cõpellitur.

Ab emptione facta cum filio solo super re particulari potest recedi etiam pacto inito cum solo patre. Bal.

XXIIII. LABEO *lib.* IIII. *posteriorum à Iaboleno epitomatorum.* F

HAereditatem Cornelij vendidisti. deinde Titius, cui à te hærede Cornelius legauerat, priusquam legatũ ab emptore perciperet, te fecit hæredem. rectè puto ex võdito te acturum, vt tibi præstetur: quando eò minus hæreditas venierit, vt id legatũ præstaret emptor: nec quidquam interfit, vtrum Titio, qui te hæredem fecerit, pecunia debita sit, an legatario.

XXV. IDEM *lib.* II. πιθανῶν.

SI excepto fundo hæreditario veneat hæreditas, deinde eius fundi nomine venditor aliquid adquisierit: debet id præstare emptori hæreditatis. PAVLVS. imò semper quæritur in ea re, quid actum fuerit. si autem id nõ adparebit: præstare eam rem debebit emptori venditor. nam

nam idipsum ex ea hæreditate ad eum peruenisse videbitur: non secus, ac si eum fundum in hæreditate vendenda A non excepisset.

DE RESCINDENDA VENDItione, & quando liceat ab emptione discedere. Titu. V.

POMPONIVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

CElsus filius putabat: si vendidisset mihi filius familiâs rem peculiarem, & conueniat, vt abeatur ab ea venditione: inter patrem & filium, & me conuenire debere: ne si cum patre solo pactus sim, filius non possit liberari. Sed quęB ritur, vtrum ne nihil agatur ex ea pactione: an verò ego quidē liberer, filius maneat obligatus: sicuti & si pupillus sine tutoris authoritate paciscatur, ipse quidem liberatur, non etiam qui cum eo pactus est? nam quod Aristo dixit, posse ita pacisci, vt vnus maneat obligatus, non est verum: quia pro vna parte contrahentium abiri pacto ab emptione non potest. & ideo si ab vna parte renouatus sit contractus: dicitur non valere eiusmodi pactionem. sed dicendum est, patre paciscente, & liberato aduersario, filiū quoque obiter liberari.

Ab emptione potest recedi etiā nudo pacto re integra. secus si res non est integra. Bal.

C II. IDEM *lib.* XXIIII. *ad Sabinum.*

SI quam rem à te emi, eandem rursus pluris minorísve emero: discessimus à priore emptione. potest enim, dum res integra est, conuentione nostra infecta fieri emptio: atque ita consistit posterior emptio, quasi nulla præcesserit. sed non poterimus eadem ratione vti post preciū solutum, emptione repetita: cùm post precium solutū infectam emptionem facere non possimus.

Fideiussoris stipulatio non facit desinere rem esse integram, vt per hoc à priori contractu non possit recedi. Bal.

III. PAVLVS *lib.* XXXIII. *ad edictum*

EMptio & venditio, sicut consensu contrahitur, ita cōtrario consensu resoluitur, antequam res fuerit secuta. ideoque quæsitum est, si emptor fideiussorem acceperit,

vel venditor ſtipulatus fuerit: an nuda voluntate reſoluatur obligatio? Iulianus ſcripſit, ex empto quidem agi non poſſe: quia bonæ fidei iudicio exceptiones * pacti inſunt. an autem fideiuſſori vtilis ſit exceptio, videndum eſt. & puto, liberato reo & fideiuſſorem liberari. item venditorem ex ſtipulatu agentem exceptione ſubmoueri oportet. idemque iuris eſt, ſi emptor quoque rem in ſtipulationem deduxerit. D

*Id eſt, pactiões adnexæ ita & Vlp. in c. 6. §. adeo de pactis.

Contractui alternatiuo non poteſt adimi vna pars de alternatiuis, & redigi in formam contractus. Bartolus.

IIII. IDEM *lib.* VIII. *Digeſtorum Iuliani notat.*

SI emptio contracta ſit, togæ (puta) aut lancis, & pactus ſit venditor, vt alterutrius emptio maneat: puto reſolui obligationem huius rei nomine dumtaxat. E

In contractibus correlatiuis facta reſolutione ab vna parte totus contractus reſolutus eſt. Item peremptio rei venditæ facit deſinere rem eſſe integram. Bartolus.

V. IVLIANVS *lib.* XV. *Digeſtorum.*

CVm emptor venditori, vel venditor emptori acceptum facit: voluntas vtriuſque oſtenditur id agẽtis, vt à negocio diſcedatur: & perinde habetur, ac ſi conueniſſet inter eos, vt neuter ab altero quidquam peteret. ſed (vt euidentius adpareat) acceptilatio in hac cauſſa nõ ſuæ natura, ſed poteſtate conuentionis valet. Emptio nuda conuentione diſſoluitur, ſi res ſecuta non fuerit. mortuo autem homine perinde habenda eſt venditio, ac ſi traditus fuiſſet: vt puta cùm venditor liberetur, & emptori homo pereat. quare niſi iuſta conuentio interuenerit: actiones ex empto & vendito manebunt. F

VI. PAVLVS *lib.* II. *ad edictum.*

SI cõuenit, vt res, quæ venit, ſi intra certum tempus diſplicuiſſet, redderetur: ex empto actio eſt (vt Sabinus putat) aut proxima empti actioni in factum datur.

Per contractum ſemiplenum ſeu imperfectum non receditur à cõtractu pleno ſeu perfecto: ſed contrà ſic. Bal.

VII. IDEM *lib.* V. *Quæſtionum.*

SI id, quod purè emi, ſub conditione rurſus emam: nihil agitur poſteriore emptione. Si pupilli perſona interueniat, qui antè ſine tutoris authoritate, deinde tutore

authore

authore emit: quamuis venditor iam ei obligatus fuerit: A tamen quia pupillus non tenebatur, renouata venditio efficit, vt inuicem obligati sint. quod si antè tutoris authoritas interuenit, deinde sine tutore authore emit: nihil actũ est posteriore emptione. item potest quæri. & si sine tutoris authoritate pactus fuerit, vt discedatur ab emptione: an perinde sit, atque si ab initio sine tutoris authoritate emisset: vt scilicet ipse non teneatur, sed agente eo retentiones competant? sed nec illud sine ratione dicetur, quũ initio rectè emptio sit contracta: vix bonæ fidei conuenire, eo pacto stari, quod alteri captiosum sit: & maximè, si iusto errore sit deceptus.

B *Subscriptio, quam quis facit alieno nomine, nocet sibi vt teneatur nomine proprio in eo quod ignorauit. Bartolus.*

VIII. SCAEVOLA *lib.* II. *Responsorum.*

Titius Seij procurator, defuncto Seio, ab eo scriptus hæres: cùm ignoraret, fundũ vendẽte seruo hæreditario, quasi procurator subscripsit. quæsitum est, an cognito eo, prius quàm emptio perficeretur, à venditione discedere possit? respondit. Titium, si non ipse vendidit, nõ idcirco actionib' ciuilibus teneri, quod seruo vẽdente subscripserat: sed serui nomine prætoria actione teneri.

Si debitor offert se paratum soluere, non impeditur alienatio, sed per iudicem rescinditur. secus si offert pecuniam. Bartolus.

IX. IDEM *lib.* IIII. *Digestorum.*

C Fundus, qui Lucij Titij erat, ob vectigal reipublicæ venit. sed cùm Lucius Titius debitor professus esset, paratum se esse vectigal exsoluere solidum: cùm minoris venisset fundus, quàm debita summa esset: præses prouinciæ rescidit venditionem, eumq́ue restitui iussit Lucio Titio. quæsitum est, an post sententiam præsidis, antè quàm ei restitueretur, in bonis Lucij Titij fundus emptus esset? respondi. non prius, quàm emptori precium esset illatum: vel si precium nondum esset ab emptore solutum, in vectigal satisfactum esset.

X. IDEM *lib.* VI. *Digestorum.*

Seius à Lucio Titio emit fundum lege dicta, vt si ad diem pecuniã non soluisset, res inempta fieret. Seius parte precij præsente die soluta: defuncto venditore, filiis

eius pupillaris ætatis,& ipse tutor cum aliis datus : neque contutoribus precium secundum legem numerauit, nec rationibus tutelæ retulit. quæsitum est, an irrita emptio facta esset? respondi, secundum ea, quæ proponerentur, inemptam videri. Emptor prædiorum, cùm suspicaretur Numeriam & Semproniam ei controuersiam moturas, pactus est cum venditore, vt ex precio aliqua summa apud se remaneret, donec emptori fideiussor daretur à venditore. postea venditor eam legem inseruit: vt si ex die pecunia omnis soluta non esset,& venditor ea prædia venisse nollet: inuendita essent. interea de aduersariis alteram mulierem venditor superauit, cùm altera transegit : ita vt sine vlla quæstione emptor prædia possideret. quæsitum est: cùm neque fideiussor datus, neque omnis pecunia secundum legem suis diebus soluta sit : an prædia inuendita sint? respondi. si conuenisset, vt non prius pecunia solueretur, quàm fideiussor venditi caussa daretur: nec id factum esset, cùm per emptorem nõ staret, quò minus fieret: non posse posteriorem legis partem exerceri. D E

DE PERICVLO ET COMMOdo rei uenditæ. Titu. VI.

Vino vendito in specie, periculum est emptoris: nisi venditor receperit periculum, donec degustetur. vnde degustatio facit transire periculum. Sigilli autem adpositione non transit periculum. Bal.

VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad Sabinum.* F

Sabini verba.

SI vinum venditum acuerit, vel quid aliud vitij sustinuerit: emptoris erit damnum, quemadmodum si vinum esset effusum, vel vasis cõtusis, vel qua alia ex caussa. *Sed si venditor se periculo subiecit : in id tempus periculum sustinebit, quoad se subieci. quod si non designauit tempus: eatenus periculum sustinere debet, quoad degustetur vinum: videlicet quasi tunc plenissimè veneat, cùm fuerit degustatum. Aut igitur conuenit, quoad periculum vini sustineat,& eatenus sustinebit: aut non conuenit, & vsq; ad degustationẽ sustinebit. sed & si non sint degustata, signata tamen ab emptore vasa, vel dolia : consequenter dicemus, adhuc periculum esse venditoris: nisi aliud conuenisset.

**Vlpiani verba*

ſet. Sed & cuſtodiã ad diem menſuræ vẽditor præſtare
A debet.prius quàm eni admetiatur vinũ, quaſi nõdum venit.Poſt menſuram factam venditoris deſinit eſſe periculum.Sed & ante menſurã periculo liberatur,ſi non ad mẽſuram vendidit: fortè amphoras, vel etiam ſingula dolia. Si dolium ſignatum ſit ab emptore: Trebatius ait, traditum id videri. Labeo contrà: quod & verum eſt. magis enim ne ſubmitteretur, ſignari ſolere, quàm vt traditum videatur. Licet autem venditori, vel effundere vinum,ſi diem ad metiendum præſtituit, nec intra diem admenſum eſt.effundere autẽ non ſtatim poterit:prius quàm teſtato denunciet emptori,vt aut tollat vinum, aut ſciat futurum,vt vinum effunderetur. ſi tamen, cùm poſſet effun-
B dere,non effudit: laudandus eſt potius. ea propter mercedem quoque doliorum poteſt exigere:ſed ita demũ, ſi interfuit eius,inania eſſe vaſa,in quibus vinum fuit: veluti ſi locaturus ea fuit, vel ſi neceſſe habuit alia conducere dolia.commodius eſt autem conduci vaſa, nec reddi vinum, niſi quanti conduxerit,ab emptore reddatur: aut vendere vinum bona fide, id eſt, quantum ſine ipſius incommodo fieri poteſt,operam dare, vt quàm minimè detrimento ſit ea res emptori. Si doliare vinum emeris,nec de tradendo quidquam conuenerit: id videtur actum, vt antè euacuarentur, quàm ad vindemiam opera eorum futura ſit neceſſaria.quòd ſi non ſint euacuata: faciendum, quod vete-
C res putauerunt, per corbem venditorem menſuram facere,& effundere.veteres enim propter hoc mẽſuram ſuaſerunt,ſi quanta menſura eſſet,non adpareat: videlicet vt adpareret,quantum emptori vini perierit,

II. CAIVS *lib.* II. *rerum quotidianarũ vel aureorũ.*

HOc ita verum eſt:ſi is eſt venditor,cui ſine noua vindemia non ſint iſta vaſa neceſſaria. ſi verò mercator eſt,qui emere vina & vendere ſolet: is dies ſpectãdus eſt, quo ex commodo venditoris tolli poſſint. Cuſtodiam autem ante admetiendi diem qualem venditorem præſtare oporteat: vtrum plenam, vt & diligentiam præſtet: an verò dolum dumtaxat,videamus.& puto,eam diligentiam venditorem exhibere debere: vt tamen fatale damnum, vel vis magna eum excuſet.

III. PAVLVS lib. V. ad Sabinum.

CVstodiam autem venditor talem præstare debet, quã præstant hi, quibus res cõmodata est: & vt diligentiã præstet exactiorem, quàm in suis rebus adhiberet. D

Per lapsum termini adpositi ad degustandum non dicitur emptor in mora, si per venditorem stetit, nec in eum transfertur periculum, sed ad venditorem pertinet: nec emptio resoluitur.

IIII. VLPIANVS lib. XXVIII. ad Sabinum.

SI quis vina vendiderit, & intra diem certum degustanda dixerit: deinde per venditorem steterit, quò minus degustarentur: vtrum præteritum dumtaxat periculum acoris & mucoris venditor præstare debeat: an verò etiam die præterito, vt si fortè corrupta sint post ea, quàm dies degustandi prœteriit, periculum ad venditorem pertineat: E
an verò magis emptio sit soluta, quasi sub conditione venierit, hoc est, si ante diem illum fuissent degustata? & intererit, quid actum sit. ego autem arbitror, si hoc in occulto sit, debere dici, emptionem manere: periculum autem ad venditoré respicere, etiam vltra diem degustando præfinitum: quia per ipsum factum est. *Si auersione vinum venit, custodia tantùm præstanda est. †ex hoc adparet, si non ita vinum venit, vt degustaretur: neque acorem, neque mucorem venditorem præstare debere, sed omne periculum ad emptorem pertinere. difficile autem est, vt quisquam sic emat, vt neque degustet. quare si dies degustationis adiectus non erit: quandocunque degustare emptor poterit: & quoad degustauerit, periculum acoris & mucoris ad véditorem pertinebit. dies autem degustationi præstitutus, meliorem conditionem emptoris facit. F

(*Sabini verba. †Vlpiani verba.)

*Vino autem per auersionem védito, finis custodiæ est auchédi tempus. †quod ita erit accipiendum, si additũ tépus est. cęterũ si non sit additum: videndũ, ne infinitam custodiam nõ debeat venditor. & est verius secundũ ea, quæ suprà ostendimus: aut interesse, quid de tépore actum sit: aut denunciare ei, vt tollat vinum. certè antè, quàm ad vindemiam fuerint dolia necessaria, debet auehi vinum.

(*Sabini verba. †Vlp. verba.)

V. PAVLVS lib. V. ad Sabinum.

SI per emptorem steterit, quò minus ad diem vinũ tolleret: postea, nisi quod dolò malo véditoris interceptũ est, non

est, non debet ab eo præstari. si (verbi gratia) amphoræ cen
A tum ex eo vino, quod in cella esset, venierint: si admensum
est, donec admetiatur, omne periculum venditoris est, nisi
id per emptorem fiat.

VI. POMPONIVS *lib. VIII. ad Sabinum.*

SI vina emerim, exceptis acidis & mucidis, & mihi expediat acida & mucida quoque accipere: Proculus ait, quamuis id emptoris caussa exceptum sit, tamé acida & mucida non venisse. nãque sicut inuitus emptor accipere non cogeretur: ita iniquum esse, non permitti véditori, vel alij ea vendere.

VII. PAVLVS *lib. V. ad Sabinum.*

ID quod post emptioné fundo accessit per alluuioné, vel
B periit: ad emptoris commodum incommodúmque pertinet. nam vt si totus ager post emptionem flumine occupatus sit, periculum esset emptoris: sic igitur & commodum eius esse debet.

Illa quæ per se possunt vendi, cedũt in mensura fundi: nisi specialiter aliud sit dictum, sed illa quæ vendi non possunt, non cedunt: nisi specialiter dictum sit.

Quod venditur, in modum agri cedere debet: nisi id actum est, ne cederet. at quod non venit: in modum cedendum, si id ipsum actum est, vt cederet: veluti viæ publicæ, limites, luci, qui fundum tangunt. cùm verò neutrum dictũ est: cedere nõ debet. & ideo nominatim caueri solet: vt lu-
C ci, viæ publicæ, quæ in fundo sunt, totæ in modũ cedant.

Perfecto contractu periculum est emptoris. Contractus autem dicitur perfectus, si sit celebratus purè, quod res sit certa, & precium certum. Si autem per dependentiam de futuro, non dicitur contractus perfectus. Baldus.

VIII. IDEM *lib. XXXIII. ad edictum.*

NEcessariò sciendum, quando perfecta sit emptio. tunc enim sciemus, cuius periculum sit. nam perfecta emptione periculum ad emptorem respiciet. Et quidem si id, quod venierit, adpareat quid, quale, quantũ sit, & precium, & purè venit: perfecta est emptio. quòd si sub conditione res venierit, siquidem defecerit cõditio: nulla est emptio, sicuti nec stipulatio. quod si exstiterit: Proculus & Octauenus emptoris esse periculum aiunt. Idem Pomponius li-

bro nono probat. quòd si pendente conditione emptor vel venditor decesserit: constat, si exstiterit conditio, hęredes quoque obligatos esse, quasi iam contracta emptione in præteritum. quod si pendente conditione res tradita sit: emptor non poterit eam vsucapere pro emptore. & quod precij solutum est, repetetur: & fructus medij tẽporis venditoris sunt: si pendente conditione res fuerit exstincta. perimitur enim emptio, sicuti & stipulationes & legata conditionalia perimuntur. sanè si exstat res, licet deterior effecta: potest dici, esse damnũ emptoris. Si ita res venierit, ESTO SERVVS ILLE EMPTVS, SIVE NAVIS EX ASIA VENERIT, SIVE NON VENERIT: Iulianus putat statim perfectam esse venditionem, quoniam certum sit eam contractam. D E

Si vsufructuarius vẽdat vsumfructum, vẽditio exstinguitur morte venditoris, non emptoris: sed si proprietarius, tunc econtra.

Cùm vsumfructum mihi vendideris: interest, vtrum ius vtendi fruendi, quod solum tuum sit, vendas: an verò in ipsum corpus, quod tuum sit, vsumfructum mihi vẽdas. nam priore casu etiam si statim morieris, nihil mihi hæres tuus debebit: hæredi autẽ meo debebitur, si tu viuis. posteriore casu hæredi meo nihil debebitur*: hæres tuus debebit.†

*te viuo. †me viuo.

IX. CAIVS *lib. x. ad edictum prouinciale.*

SI post inspectum prædium, ante quàm emptio contraheretur, arbores vẽto deiectæ sunt: an hæ quoque emptori tradi debeant, quæritur? & respõsum est, non deberi, quia eas nõ emerit: cùm antè, quàm fundum emerit, desierint fundi esse. sed si ignorauit emptor deiectas esse arbores, venditor autem sciuit, nec admonuit: quanti emptoris interfuerit, rem ęstimandam esse, si modò venit. F

X. VLPIANVS *lib. VIII. Disputationum.*

SI in venditione conditionali hoc ipsum conuenisset, vt res periculo emptoris seruaretur: puto pactum valere. Vt libro sexto Digestorum Iuliani Scæuola notat, fundi nomine emptor agere non potest: cùm prius, quàm mensura fieret, inundatione aquarum, aut chasmate, alióve quo casu pars fundi interierit.

Factum familiæ non facit transire periculum casus in dominum, quia dominus non tenetur pro suo familiari. Bartolus.

XI. AL-

XI. ALFENVS *lib.* II. *Digestorum.*

A SI vendita insula cõbusta esset: cùm incendium sine culpa fieri non possit, quid iuris sit? respõdit: quia sine patrisfamiliâs culpa fieri potest: neque si seruorũ negligentia factum esset, continuo dominus in culpa erit. quamobrem si diligentiam venditor eam adhibuisset in insula custodienda, quam debent homines frugi & diligentes præstare: si quid accidisset, nihil ad eum pertinebit.

XII. PAVLVS *lib.* III. ἐπιτομῶν *Alfeni Digestorum.*

LEctos emptos ædilis, cùm in via publica positi essent, concîdit. si traditi essent emptori, aut si per eum stetisset, quò minus traderentur: emptoris periculũ esse placet.

XIII. IVLIANVS *lib.* III. *ad Vrseium Ferocem.*

B EVmque cum ædili, si id non iure fecisset, habiturum actionem legis Aquiliæ: aut certè cum vẽditore ex empto agendum, vt is actiones suas, quas cum ædili habuisset, ei præstaret.

XIII. PAVLVS *lib.* III. ἐπιτομῶν *Alfeni Digestorum.*

QVòd si neque traditi essent, neque emptor in mora fuisset, quò minus traderentur: vẽditoris periculum erit. Materia empta si furto perisset, postquam tradita esset: emptoris esse periculũ respõdit. si minus: venditoris, videri autẽ trabes traditas, quas emptor signasset.

XV. CAIVS *lib.* II. *rerum quotidianarum, siue aureorum.*

C SI vina, quę in doliis erant, venierint: eáque ante, quàm ab emptore tollerentur, sua natura corrupta fuerint: siquid de bonitate eorum adfirmauit vẽditor: tenebitur emptori. quod si nihil adfirmauit: emptoris erit periculum: quia siue non degustauit, siue degustando malè probauit, de se queri debet. planè si cùm intelligeret venditor, bonitatem eorum non duraturam vsque ad eum diem, quo tolli deberent, nec admonuit emptorem: tenebitur ei, quanti eius interesset, admonitum fuisse.

XVI. IABOLENVS *lib.* VII. *ex Cassio.*

SEruì emptor, si eum cõductum rogauit, donec precium solueret: nihil per eum seruum adquirere potuit: quoniam non videtur traditus is, cuius possessio per locationem retinetur à venditore: & periculum eius serui ad emptorem pertinet, quod tamen sine dolo venditoris interue-

teruenerit.

Posterior mora nocet, vel ultima mora illam absorbet. Bartolus. D

XVII. POMPONIVS *lib.* XXXI. *ad* Q. *Mutium.*

ILlud sciendum est, cùm moram emptor adhibere cœpit: iam non culpam tantùm, sed & dolum præstandum à venditore. quòd si per emptorem & venditorem mora fuerit: Labeo quidé scribit, emptori potius nocere, quàm venditori moram adhibitam. sed videndum, ne posterior mora damnosa ei sit. quid enim, si interpellauero venditorem, & non dederit id, quod emeram: deinde postea offerente illo, ego non acceperim? sanè hoc casu mihi nocere debet. sed si per emptorem mora fuisset: deinde cùm omnia in integro essent, moram venditor adhibuerit, cùm posset se exsoluere: æquum est, posteriorem moram venditori nocere. E

XVIII. PAPINIANVS *lib.* III. *Responsorum.*

HAbitationum oneribus morte libertorum finitis, emptor domus ob eam caussam venditori non tenebitur: si nihil aliud conuenit, quàm vt habitationes, secundum defuncti voluntatem, super precium libertis præstarentur. Ante precium solutum dominij quæstione mota, precium emptor soluere non cogetur: nisi fideiussores idonei à venditore eius euictionis offerantur.

XIX. HERMOGENIANVS *lib.* II. *iuris* ἐπιτομῶν.

VEnditori si emptor in precio soluẽdo morã fecerit: vsuras dumtaxat præstabit, non omne omnino. quod venditor mora non facta consequi potuit: veluti si negociator fuerit, & precio soluto, ex mercibus plus, quàm ex vsuris, quærere potuerit. F

DE SERVIS EXPORTANDIS, ET *si ita mancipium uenierit, ut manumittatur: uel contrà.* Titulus. VII.

Quis potest renũciare ei, quod in sui fauorem introductũ est. Bal.

VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

SI fuerit distractus seruus, ne aliquo loci moretur: qui vendidit, in ea cõditione est, vt possit legem remittere, & Romæ ipsum retinere: quod & Papinianus libro tertio respõdit, propter do-

pter domini enim (inquit) securitaté custoditur lex, ne periculum subeat.

A

II. MARTIANVS *lib.* II. *Publicorum.*

EXportandus ab Italia si venierit, in prouincia morari potest: nisi specialiter prohibitum fuit.

Quando ex contractu innominato venit quarẽdum ius tertio: ibi habet locum pœnitentia. Baldus.

III. PAVLVS *lib.* L. *ad edictum.*

SI quis hac lege venit, vt intra certum tempus manumittatur: & si non sit manumissus, liber fit: si tamen is, qui vendidit, in eadem voluntate perseueret. hæredis enim voluntatem non esse exquirendam.

Vbi est inhabilitas personæ à principio, actus non potest cõfirmari, licet conferatur in tempus permissum. Baldus.

B

IIII. MARCELLVS *lib.* XXIIII. *Digestorum.*

SI minor viginti annis seruum tibi in hoc vendiderit, vt eum manumitteres, nullius momenti est venditio: quãquam ea mẽte tradiderit, vt cum viginti annos ipse explesset, manumitteres. Non enim multum facit, quod distulit libertatis præstationem: lex quippe consilio eius, quasi parum firmo, restitit.

Pactum pœnale & odiosum propter euitandam absurditatem recipit interpretationem etiam extensiuam. Bartolus.

V. PAPINIANVS *lib.* X. *Quæstionum.*

C

CVi pacto venditionis pomœrio cuiuslibet ciuitatis interdictum est: vrbe etiam interdictũ esse videtur. quod quidem cùm aliàs principum mandatis præciperetur, etiam naturalem habet intellectum: ne scilicet, qui careret minoribus, frueretur maioribus.

Quando duo deducuntur in pacto, pœna simpli adposita censetur apposita propter id quod lædit, non propter id quod non lædit. B.

VI. IDEM *lib.* XXVIII. *Quæstionum.*

SI venditor ab emptore cauerit, ne serua manumitteretur, néve prostitueretur: & aliquo facto contrà, quàm fuerat exceptum, euincatur: an libera iudicetur, & ex stipulatu pœna petatur? doli exceptionem quidam obstaturam putant: Sabinus, non obstaturam. sed ratio facit, vt iure non teneat stipulatio, si ne manumitteretur, exceptum est. nam incredibile est, de actu manumittentis, ac

non

non potius de effectu beneficij cogitatum. cæterùm si ne prostitueretur, exceptũ est: nulla ratio occurrit, cur pœna peti & exigi non debeat: cùm & ancillam contumelia adfecerit, & venditoris adfectionem fortè simul & verecundiam læserit. etenim aliâs remota quoque stipulatione placuit ex vendito esse actionem. Si quid emptor contrà, ꝗ lege venditionis cautum est, fecisset: nobis aliquando placebat, non aliter ex vendito propter pœnam homini irrogatam agi posse, quàm si pecunię ratione venditoris interesset, veluti quia pœnam promisisset: cæterùm bono viro non conuenire: credere, venditoris interesse quod animo sæuientis satis factum non fuisset. Sed in contrarium me vocat Sabini sententia: qui vtiliter agi ideo arbitratus est, quoniam ob hoc minoris homo videatur venisse. D E

Si pœna promittitur pacto nudo, non potest exigi nisi intersit. Bartolus.

VII. IDEM *lib.* VI. *Quæstionum.*

SEruus ea lege venit, ne in Italia esset. quod si aliter factum esset: conuenit citra stipulationem, vt pœnã præstaret emptor. vix est, vt eo nomine vindictæ ratione vẽditor agere possit: acturus vtiliter, si nõ seruata lege in pœnam, quàm alij promisit, inciderit. Huic consequens erit, vt hactenus agere possit, quatenus alij præstare cogetur. quidquid enim excedit, pœna est, nõ rei persecutio. quod si ne pœnæ caussa exportaretur, conuenit: etiam adfectionis ratione rectè agetur. nec videntur hæc inter se contraria esse: cùm beneficio adfici hominem, * intersit hominis. enimvero pœnæ non irrogatæ indignatio solam duritiam continet. F

**Hãc sententiã eleganter explicat Cic. li. 2. Offic.*

Quando pactum de manumittẽdo seruum adponitur gratia emptoris vel vtriusque, non potest per venditorem reuocari. V el *sic.* Non *potest mutari voluntas in præiudicium tertii.* Bal.

VIII. IDEM *lib.* XXVIII. *Quæstionum.*

QVæsitum est. si quis seruum proprium vendidisset, & vt manumitteretur intra certum tempus, prçcepisset: ac postea mutasset voluntatem, & emptor nihilominus manumisisset: an aliquam actionem eo nomine haberet? dixi. ex vendito actionem, manumisso seruo, vel mutata

mutata venditoris voluntate, euanuisse.

A *Pactũ manus iniectionis adpositũ in contractu in venditione rei sua afficit rẽ, vt poßit auferri à quolibet possessore & successore, & facto successoris actor incidit in pœnam contractus.* Bal.

IX. PAVLVS *lib.* V. *Quæstionum.*

Titius seruum vendidit ea lege, vt si Romæ moratus esset, liceret manus iniicere. emptor alij eadem lege vendidit, & seruus fugit à secundo emptore, & Romæ moratur. quæro, an sit manus iniectio, & cui? respondi. in fugitiuo non est dubitandum, nihil contra legem factum videri: quia nec domino auferre se potest, nec qui in fuga est, ibi moratur. Quòd si voluntate secundi emptoris contra legem moratus sit: potior habendus est is, qui author fuit

B legis. & posterior, qui magis admonendi emptoris, & liberandi se eandem legẽ repetierit: nec poterit aliquo modo auferre legem sui venditoris, cuius conditio exstitit. nã & si pœnam promisisset, teneretur: licet ipse quoque stipulatus esset. sed in pœna promissa duæ actiones sunt. manus autem iniectio in seruum competit. Quòd si prior ita vendidit, vt prostituta libera esset: posterior, vt manum liceret iniicere: potior est libertas, quàm manus iniectio. planè si prior lex manus habet iniectionem, posterior libertatem: fauorabilius dicetur, liberam fore: quoniam vtraque conditio pro mancipio additur. & sicut manus iniectio, ita libertas eximit eam ab iniuria.

C *Si adponitur pactum quod seruus venditus emptore mortuo fiat liber, valet.* Bal.

X. SCAEVOLA *lib.* VII. *Digestorum.*

CVm venderet Pamphilam & Stichum, venditioni inseruit pactum conuentum: vt ne ea mãcipia Pamphila & Stichus, quos minorato precio vendidit, alterius seruitutem, quàm Seij paterentur: post mortemque eius in libertatem vocarentur. quæsitum est, an hæc mancipia, de quibus inter emptorem & venditorem conuenit: post mortem emptoris iure ipso liberata sint? respondi. secundum constitutionem diui Hadriani super hoc prolatam, Pamphilam & Stichum, de quibus quæreretur, si manumissi nõ sint, liberos non esse. CLAVDIVS. diuus Marcus ex lege dicta libertatis in vendendo (quamuis nõ manumissos) fore li-

fore liberos, in semestribus constituit: licet in tempus mortis emptoris distulit venditor libertatem. D

DIGESTORVM SEV PANdectarum Liber decimusnonus.

DE ACTIONIBVS EMPTI & uenditi. Tit. I.

VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad Sabinum.*

SI res vendita non tradatur: in id quod interest, agitur: hoc est, quanti rē habere emptoris interest. hoc autem interdum precium egreditur: si pluris intersit, quàm res valet, vel empta est. E
Venditor si cùm sciret deberi seruitutem, cælauit: nō euadet ex empto actionem: si modò eam rem emptor ignorauit. omnia enim, quæ contra bonam fidem fiunt, veniunt in empti actionem. Sed scire venditorem, & cælare *, sic accipimus: non solùm si non admonuit, sed & si negauit seruitutem istam deberi, cùm esset ab eo quæsitum. Sed & si proponas eū ita dixisse, NVLLA QVIDEM SERVITVS DEBETVR, VERVM VT EMERGAT INOPINATA SERVITVS, NON TENEOR: puto eum ex empto teneri, si seruitus debebatur, & sciuit. sed & si id egit, ne cognosceret emptor, aliquam seruitutem deberi: opinor eum ex empto teneri. & (generaliter dixerim) si improbato more versatus est in cælanda seruitute, debere eum teneri: non si securitati suæ prospectum voluit. hæc ita vera sunt, si emptor ignorauit seruitutem: quia non videtur esse cælatus, qui scit: nec certiorari debuit, qui non ignorauit. F

* *de huius verbi interpretatione Cic. lib. 3. offic.*

II. PAVLVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

SI in emptione modus dictus est, & non præstatur: ex empto actio est.

Possessio rei venditæ debet tradi vacua, quæ à nemine detineatur vel possideatur. Et istud. ℟. venit ad declarationem primi capitis, si res vendita non tradatur: declarat enim qualiter debeat tradi. Bar.

Vacua

Vacua possessio emptori tradita non intelligitur, si alius
A in ea legatorum fideicommissorumúe seruandorum caussa in possessione est, aut creditores bona possident. idem dicendum est, si venter in possessione sit. nam & ad hoc pertinet vacui appellatio.

Non videtur tradita nuda possessio, nisi quæ auocari non potest. & similiter tendit ad declarationem primi capitis, si res vendita nõ tradatur. Bar.

III. POMPONIVS *lib.* IX. *ad Sabinum.*

Ratio possessionis, quæ à venditore fieri debet, talis est: vt si quis eam possessionem iure auocauerit, tradita possessio non intelligatur.

In stipulatione vacuam possessionem tradi, non veniunt fructus à tempore moræ, sed veniunt in actione ex empto. Bar.

B Si emptor vacuam possessionem tradi stipulatus sit, & ex stipulatu agat: fructus non venient in eam actioné: quia & qui fundum tradi stipulatur, vacuam quoque possessionem tradi oportere, stipulari intelligitur: nec tamen fructuum præstatio ea stipulatione continetur. neque rursus plus debet esse in stipulatione: sed ex empto superesse ad fructuum præstationem.

In incorporalibus patientia est pro traditione. Bar.

Si iter, actum, viam, aquæductum per tuum fundum emero: vacuæ possessionis traditio nulla est. itaque cauere debes, per te non fieri, quò minus vtar.

C *Venditor tenetur, quanti plurimi res fuerit à tempore moræ. Item quo loco plurimi fuerit. Item econuerso si emptor fuerit in mora. Et venit ad declarationem primi capitis, si res vendita non traditur.* Bartolus.

Si per véditorem vini mora fuerit, quò minus traderet: condemnari eum oportet, vtro tempore pluris vinum fuerit: vel quo venit, vel quo lis in condemnationem deducitur. item quo loco pluris fuit: vel quo venit, vel vbi agitur. Quòd si per emptorem mora fuit: æstimari oportet precium, quod sit, cùm agatur, & quo loco minoris sit. mora autem videtur esse, si nulla difficultas venditorem impediat, quò minus traderet: & præsertim, si omni tempore paratus fuit tradere. item non oportet eius loci precia spectari, in quo agitur: sed eius, vbi vina tradi oportet. nam quod

quòd à Brunduſio vinum venit : & ſi venditio alibi facta ſit, Brunduſij tradi oportet. D

Antequam res euincatur, non poteſt agi de euictione, ſed ex empto propter qualitatem à ſciente celatam. Bar.

IIII. PAVLVS *lib.* V *.ad Sabinum.*

SI ſeruum mihi ignorãti, ſciens furem, vel noxium eſſe, vendideris: quamuis duplam promiſeris, teneris mihi ex empto, quanti mea intererit ſciſſe : quia ex ſtipulatu eo nomine agere tecum non poſſum, antè quàm mihi quid abſit.

Quod deficit in menſura, æſtimatur reſpectu quantitatis menſuræ, non reſpectu bonitatis loci: quia quod non eſt, non habet bonitatem nec malitiam. Bar.

Si modus agri minor inueniatur, pro numero iugerum auctor obligatus eſt: quia vbi modus minor inuenitur, non poteſt æſtimari bonitas loci, qui non exſtat. Sed non ſolũ ſi modus totius agri minor eſt, agi cum venditore poteſt: ſed etiam de partibus eius. vtputa ſi dictum eſt, vineæ iugera tot eſſe, vel oliueti, & minus inueniatur. ideo his caſibus pro bonitate loci fiet æſtimatio. E

Si venditio fiat ex neceſſitate præcedentis actionis, actio ex eo cõtractu competit cum effectu, niſi per errorem facta fuerit. Bar.

V. IDEM *lib.* XXXIII *.ad edictum.*

SI hæres teſtamento quid vendere damnatus ſit, & vendiderit: de reliquis, quæ per conſequentiam emptoris propria ſunt, vel ex empto, vel ex teſtamento agi cum eo poterit. ſed ſi falſò exiſtimans ſe eſſe damnatum vendere, vendiderit: dicendum eſt, agi cum eo ex empto non poſſe: quoniã doli mali exceptione actor ſubmoueri poteſt. quẽadmodum & ſi falſò exiſtimãs ſe damnatum dare, promiſiſſet: agentem doli mali exceptione ſubmoueret. Pomponius etiam incerti cõdicere eum poſſe ait, vt liberetur. F

VI. POMPONIVS *lib.* IX *.ad Sabinum.*

TEnetur ex empto venditor, etiam ſi ignorauerit minorem fundi modum eſſe.

Actio deſcendens ex contractu, competit ad ea quæ veniunt in pacto incontinenti adpoſito. Bar.

Si vendidi tibi inſulam certa pecunia, & vt aliam inſulam meam reficeres: agam ex vendito, vt reficias. ſi autem hoc

hoc solum, vt reficias eam, conuenit: non intelligitur emptio & venditio facta, vt Neratius scribit. sed si aream tibi vendidi certo precio, & tradidi, ita vt insula ædificata partem dimidiam mihi retradas: verum est, vt ædifices, agere me posse ex vendito, & vt ædificatam mihi retradas. quàm diu enim aliquid ex re vendita apud te superest: ex vendito me habere actionem constat.

A

Tenetur venditor, si rem faciat deteriorem antequam tradat.

Si locum sepulchri emeris, & propius eum locum, antè quàm mortuus ibi inferatur, ædificatum à venditore fuerit: poteris ad eum reuerti. Si vas aliquod mihi vendideris, & dixeris certam mensuram capere, vel certum pondus habere: ex empto tecum agam, si minus præstes. sed si vas mihi vendideris, ita vt adfirmares integrum: si id integrum non sit, etiam id, quod eo nomine perdiderim, præstabis mihi. si verò non id actum sit, vt integrum præstes: dolum malum dumtaxat præstare te debere, quidam putant. Labeo contrà: & illud solum obseruandum, vt (nisi in contrarium quid actum sit) omnimodo integrum præstari debeat. & est verum. quod & in locatis doliis præstãdum, Sabinum respondisse Minicius refert.

B

Si res euincitur facto emptoris, de euictione non agitur: secus si facto venditoris. Bar.

Si tibi iter vendidero, ita demum auctorem me laudare *poteris: si tuus fuerit fundus, cui adquirere seruitutẽ volueris. iniquum est enim teneri me, si propter hoc adquirere seruitutem non potueris, quia dominus vicini fundi nõ fueris. sed si fundum tibi vendidero, & ei fundo iter accessurum dixero: omnimodo tenebor itineris nomine: quia vtriusque rei, quasi vnus venditor, obligatus sum.

C

*Laudare quid Gel. lib. 2. & Macrobi. lib. 16.

Si filiusfamiliâs rem vendiderit mihi, & tradiderit: sicut paterfamiliâs tenebitur.

Dolus in hoc contractu commissus per actionem ex eo contractu purgatur. Bar.

Si dolo malo aliquid fecit venditor in re vendita, ex empto eo nomine actio emptori competit. nam & dolum malum eo iudicio æstimari oportet: vt id, quod præstaturum se esse pollicitus sit venditor, emptori præstari oporteat.

Pactum ne quis de euictione teneatur, non prodest ei qui sciuit caussam, ex qua res euinceretur, & tacuit. Bar.

D

Si cùm venditor sciens obligatum, aut alienum vendidisset, adiectum sit, néue eo nomine quid præstaret: æstimari oportet dolum malum eius, qué semper abesse oportet in iudicio empti: eo quod bonæ fidei sit.

Mendacium circa substantiam personæ nõ inducit hanc actionẽ, nisi emptoris incipiat interesse Bar.

VII. IDEM *lib.* X. *ad Sabinum.*

FVndum mihi cùm venderes deducto vsufructu, dixisti vsumfructum Titij esse, cùm is apud te remansurus esset. si cœperis eum vsumfructum vindicare: reuerti aduersus te non potero, donec Titius viuat, nec in caussa esse cœperit, vt etiam si eius vsusfructus esset, amissurus eum fuerit. nam tunc, id est, si capite deminutus, vel mortuus fuerit Titius: reuerti potero ad te venditorem. idemque iuris est, si dicas eum vsumfructum Titij esse, cùm sit Seij. E

Si dolus re ipsa committitur non ex proposito, per hanc actionem purgatur. Bar.

VIII. PAVLVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

SI tibi liberum prædium tradidero, cùm id seruiens tradere deberem: etiam conditio incerti competit mihi, vt patiaris eam seruitutem, quæ debuit imponi. quod si seruum prædium in traditione fecero, quod liberum tibi tradere debui: ex empto habebis actionem, remittendæ eius seruitutis gratia, quam pati non debebas. F

IX. POMPONIVS *lib.* XX. *ad Sabinum.*

SI is, qui lapides ex fundo emerit, tollere eos nolit: ex vendito agi cum eo potest, vt eos tollat.

Duæ actiones eiusdem speciei competentes eidem ad diuersa, possunt simul in eodem libello cumulari. Bar.

X. VLPIANVS *lib.* XLVI. *ad Sabinum.*

NOn est nouum, vt duæ obligationes in eiusdem persona de eadem re concurrant. cùm enim is, qui venditorem obligatum habeat, ei hæres exstiterit, qui eundem venditorem habebat obligatum: constat duas esse actiones in eiusdem persona concurrentes, propriam & hæreditariam: & debere hæredem institutum (si velit) separatim

duarum

duarum actionum commodo vti: ante aditam hæreditatē
A proprium venditorem conuenire, deinde adita hæreditate, hæreditarium. quòd si prius adierit hæreditatem: vnam quidem actioné mouere potest: sed ita, vt per eam vtriusque contractus sentiat commodum. ex contrario quoque si venditor venditori hæres exstiterit: palam est, duas euictiones eum præstare debere.

Actio ex empto competit emptori ad præmissa, & ad ea quæ veniunt ex natura contractus, hoc est, quod res tradatur, & de euictione obligetur. Bar.

XI. IDEM *lib.* XXXII. *ad edictum.*

Ex empto actione is, qui emit, vtitur. Et in primis sciédum est, in hoc iudicio id demum deduci, quod præ-
B stari conuenit. cùm enim bonæ fidei iudicium sit: nihil magis bonæ fidei congruit, quàm id præstari, quod inter contrahentes actum est. quod si nihil conuenit: tunc ea pręstabuntur, quæ naturaliter insunt huius iudicij potestate. & in primis ipsam rem præstare venditorem oportet. (id est, tradere) quæ res, siquidem dominus fuit venditor, facit emptorem dominum. si non fuit: tantùm euictionis nomine venditorem obligat: si modò precium est numeratum, aut eo nomine satisfactum. emptor autem numos venditoris facere cogitur. Redhibitionem quoque contineri empti iudicio. Labeo & Sabinus putant, & nos probamus. Animalium quoque venditor cauere debet, ea sana pre-
C stari. & qui iumenta vendiderit, solet ita promittere, esse, bibere, vt oportet.

Si emptor errauit in qualitate rei venditore sciente, quam si sciuisset nō emisset, hac actione agitur ad resoluendum contractū. Bar.

Si quis virginem se emere putarit, cùm mulier venisset, & sciens in errore eum venditor passus sit: redhibitionem quidem ex hac caussa non esse: verùtamen ex empto competere actionem ad resoluendam emptionem, vt precio restituto mulier reddatur.

Hac actio datur ad resoluendum contractum, quando hoc est actum, & pro restitutione precii seu arrarum: quo casu concurrit cum condictione ob caussam. Bar.

Is, qui vinum emit, arrę nomine certam summam dedit. Postea conuenerat, vt emptio irrita fieret. Iulianus ex em-

pto agi poſſe ait, vt arra reſtituatur: vtilemque eſſe actionē ex empto, etiam ad diſtrahendam (inquit) emptionem. D

Ego illud quæro. ſi annulus datus ſit arræ nomine, & ſecuta emptione, precioque numerato, & tradita re, annulus non reddatur: qua actione agendum ſit? vtrum condicatur, quaſi ob cauſſam datus, & cauſſa finita ſit: an verò ex empto agendum ſit? & Iulianus dicit, ex empto agi poſſe. certè etiam condici poterit: quia iam ſine cauſſa apud venditorem eſt annulus.

Venditor tenetur præſtare ſeruum non eſſe fugitiuum, furtiuum, vel noxiis obligatum. Bar.

Etiam ſi ignorans vendiderit: fugitiuum non eſſe, præſtare emptori oportere, Neratius ait. Idem Neratius, & ſi alienum ſeruum vendideris, furtis noxiiſque ſolutū præſtare debere, ab omnibus receptum ait. Et ex empto actionem eſſe, vt habere licere emptori caueatur: ſed & vt tradatur ei poſſeſſio. Idem ait, non tradentem quanti interſit condemnari: ſatis autem non dantem, quanti plurimo auctorem periclitari oportet. Idem Neratius ait. propter hæc omnia ſatis eſſe, quod eſt plurimum præſtari: id eſt, vt ſequentibus actionibus, deducto eo, quod præſtitum eſt, lis æſtimetur. Idem rectè ait. ſi quid horum non præſtetur, cùm cætera facta ſint: nullo deducto condemnationem faciendam. Idem libro ſecundo Reſponſorum ait. emptorem noxali iudicio condemnatum, ex empto actione id tantum conſequi, quanti minimo defungi potuit. idemque putat, & ſi ex ſtipulatu aget. & ſiue defendat noxali iudicio, ſiue non: quia manifeſtum fuit noxium ſeruum fuiſſe: nihilominus vel ex ſtipulatu, vel ex empto agere poſſe. Idem Neratius ait. venditorem in re tradenda debere præſtare emptori, vt in lite de poſſeſſione prior ſit. ſed Iulianus libro decimoquinto Digeſtorum ſcribit, nec videri traditum, ſi ſuperior in poſſeſſione futurus non ſit. erit igitur ex empto actio, niſi hoc præſtetur. Caſſius ait eum, qui ex duplæ ſtipulatione litis æſtimationem conſecutus ſit: aliarum rerum nomine, de quibus in venditionibus caueri ſolet, nihil conſequi poſſe. Iulianus, deficiente dupla, ex empto agendum putauit. Denique ad Minicium libro quinto ait. ſi quis ea conditione ſeruum vendiderit,

derit, vt intra triginta dies duplam promitteret, postea ne
A quid præstaretur: & emptor hoc fieri intra diem non desiderauerit: ita demum non teneri venditorem, si ignorans alienum vendidit. tunc enim hoc fieri, vt per ipsum, & per hæredem eius emptorem habere liceret. Qui autem alienum sciens vendidit, dolo (inquit) non caret: & ideo empti iudicio tenebitur. Sententiam Iuliani verissimam esse arbitror in pignoribus quoque. nam si iure creditoris vendiderit, deinde hæc fuerint euicta: non tenetur, nec ad precium restituendum, ex empto actione creditor. hoc enim multis constitutionibus expressum est. dolum planè venditor præstabit. denique etiam repromittet de dolo. sed & si non repromiserit: sciens tamen sibi non obligatum, vel non esse eius, qui sibi obligauit, vendiderit:
B tenebitur ex empto, quia dolum eum præstare debere ostendimus. Si quis rem vendiderit, & ei accessurum quid dixerit: omnia quidem, quæ diximus in re distracta, in hoc quoque sequenda sunt: vt tamen euictionis nomine non in duplum teneatur, sed in hoc tantùm obligetur, vt emptori rem habere liceat: & non solùm per se, sed per omnes. Qui autem habere licere promittés védidit: videamus, quid debeat præstare. & multum interesse arbitror: vtrum polliceatur, per se, venientesq́ue à se personas non fieri, quò minus habere liceat: an verò per omnes. nam si per se: non videtur id præstare, ne alius
C euincat. Proinde si euicta res erit: siue stipulatio interposita est, ex stipulatu non tenebitur: siue non est interposita, ex empto non tenebitur. sed Iulianus libro decimoquinto Digestorum scribit: etiam si apertè venditor pronunciat, per se hæredemq́ue suum non fieri, quò minus habere liceat: posse defendi, ex empto eum in hoc quidem non teneri, quod emptoris interest: veruntamen, vt precium reddat, teneri. Ibidem ait, item esse dicendum, & si apertè in venditione comprehendatur, nihil euictionis nomine præstituiri: precium quidem deberi re euicta, vtilitatem non deberi. neque enim bonæ fidei contractum hanc pati conuentionem, vt emptor rem amitteret, & precium venditor retineret. nisi fortè (inquit) si quis omnes istas suprascriptas conuentiones reciperet:

quemadmodũ recipitur, vt vẽditor numos accipiat, quãuis merx ad emptorem non pertineat: veluti cùm futurum D iactum retis à piſcatore emimus, aut indaginem plagis poſitis à venatore, vel pantheram ab aucupe. nam etiam ſi nihil capit: nihilominus emptor precium præſtare neceſſe habebit. ſed in ſuprà ſcriptis conuentionibus contrà erit dicendum: niſi fortè ſciens alienum vendidit. tunc enim ſecundum ſuprà à nobis relatam Iuliani ſententiam, dicẽdum eſt, ex empto eum teneri: quia dolo facit.

XII. CELSVS *lib.* XXVII. *Digeſtorum.*

SI iactũ retis emero, & rete iactare piſcator noluit: incertum huius rei æſtimandum eſt. ſi quod extraxit piſciũ, reddere mihi noluit: id ęſtimari debet, quod extraxit.

Qui tradit rem vitioſam ſcienter, tenetur ad intereſſe etiam extra rem: ſi ignoranter, tenetur quanto minoris. fallit in ſeruo fure. Bartolus. E

XIII. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

IVlianus libro decimoquinto inter eum, qui ſciens quid aut ignorans vendidit, differentiam facit in condemnatione ex empto: ait enim. qui pecus morboſum, aut tignum vicioſum vendidit: ſiquidem ĩgnorans fecit: id tantum ex empto actione præſtaturum, quanti minoris eſſet empturus, ſi ita ſciſſet. ſi verò ſciens reticuit, & emptorem decepit: omnia detrimenta, quæ ex ea emptione emptor traxerit, præſtaturum ei. ſiue igitur ædes vicio tigni corruerunt, ædium æſtimationem: ſiue pecora contagione morboſi pecoris perierũt, quod interfuit idoneè veniſſe, erit præſtãdum. F Item qui furem vendidit, aut fugitiuum: ſiquidem ſciens: præſtare debebit, quanti emptoris interfuit nõ decipi. ſi verò ignorans: circa fugitiuum quidẽ tenetur, quãto minoris empturus eſſet, ſi eũ fugitiuũ ſciſſet: circa furẽ, non tenetur. differentiæ ratio eſt: quia fugitiuũ quidem habere nõ licet, & quaſi euictionis nomine tenetur venditor: furẽ autem habere poſſumus. Quod autẽ diximus, QVANTI EMPTORIS INTERFVIT NON DECIPI, multa cõtinet. vt ſi alios ſecũ ſollicitauit, vt fugerent: vel res quaſdã abſtulit. quid tamen ſi ignorauit quidẽ furem eſſe, adſeuerauit autem bonæ frugi, & fidum, vt carò venderet? videamus, an ex empto teneatur. & puto teneri,

teneri.at qui ignorauit.ſed non debuit facilè, quæ ignora-
A bat,adſeuerare.inter hunc igitur,& eum,qui ſcit, intereſt: quoniam qui ſcit, præmonere debuit furem eſſe : hic non debuit facilis eſſe ad temerariam indicationem.

Si per dolum res pluris minorisve venditur, per hanc actionem purgatur. Bartolus.

Si venditor dolo fecit,vt pluris venderet(puta de artificio mentitus, aut de peculio) empti eum iudicio teneri, vt præſtet emptori,quanto pluris ſeruum emiſſet,ſi ita peculiatus eſſet,vel eo artificio inſtructus. Per contrarium quoque idem Iulianus ſcribit.cùm Terentius Victor deceſſiſſet,relicto hærede fratre ſuo: & res quaſdam ex hæreditate,& inſtruméta, & mancipia villicus ſubtraxiſſet:
B quibus ſubtractis, facilè quaſi minimò valeret hæreditas, vt ſibi ea véderetur,perſuaſit.an véditi iudicio teneri poſſit?& ait competere actioné ex vendito in tantum, quanto pluris hæreditas valeret,ſi hæ ſubtractæ non fuiſſent.

Pactum quod quis non teneatur, non prodeſt in caſibus, in quibus venditor ſciebat & tacuit. Bartolus.

Idem Iulianus dolum ſolere à venditore præſtari, etiã in huiuſmodi ſpecie oſtendit. ſi cùm venditor ſciret fundum pluribus municipiis legata debere, in tabula quidem ſcripſerit,vni municipio debere: verùm poſtea legem cóſignauerit,ſi qua tributorum,aut vectigalis, indictionísve quidem nomine, aut ad viæ collationem præſtare opor-
C teret,id emptorem dare,facere,præſtare oportere:reſpondit,ex empto eum teneri,quaſi decepiſſet emptorem. quæ ſententia vera eſt.

Ex dolo tutoris ipſe conuenitur, non pupillus, niſi inquantum factus eſt locupletior. Bartolus.

Sed cùm in facto proponeretur, tutores hoc idé feciſſe,qui rem pupillarem vendebant: quæſtionis fuiſſe ait,an tutorum dolum pupillus præſtare deberet? & ſi quidem ipſi tutores vendiderunt: ex empto eos teneri,nequaquam dubium eſt.ſed ſi pupillus authoribus eis vendidit: in tantum tenetur,in quantum locupletior ex eo factus eſt,tutoribus in reſiduum perpetuò condemnandis: quia nec trãſfertur in pupillum poſt pubertatem, licet quid dolo tutorum factum eſt.

Actio ex empto non competit cum effectu, nisi precio integrè soluto. h d. vel aliter. Ex contractu vltro citróque obligatorio non potest effectualiter agi, nisi quis totum contractum ex parte sua impleuerit. Bartolus. D

Offerri precium ab emptore debet, cùm ex empto agitur. & ideo si partem precij offerat: nondum est ex empto actio ad rem adquirendam. vēditor enim quasi pignus retinere potest eam rem, quā vendidit. vnde quæritur. si parte precij soluta, res tradita postea euicta sit: vtrum eius rei nomine consequatur integrum precium ex empto agens: an verò quod numerauit? & puto magis id, quod numerauit, propter doli exceptionem.

Fructus exstantes seu pendētes videntur venditi vendita re: pensiones & cætera quæ debentur occasione rei non ex re, debentur vēditori, licet cedere teneatur emptori. Bartolus. E

Si fructibus iam maturis ager distractus sit: etiam fructus emptori cedere, nisi aliud conuenit, exploratum est. Sin is ager locatus fuit: pensiones vtique ei cedent, qui locauerat. idem & in prædiis vrbanis, nisi si quid nominatim conuenisse proponatur. Sed & si quid præterea rei venditæ nocitum est: actio emptori præstanda est, damni fortè infecti, vel aquæ pluuiæ arcendæ, vel Aquiliæ, vel interdicti QVOD VI AVT CLAM. Item si quid ex operis seruorum, vel vecturis iumentorum, vel nauium quæsitū est: emptori præstabitur. sed & si quid de peculio eorum accessit. non tamen si quid ex re venditoris. F

Alluuio superueniens ante traditionem prodest venditori ad mēsuram, si fuit ignorans, secus si sciens. Bartolus.

Si Titius fundum, in quo nonaginta iugera erant, vendidit: & in lege emptionis dictum est, in fundo centum esse iugera: & antequā modus manifestetur, decem iugera alluuione adcreuerint: placet mihi Neratij sentētia existimātis, vt siquidem sciens vendidit, ex empto actio competat aduersus eum, quāuis decem iugera adcreuerint: quia dolo fecit, nec dolus purgatur. si verò ignorans vendidit: ex empto actio non competat.

Causa lucratiua cum non lucratiua concurrit. Bartolus.

Si fundum mihi alienum vendideris, & hic ex caussa lucratiua meus factus sit: nihilominus ex empto mihi aduersus

uersus te actio competit.

A *In hac actione venit dolus & culpa circa ipsam rem, & circa accessoria. Bartolus.*

In his autem, quæ cum re empta præstari solent, non solum dolum, sed & culpam præstandā arbitror. nam & Celsus libro nono Digestorū scripsit: cùm conuenerit, vt vēditor præteritam mercedem exigat, & emptori præstet: nō solum dolum, sed etiam culpam eum præstare debere.

Idem Celsus eodem libro scribit. fundi, quem cum Titio cōmunem habebas, partem tuam vēdidisti: & antequā traderes, coactus es cōmuni diuidundo iudicium accipere. si socio fundus sit adiudicatus: quantum ob eam rem à Titio consecutus es, id tantū emptori præstabis. quòd si

B tibi fundus totus adiudicatus est: totum (inquit) eum emptori trades. sed ita, vt ille soluat, quod ob eam rem Titio condemnatus es. sed ob eam quidem partem, quam vendidisti, pro euictione cauere debes: ob alteram autem, tantū de dolo malo repromittere. æquum est enim, eandem esse conditionem emptoris, quæ futura esset, si cum ipso actum esset communi diuidundo. sed si certis regionibus fundum inter te & Titium iudex diuisit: sine dubio partē, quæ adiudicata est, emptori tradere debes.

Quidquid lucratur seruus venditoris, pertinet ad emptorē. Bar.

Si quid seruo distracto venditor donauit ante traditionem, hoc quoque restitui debet: hæreditates quoque per

C seruum adquisitæ, & legata omnia. nec distinguendum, cuius respectu ista relicta sunt. item quod ex operis seruus præstitit venditori, emptori restituendum: nisi ideo dies traditionis ex pacto prorogatus est, vt ad venditorem operæ pertinerent.

Actio ex vendito competit venditori ad precium, & etiam ad vsuras precii à tempore traditionis rei etiam precariò factæ: competit etiam ad alia quæ æquum est venire in hoc contractu: quæ enumerantur vsque ad. §. Si procurator.

Ex vendito actio venditori competit ad ea consequenda, quæ ei ab emptore præstari oportet. veniunt autem in hoc iudicio infrascripta. in primis precium quanti res venit: item vsuræ precij post diem traditionis. nam cùm re emptor fruatur: æquissimum est, eum vsuras precij dependere.

dere. Possessionem autem traditam accipere debemus, etiam si precaria sit possessio. hôc enim solum spectare debemus, an habeat facultatem fructus percipiendi. D

Sumptus facti in re vendita, per actionem ex vendito repetuntur. Bartolus.

Praeterea ex vendito agendo consequuturus est sumptus, qui facti sunt in re distracta: vtputa si quid in aedificia distracta erogatum est. scripsit enim Labeo & Trebatius, esse ex védito hoc nomine actionem. idem est, si quid in aegri serui curatione impensum est ante traditionem, aut in disciplinas, in quas verisimile erat etiam emptoré velle impendi. hoc amplius Labeo ait. etsi quid in funus serui defuncti impensum sit, ex vendito consequi oportere: si modo sine culpa venditoris morte obierit. item si conuenerit, cùm res veniret, vt locuples ab emptore reus detur: ex vendito agi posse, vt id fiat. E

In actione ex empto venit illud quod deuenit in pacto incontinẽti adposito. Bartolus.

Si inter emptorem praediorum & venditorem conuenisset, si ea praedia emptor haerésve eius pluris vendidisset, eius partem dimidiam venditori praestaret: & haeres emptoris pluris ea praedia vendidisset: venditoré ex vendito agendo parté eius, quò pluris vendidisset, consecuturum.

Ex veditione procuratoris dominus obligatur, & sibi actio quaeritur. Bartolus.

Si procurator vendiderit, & cauerit emptori; quaeritur, an domino, vel aduersus dominum actio dari debeat? Et Papinianus libro tertio Responsorum putat, cum domino ex empto agi posse vtili actione, ad exemplum institoriae actionis: si modò rem vendendam mandauit. ergo & per contrarium dicendum est, vtilem ex empto actioné domino competere. F

Quando poena consistens in quantitate, solutioni quãtitatis adiicitur: in fraudem vsurarum videtur adiecta. Bartolus.

Ibidem Papinianus respondisse se refert. si conuenit, vt ad diem precio non soluto, venditori duplum precij praestaretur: in fraudem cõstitutionum videri adiectum, quod vsuram legitimam excedit. diuersamq́ue caussam commissoriae esse ait: cum ea specie (inquit) non foenus illicitum

contrahatur,

contrahatur, sed lex contractui nō improbata dicatur.

A *Ex contractu facto cum procuratore colludente, vel cum minore potest agi, vt voluntas domini discernatur.* Bartolus.

Si quis colludente procuratore meo, ab eo emerit: an possit agere ex empto? & puto hactenus, vt aut stetur emptioni, aut discedatur. Sed & si quis minoré vigintiquinq; annis circumuenerit: & huic hactenus dabimus actionem ex empto, vt diximus in superiore casu.

Claudicat cōtractus si fiat cū pupillo sine tutoris authoritate. B.

Si quis à pupillo sine tutoris authoritate emerit: ex vno latere constat contractus. nam qui emit, obligatus est pupillo: pupillum sibi non obligat.

B *Per hanc actionem cogitur facere quod deuenit in ipso contractu incontinenti adpositū. Item qui habet actionem, ad commodum alienum agere cogitur.* Bartolus.

Si venditor habitationem exceperit, vt inquilino liceat habitare: vel colono, vt perfrui liceat ad certum tempus: magis esse Seruius putabat ex vendito actionem. Denique Tubero ait. si iste colonus damnum dederit: ex empto emptorem agentem cogere posse venditorem, vt ex locato cum colono experiatur: vt is quidquid fuerit consecutus, emptori reddat. Aedibus distractis vel legatis, ea esse ædiū solemus dicere, quæ quasi pars ædium, vel propter ædes habentur: vtputa putea.

XIIII. POMPONIVS *lib.* XXXI. *ad Qu.* Mutium.

C Item quo puteum cooperitur.

XV. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictum*

Funes, labra, salientes. fistulæ quoque, quæ salientibus iunguntur (quamuis longe excurrant extra ædificium) ædium sunt. item canales. pisces autem, qui sunt in piscina, non sunt ædium, nec fundi.

XVI. POMPONIVS *lib.* XXI. *ad Qu.* Mutiū.

Non magis, q̃ pulli, aut cætera aīalia, quę in fūdo sūt.

XVII. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

Fundi nihil est, nisi quod terra se tenet. ædium autem multa esse, quæ ædibus adfixa non sint, ignorari non oportet: vtputa seras, claues, claustra. multa etiam defossa esse, neque tamen fundi, aut villæ haberi: vtputa vasa vinaria, torcularia: quoniā hæc instrumēti magis sunt, etiam si ædificio

ædificio cohærent, ſed & vinum, & fructus perceptos villæ non eſſe conſtat. Fundo vendito vel legato, ſterculinium & ſtramenta emptoris & legatarij ſunt, ligna autem venditoris vel hæredis: quia non ſunt fundi, tãetſi ad eum parata ſunt. in ſterculinio autem diſtinctio Trebatij probanda eſt: vt ſi quidem ſtercorandi agri cauſſa comparatum ſit, emptorem ſequatur: ſi vendendi, venditorem: niſi ſi aliud eſt actum. nec intereſt, in ſtabulo iaceat, an aceruus ſit. Quæ pictæ tabulæ pro tectorio includuntur, itẽ cruſtæ marmoreæ, ædium ſunt. reticuli circa columnas, plutei circa parietes, item cilicia vela, ædium non ſunt. Item quòd inſulæ cauſſa paratum eſt, ſi nondum perfectum eſt: quamuis poſitum in ædificio ſit, non tamẽ videtur ædium eſſe. Si ruta & cæſa excipiãtur in venditione: ea placuit eſſe ruta, quæ eruta ſunt: vt arena, creta, & ſimilia. cæſa eſſe, vt arbores cæſas, carbones, & his ſimilia. Gallus autem Aquilius (cuius Mela refert opinionem) rectè ait, fruſtra in lege venditionis de rutis & cæſis contineri: quia ſi non ſpecialiter venierint, ad exhibendum de his agi poſſit. neque enim magis de materia cæſa, aut de cæmentis, aut de arena cauendum eſt venditori, quàm de cæteris, quæ ſunt precioſiora. Labeo generaliter ſcribit, ea, quæ perpetui vſus cauſſa in ædificiis ſunt, ædificij eſſe: quę verò ad pręſens, non eſſe ædificij. vtputa fiſtulæ tẽporis quidem cauſſa poſitæ, non ſunt ædium: veruntamen ſi perpetuò fuerint poſitæ, ædium ſunt. Caſtella plumbea, putea, opercula puteorum, epiſtomia fiſtulis adplumbata, aut quæ terra continentur: quamuis non ſint adfixa, ædium eſſe conſtat. item conſtat ſigilla, columnas quoque & perſonas, è quarum roſtris aqua ſalire ſolet, villæ eſſe. Ea, quæ ex ædificio detracta ſunt, vt reponantur: ædificij ſunt. at quæ parata ſunt, vt imponantur: non ſunt ædificij. Pali, qui vineæ cauſſa parati ſunt, antè quàm collocentur, fundi non ſunt. ſed qui exempti ſunt hac mente, vt iterum collocentur: fundi ſunt.

D

E

F

XVIII. IABOLENVS *lib.* VII. *ex Caßio.*

GRanaria, quæ ex tabulis fieri ſolent, ita ædium ſunt, ſi & ſtipites eorum in terra defoſſi ſunt. quod ſi ſupra terram ſunt: rutis & cæſis cedũt. Tegulæ, quæ nondum

dum adhuc ædificiis impositæ sunt: quamuis tegendi gra-
A tia allatæ sunt, in rutis & cæsis habentur. aliud iuris est in his, quæ detractæ sunt, vt reponerentur. ædibus enim accedunt.

XIX. CAIVS *lib.* IIII. *ad edictum pretoru Vrbani, tit. de publicanis.*

VEteres emptione venditionéque in appellationibus promiscuè vtebantur.

XX. IDEM *lib.* XXI. *ad edictum prouinciale.*

IDem est in locatione & conductione.

XXI. PAVLVS *lib.* XXXIII. *ad edictum.*

SI sterilis ancilla sit, cuius partus venit, vel maior annis quinquaginta, cùm id emptor ignorauerit: ex empto
B tenetur venditor. Si prædij venditor non dicat de tributo: sciens tenetur ex empto. quod si ignorans non prædixerit, quod fortè hæreditarium prædium erat: non tenetur.

Quamuis suprà diximus, cùm in corpore cōsentiamus, de qualitate autem dissentiamus, emptionem esse, tamen venditor teneri debet, quanti interest emptoris, se deceptũ non esse, etiam si venditor quoque nesciet: veluti si mensas quasi citreas emat, quæ non sunt.

Contra non agentem agitur ad interesse quod est circa rem, non ad id quod est extra rem: nec eius habetur ratio. Bartolus.

Cùm per venditorem steterit, quò minus rem tradat: omnis vtilitas emptoris in æstimationem venit, quæ modo
C circa ipsam rem consistit. neque enim si potuit ex vino (puta) negociari & lucrũ facere, id æstimādum est: non magis, quàm si triticum emerit, & ob eam rem, quod non sit traditum, familia eius fame laborauerit. nam precium tritici, non seruorum fame necatorum consequitur. nec enim maior fit obligatio, quod tardius agitur: quamuis crescat, si vinum hodie pluris sit. meritò: quia si datum esset, hoc haberet emptor. quoniam verò non dedit: saltem hodie dandum est, quod iam olim dari oportuit.

Actio ex hoc contractu datur ad id quod deuenit in pacto incontinenti adposito. Paulus de castro.

Si tibi fundum vendidero, vt eum conductũ certa summa haberem: ex vendito eo nomine mihi actio est, quasi in partem precij ea res sit. sed etsi tibi fundum ita vendidero, vt nul-

vt nulli alij eum, quàm mihi, venderes: actio eo nomine ex vendito est, si alij vendideris. D

In obligationibus annuis alternatiuè conceptis, licitum est quolibet anno variare. Bartolus.

Qui domum vẽdebat, excepit sibi habitationem, donec viueret, aut in singulos annos decẽ. emptor primo anno maluit præstare decem, secundo anno habitationẽ. Trebatius ait, mutandæ voluntatis potestatem eum habere, singulisq; annis alterutrum præstare posse: & quamdiu paratus sit alterutrum præstare, tamdiu petitionem non esse.

Deceptus in qualitate fundi, agit ad interesse, sicut deceptus in mensura. Paulus.

XXII. IVLIANVS *lib.* XII. *Digestorum.*

SI in qualitate fundi venditor mentitus sit, non in modo eius: tenetur tamẽ emptori. pone enim dixisse eum, quinquaginta iugera vineæ esse, & quinquaginta prati: & in vinea minus, in prato plus inueniri: esse tamẽ omnia centum iugera. E

Propter necessitatem præcedentis contractus valet pactum de futura successione. Bartolus.

XXIII. IDEM *lib.* XIII. *Digestorum.*

SI quis seruum, quem cùm peculio vendiderat, manumiserit: non solũ peculij nomine, quod seruus habuit tempore, quo manumittebatur: sed & eorum, quæ postea adquirit, tenetur. & prætereà cauere debet, quidquid ex hæreditate liberti ad eum peruenerit, restitui. MARCELLVS NOTAT. Illa præstare venditor ex empto debet, quæ haberet emptor, si homo manumissus non esset. non continebuntur ergo, quæ si manumissus non fuerit, adquisiturus non esset. F

Res empta per seruum fructuarium adquiritur ei, ex cuius peculio soluitur precium, si soluatur vsufructu durante, aliàs indistinctè quæritur domino. Bartolus.

XXIIII. IVLIANVS *lib.* XXV. *Digestorum.*

SI seruus, in quo vsusfructus tuus erat, fundum emerit: & antè, quàm pecunia numeraretur, capite minutus fueris: quamuis precium solueris, actionem ex empto non habebis, propter talem capitis deminutionem: sed indebiti

condictionem

condictionem aduersus venditorem habebis. ante capitis
A autem deminutionem nihil interest, tu soluas, an seruus ex
eo peculio, quod ad te pertinet. nam vtroque casu actionem ex empto habebis.

Ab eo qui ex re mea factus est locupletior, possum cõdicere: & ipse à me quod expendit, repetit. Bartolus.

Seruum tuum imprudens à fure bona fide emi. is ex peculio, quod ad te pertinebat, hominẽ parauit, qui mihi traditus est. posse te hominẽ eum mihi condicere, Sabinus dixit. sed si quid mihi abesset ex eo negocio, quod is gessisset: verum esse, inuicem me tecum acturum de peculio. Cassius veram opinionem Sabini retulit, in qua ego quoque sum.

B *Qui fideiubet pro seruo vendente, tenetur sicut si fideiuberet pro libero homine. Bartolus.*

Seruo vendente hominem, fideiussor venditionis omnia præstare debet, in quæ obligaretur, si pro libero fideiussisset. nam & in dominum actio sic datur, vt emptor eadem consequatur, quæ libero vendente consequi debuisset: sed vltra peculij taxationem dominus non condemnatur.

Si venditor re non tradita agit ad precium, exceptione repellitur post rem traditam. si emptorem impedit, aliis actionibus competentibus conuenitur. Bartolus.

XXV. IDEM. *lib.* IIII. *Digestorum.*

C QVi pendentem vindemiam emit, si vuam legere prohibeatur à venditore: aduersus eum petentem precium, exceptione vti poterit: si ea pecunia, de qua agitur, non pro ea re petitur, quæ venit, neque tradita est. cæterùm post traditionem: siue lectam vuam calcare, siue mustum euehere prohibeatur: ad exhibendum, vel iniuriarum agere poterit, quemadmodũ si quilibet alius eum rem suam tollere prohibeat.

XXVI. ALFENVS VARVS *lib.* II. *Digestorum.*

SI quis, cùm fundum venderet, dolia centum, quæ in fundo esse adfirmabat, accessura esse dixisset: quamuis ibi nullum dolium fuisset, tamen dolia emptori debebit.

XXVII. PAVLVS *lib.* IIII. ἐπιτομῶν *Alfeni Digestorum.*

Quidquid

QVidquid vẽditor accessurum dixerit, id integrum ac sanum tradi oportet. veluti si fundo dolia accessura dixit: non quassa, sed integra dare debet. D

XXVIII. IVLIANVS *lib. III. ad Vrseium Ferocem.*

PRædia mihi vendidisti: & conuenit, vt aliquid facerem. quod si non fecissem: pœnam promisi. Respõdit. venditor, ante quàm pœnam ex stipulatu petat, ex vendito agere potest. si consecutus fuerit, quantum pœnæ nomine stipulatus est: agentem ex stipulatu, doli mali exceptio submouebit. si ex stipulatu pœnam consecutus fuerit: ipso iure ex vendito agere non poterit: nisi in id, quod pluris eius interfuerit id fieri.

Cùm quis à seipso euincit, habet actionem ex empto. h. d. concordat. l. Iulianus. §. Si fundum. supra eo. Bartolus. E

XXIX. IDEM *lib. IIII. ex Minicio.*

CVi res sub conditione legata erat, is eam imprudens ab hærede emit. actione ex empto poterit consequi emptor precium: quia non ex caussa legati rem habet.

Si seruus furtum fecit domino, eius peculium deminuitur. Si verò postquam desiit esse dominus, tunc in quantum peculium est, dominus nouus conuenitur. Bartolus.

XXX. AFRICANVS *lib. IX. Quæstionum.*

SEruus, quem de me cum peculio emisti, prius, quàm tibi traderetur, furtum mihi fecit. quamuis ea res, quam subripuit, interierit: nihilominus retentionem eo me nomine ex peculio habiturum ait, id est, ipso iure ob id factum F minutum esse peculium: eò scilicet, quòd debitor meus ex caussa condictionis factus sit. nam licet si iam traditus furtum mihi fecisset: aut omnino condictionem eo nomine de peculio non haberem, aut eatenus haberem, quatenus ex re furtiua auctum peculium fuisset: tamen in proposito, & retentionem me habiturum: & si omne peculium penes te sit, vel quasi plus debito soluerim, posse me condicere. Secũdum quæ dicendum est: si numos, quos seruus iste mihi subripuerat, tu ignorans furtiuos esse, quasi peculiares ademeris, & consumpseris, condictionem eo nomine mihi aduersus te competere, quasi res mea ad te sine caussa peruenerit.

Qui vendit rem alienam scienter, propter dolum, hac actione cõuenitur,

uenitur. antequam res euicta sit. secus si ignorans. Bartolus.

A Si sciens alienam rem mihi ignoranti vendideris: etiam prius, quàm euincatur, vtiliter me ex empto acturum putauit in id, quanti mea intersit meam esse factam. quãuis enim alioquin verum sit, venditorem hactenus teneri, vt rem emptori habere liceat, non etiam vt eius faciat: quia tamẽ dolum malum abesse præstare debeat, teneri eum, qui sciens non suam ignoranti vendiderit. idem maximè, si manumissuro, vel pignori daturo vendiderit.

Venditor non tenetur de casu fortuito: tenetur tamẽ cedere actionem ratione rei competentem. Bartolus.

XXXI. NERATIVS *lib.* III. *Membranarum.*

B SI ea res, quam ex empto præstare debebam, vi mihi adempta fuerit: quamuis eam custodire debuerim: tamen propius est, vt nihil amplius, quàm actiones persequendæ eius præstari à me emptori oporteat. quia custodia aduersus vim parum proficit.† actiones autem eas non solùm arbitrio, sed etiam periculo tuo præstare debebo: vt omne lucrum, ac dispendium te sequatur. At si per me factum sit, quò minus eam suo tẽpore à me haberes: non solùm id, quod ipse per eũ adquisij, prẹstare debebo: sed & id, quod emptor iam tunc sibi tradito seruo adquisiturus fuisset.

†sed nec legibus vllis vim repelli posse pulchrè Cice. in orat. pro Murena.

De duobus emptoribus ille est potior, cui est possessio tradita. Bartolus.

Vterque nostrum eandem rem emit à non domino, cùm C emptio venditióque sine dolo malo fieret: traditáque est. siue ab eodem emimus, siue ab alio atque alio: is ex nobis tuendus est, qui prior ius eius adprehẽdit, hoc est, cui primùm tradita est. sed si alter ex nobis à domino emisset: is omnimodo tuendus est.

Si quis contrahentium ex falsis mensuris decipiatur, potest per hanc actionem habere recursum. Bartolus.

XXXII. VLPIANVS *lib.* XL. *ad edictum.*

SI quis à me oleum, quod emisset, adhibitis iniquis ponderibus accepisset, vt in modo me falleret: vel emptor circunscriptus sit à venditore põderibus minoribus: Pomponius ait, posse dici venditorem sibi dare oportere, quod plus est, petere. quod habet rationem. ergo & emptor ex empto habebit actionem, qua contentus esse possit.

XXXIII. IDEM *lib.* XXXII. *ad edictum.*

ET ſi vno precio plures res emptæ ſint: de ſingulis ex empto & vendito agi poteſt. D

XXXIIII. IDEM *lib.* XVIII. *ad edictum.*

SI fundo vendito in qualitate iugerum captio eſt, ex empto erit actio.

Euicta ſeruitute agitur ex empto, non de euictione. h. d. habes in l. quod ad ſeruitutem, infrà de euictionibus. Bartolus.

XXXV. IDEM *lib.* LXX. *ad edictum.*

SI quis fundum emerit, quaſi per eum fundum eundi agendi ius non eſſet, & interdicto de itinere actúque victus ſit: ex empto habebit actionem. licet enim ſtipulatio de euictione non committitur, quia non eſt de iure ſeruitutis in rem actione pronunciatum: tamen dicendum eſt ex empto actionem competere. E

Ante traditionem venditor tenetur ad cuſtodiam. propter quam etiam debet de damno infecto cauere. Bartolus.

XXXVI. PAVLVS *lib.* VII. *ad Plautium.*

VEnditor domus, ante quàm eam tradat, damni infecti ſtipulationem interponere debet: quia ante quàm vacuam poſſeſſionem tradat, cuſtodiam & diligentiam præſtare debet: & pars eſt diligentiæ cuſtodiæque, hanc interponere ſtipulationem. & ideo ſi id neglexerit: tenebitur emptori.

Dolus venditoris non prodeſt emptori. Bartolus.

XXXVII. IDEM *lib.* XI. *ad Plautium.* F

SIcut æquum eſt, bonæ fidei emptori alterius dolum nō nocere: ita non eſt æquum, eidem perſonæ venditoris ſui dolum prodeſſe.

XXXVIII. CELSVS *lib.* IX. *Digeſtorum.*

SI vēditor hominis dixit, peculium eum habere decem, nec quidquam ademturum: etſi plus habet, totum præſtet: niſi hoc actum eſt, vt dumtaxat decem præſtaret. ſi minus eſt: præſtet eſſe decem, vel talem ſeruum, vt tantum peculij habeat. Si per emptorem ſteterit, quò minus ei mancipium traderetur: pro cibariis per arbitrum indemnitatem poſſe ſeruari, Sextus Aelius & Druſus dixerunt: quorū & mihi videtur ſententia iuſtiſſima eſſe. Firmius à Proculo quæſiit. ſi de plumbeo †caſtello fiſtulæ ſub terra

† *De iis Vitruuius li. 8. cap. 7.*

terra missæ, aquam ducerent in aënum lateribus circumstructum: an hę, vt iuncta fixáque ædium essent: an, vt ruta
A cæsáque, non essent ædium? ille rescripsit, referre quid acti esset. quid ergo si nihil de ea re, neque emptor, neque venditor cogitauerunt: vt plerumque in eiusmodi rebus euenire solet? nónne propius est, vt inserta & inclusa ædificio, sic partem eius existimemus esse?

XXXIX. MODESTINVS *lib.* V. *Responsorum.*

QVæro. si quis fundum ita vendiderit, vt id venundatum esse videatur, quod intra terminos ipse possedit: sciens tamen aliquam partem certam se non possidere, non certiorauerit emptorem: an ex empto iudicio teneatur, cùm hæc generalis adiectio ad ea, quę specialiter
B nouit, qui vendidit, nec excepit, pertinere non debeat? ne alioquin emptor capiatur, qui fortasse, si hoc cognouisset, vel empturus non esset, vel minoris empturus esset, si certioratus de loco certo fuisset: cùm hoc & apud veteres sit relatum in eius persona, qui sic exceperat, SERVITVTES, SI QVAE DEBENTVR, DEBEBVNTVR? etenim iuris authores responderunt: si certus venditor quibusdam personis certis certas seruitutes deberi non admonuisset emptoré, ex empto eum teneri debere: quando hęc generalis exceptio non ad ea pertinere debeat, quę venditor nouit, quæ specialiter excipere & potuit, & debuit: sed ad ea, quæ ignorauit, & de quibus emptorem cer
C tiorare nequiuit. Herennius Modestinus respondit. si quid circumueniendi emptoris caussa vẽditor in specie, de qua quæritur, fecit: ex empto actione conueniri posse.

Qui emit arbores exstantes, non facit eas suas donec à solo separentur: & ideo vendicare non potest: sed aget ex empto. Bartolus.

XL. POMPONIVS *lib.* XXXI. *ad Quint. Mutium.*

QVintus Mutius scribit. dominus fundi de prędio arbores stantes vẽdiderat. pro his rebus pecuniam acceperat. & cũ eas tradere nolebat: emptor quæsiit, quid se facere oporteret? & verebatur, ne hæ arbores eius non viderentur factæ. POMPONIVS. arborũ, quę in fundo cõtinentur, non est separatum corpus à fundo. & ideo, vt dominus, suas specialiter arbores vindicare em-

ptor non potest, sed ex empto habet actionem.

Venditor qui certificat emptorem de commodo, debet etiam certificare de onere quod imminet ratione illius commodi: aliàs tenetur ad interesse. Paulus de castro. D

XLI. PAPINIANVS *lib.* IIII. *Responsorum.*

IN venditione super annua pensatione propter aquæductum infra domum Romæ constitutum nihil commemoratum est. deceptus ob eam rem ex empto habebit actionem. itaque si conueniatur ob precium ex vẽdito: ratio improuisi oneris habebitur.

Si venditor in vna re decipitur per ignorantiam, & in alia decipit: debet horum inuicem fieri compensatio. Pau. de cast.

XLII. VLPIANVS *lib.* II. *Quæstionum.*

SI duorum fundorum venditor separatim de modo cuiusque pronunciauerit, & ita vtrumque vno precio tradiderit, & alteri aliquid desit: quamuis in altero exsuperet (fortè si dixerit, vnum centum iugera, alterum ducenta habere) non proderit ei, quod in altero ducenta decem inueniãtur, si in altero decem desint. & de his ita apud Labeonem relatum est. sed an exceptio doli mali venditori profutura sit? & potest dubitari. vtique si exiguus modus syluæ desit, & plus in vineis habeat, quàm repromissum est: an nõ faciat dolo, qui iure perpetuo vtitur? nec enim hoc, quod amplius in modo agri inuenitur, quàm alioquin dictum est, ad compendium venditoris, sed emptoris pertinet: & tunc tenetur venditor, cùm minor modus inuenitur. Videamus tamen, ne vlla querela sit emptoris in eodẽ fundo: si plus inueniatur in vinea, quàm in prato, cùm vniuersus modus constet. similis quæstio esse potest ei, quæ in duobus fundis agitata est, & si quis duos statuliberos vno precio vẽdat: & dicat, vnum decem dare iussum, qui quindecim dare debuerat: alterum decem qui quinq; debebat. nam & hic tenebitur ex empto actione: quamuis emptor à duobus viginti accepturus sit. sed rectius est in omnibus suprascriptis casibus lucrum cum damno compẽsari: & si quid deest emptori, siue pro modo, siue pro qualitate loci, hoc ei resarciri. E F

Emptor serui propter commodum iurispatronatus euictum habet actionem ex empto. Item interesse sumptuum non debet excedere duplum rei

plum rei contra ignorantem: secus si contra scientem. Pau. de cast.

A XLIII. IDEM *lib.* V. *Quæstionum.*

Titius cùm decederet, Seiæ Stichum, Pamphilum, Arescusam per fideicommissum reliquit: eiúsque fidei commisit, vt omnes ad libertatem post annum perduceret. cùm legataria fideicommissum ad se pertinere noluisset, nec tamẽ hæredem à sua petitione liberasset: hæres eadem mancipia Sempronio vendidit, nulla commemoratione fideicommissæ libertatis facta. emptor cùm pluribus annis mancipia suprascripta sibi seruissent: Arescusam manumisit. cùm cæteri quoque serui, cognita voluntate defuncti, fideicommissam libertatem petissent, & hæredem ad prætorem perduxissent: iussu prætoris ab hærede sunt
B manumissi. Arescusa quoq; nolle se emptorem patronum habere respondebat. cùm emptor precium à venditore empti iudicio Arescusæ quoque nomine repeteret: lectum est Domitij Vlpiani responsum, quo continebatur: Arescusam pertinere ad rescriptum sacrarum constitutionum, si nollet emptorem patronum habere: emptorem tamẽ nihil posse post manumissionem à venditore consequi. ego tum memini Iulianum in ea sententia esse, vt existimaret, post manumissionem quoque empti actionem durare. quæro quæ sententia vera sit? illud etiam in eadem cognitione nomine emptoris desiderabatur: vt sumptus, quos in vnum ex his, quem erudierat, fecerat: ei restituerentur. Item quæ-
C ro Arescusa, quæ recusauit emptorem patronum, cuius sit liberta cõstituta? & an possit, vel legatariam, quæ eam non liberauit, vel hæredem patronum habere? cùm cæteri duo ab hærede manumissi sunt? Respondi. semper probaui Iuliani sententiam, putantis manumissione ex empto actionem eo modo non amitti. de sumptibus verò, quos in erudiendo hominem emptor fecit, videndum est. nam empti iudicium ad eam quoque speciem sufficere existimo. non enim precium continet tantùm, sed omne, quod interest emptoris, seruum non euinci. planẽ si in tantum precium excessisse proponas, vt non sit cogitatum à venditore de tanta summa. veluti si ponas agitatorem postea factum, vel pantomimum euictum esse eum, qui minimo veniit precio: iniquum videtur in magnam quantitatem obli-

gari venditorem.

XLIIII. AFRICANUS *lib.* V. *Quæstionum.* D

CVm fortè idem mediocrium facultatum sit: nó vltra duplum periculum subire eum oportet.

XLV. PAULUS *lib.* V. *Quæstionum.*

IDq̃ue Iulianum agitasse Africanus refert. quod iustum est: sicut & minuitur præstatio, si seruus deterior apud emptorem effectus sit, cùm euincitur. Illud expeditius videbatur: si mihi alienam aream vendideris, & in eam ego ædificauero, atque ita eam dominus euincat. nam quum possim petentem, nisi impensam ædificiorum soluat, doli mali exceptione submouere: magis est, vt ea res ad periculum venditoris non pertineat. quod & in seruo dicendum est, si in seruitute, non in libertate euincatur: vt dominus mercedis impensas præstare debeat. quòd si emptor non possideat ædificium, vel seruum: ex empto habebit actionem. in omnibus tamen his casibus, si sciens quis alienum vendiderit, omnino teneri debet. Superest tertia deliberatio, cuius debeat esse liberta Arescusa, quæ recusat emptorem? & non sine ratione dicetur, eius debere effici libertam, à quo védita est: quia & ipse ex empto actione tenetur. sed hoc ita, si non Arescusa elegerit emptoris patronatum. tunc enim illius remanet liberta, & ille ex empto actionem non habet: quia nihil eius interest, cùm eam liberam habeat. E

Ius superueniens creditori prodest emptori. Bartolus. F

XLVI. IDEM *lib.* XXIIII. *Quæstionum.*

SI quis alienam rem vendiderit, & medio tempore hæres domino rei exstiterit: cogetur implere venditioné.

Pœna in quam defunctus incidit, potest exigi ab hærede: & commissio pœnæ non impedit, quin possit peti pœna interesse, & vsura. Bartolus.

XLVII. IDEM *lib.* VI. *Responsorum.*

LVcius Titius accepta pecunia ad materias vendendas sub pœna certa ita vt si non integras præstiterit, intra statuta tempora in pœnam conueniatur: partim datis materiis decessit. cùm igitur testator in pœnam commiserit, neque eius hæres reliquam materiam exhibuerit: an in pœnam & in vsuras cõueniri possit, præsertim cùm emptor

ptor mutuatus pecuniam, vsuras grauissimas expédit? Pau
A lus respondit. Ex contractu, de quo quæratur, etiam hæredem venditoris in pœnam côueniri posse. in actione quoque ex empto, officio iudicis, post moram intercedentem, vsurarum precij rationem haberi oportere.

Venditor tenetur emptori instrumenta per quæ iura fundi declarantur ostendere, cum expediens fuerit. Bar.

XLVIII. SCAEVOLA *lib.* III. *Responsorum.*

Titius hæres Sempronij fundû Septicio vendidit ita, FVNDVS SEMPRONIANVS, ET QVIDQVID SEMPRONIANI IVRIS FVIT, ERIT TIBI EMPTVS TOT NVMIS: vacuamque possessionem tradidit, neque fines eius demon-
B strauit. quæritur, an empti iudicio cogendus sit ex instrumentis hæreditariis, & quid iuris defunctus habuit, & fines ostendere? Respondi. id ex scriptura præstãdum, quod sensisse intelliguntur. quod si non adpareat: debere venditorem, & instrumenta fundi, & fines ostendere. hoc etenim contractui bonæ fidei consonans esse.

Qui decepit emptorem supponendo colonum, hac actione tenetur ad interesse. Bar.

XLIX. HERMOGENIANVS *lib.* II. *iuris* ἐπιτομῶν.

Qui per collusionem imaginarium colonum circumueniendi emptoris caussa supposuit, ex empto tenetur: nec defenditur, si quo facilius excogitata
C fraus occultetur, colonum & quinquénij pensiones in suã fidem recipiat. Precij forte, licet post moram, soluta: vsuræ peti non possunt, cùm hæ non sint in obligatione, sed officio iudicis præstentur.

Liberato vno ex contrahentibus ex dispositione legali, alter effectualiter non tenetur. Item in contractibus nominatis habet locum condictio ob caussam, si ex dispositione legis non impleatur. Bar.

L. LABEO. *lib.* III. *Posteriorum à Iaboleno epitomatorum.*

Bona fides non patitur, vt cùm emptor alicuius legis beneficio pecuniam rei venditæ debere desiisset, antequàm res ei tradatur: venditor tradere compellatur, & re sua carere. possessione autem tradita futurum est, vt rẽ vẽditor eam amittat: vtpote cùm petẽti eam rem emptor ex-

 ceptionem

ceptionem rei venditæ & traditæ obiiciat: vt perinde habeatur, ac ſi petitor ei neque vendidiſſet, neque tradidiſſet. D

Mora debitoris non inſpicitur cùm etiam creditor eſt in mora. Bartolus.

LI. IDEM *lib.* V. *Poſteriorum à Iaboleno epitomatorum.*

SI & per emptorem & vẽditorem mora fuiſſet, quò minus vinum præberetur, & traderetur: perinde eſſe ait, quaſi ſi per emptorem ſolum ſtetiſſet. non enim poſſe videri moram per venditorem emptori factam eſſe, ipſo emptore poſteriorem moram faciente.

Vltima mora nocet, niſi dolus aduerſarii interceſſerit. Bar.

Quòd ſi fundum emiſti ea lege, vt des pecuniam kalendis Iuliis: & ſi ipſis kalendis per venditorem eſſet factum, quò minus pecunia ei ſolueretur: deinde per te ſtaret, quò E minus ſolueres: vti poſſe aduerſus te lege ſua venditorem dixit: quia in vendendo hoc ageretur, vt quandocumque per emptorem factum ſit, quò minus ei pecunia ſoluatur, legis pœnam patiatur. hoc ita verum puto, niſi ſi quid vẽditor in ea re dolo fecit.

Qui vendit iura actionis, debet emptori inſtrumenta oſtendere cùm ſibi opus erit. vel ſic: venditor tenetur exhibere emptori, cùm expedit inſtrumenta, quæ pertinent ad fundum. Bar.

LII. SCAEVOLA *lib.* VII. *Digeſtorum.*

CReditor fundum ſibi obligatum, cuius chirographa tributorum à debitore retro ſolutorum apud ſe depoſita habebat, vendidit ea lege Mæuio: vt ſi quid tributorum nomine debitum eſſet, emptor ſolueret. idem fundus ob cauſſam eorum tributorum, quæ iam ſoluta erant, à F conductore ſaltus, in quo idem fundus eſt, venit: eumq́ue idem Mæuius emit, & precium ſoluit. quæſitum eſt, an empti iudicio, vel aliqua actione emptor à venditore conſequi poſſit, vt ſolutionum ſuprà ſcriptarum chirographa dentur? Reſpondit. poſſe emptorem empti iudicio conſequi, vt inſtrumenta, de quibus quæreretur, exhibeantur.

Si filia ſe abſtineat ab hæreditate paterna, debet prædium dotale ab hærede defendi. Bar.

Prædium æſtimatum in dotem à patre filiæ ſuæ nomine datum, obligatum creditori deprehenditur. quæſitum eſt, an filius, qui hæreditatem patris retinet (cùm ab ea ſe filia abſti-

abstinuisset, dote contenta) actione ex empto teneatur,
A vt à creditore lueret, & marito liberum prædium præstaret? Respondit, teneri. Inter venditorem & emptorem *militiæ ita conuenit, vt salarium, quod debebatur ab illa persona, emptori cederet. quæsitum est, emptor militiæ quam quantitatem, à quo exigere, & quid ex eiusmodi pacto venditor emptori præstare debeat? Respondit. venditorem actiones extraordinarias eo nomine, quas haberet, præstare debere. Ante domum mari iniunctam molibus iactis pilam constituit: & vti ab eo possessa domus fuit, Caio Seio vendidit. quæro, an pila, quæ ab auctore domui coniuncta erat, ad emptorem quoque iure emptionis pertineat? Respondit. eodem iure fore venditam
B domum, quo fuisset prius, quàm veniret.

Qui vendit rem cum mercede debita, intelligitur debita venditori. Bartolus.

LIII. LABEO *lib.* I. πιθανῶν.

SI mercedem insulæ accessuram emptori dictum est: quanti insula locata est, tantum emptori præstetur. PAVLVS. imò si totam insulam eo nomine locaueris, vt amplius conductor locet, & in vendenda insula mercedem emptori cessuram esse dixeris: id accedet, quod tibi totius insulæ conductor debebit. Si eum fundum vendidisti, in quo sepulchrum habuisti, nec nominatim tibi se-
C pulchrum excepisti: parum tibi eo nomine cautum habes. PAVLVS. minimè: si modò in sepulchrum iter publicum transit. Si habitatoribus habitatio lege venditionis recepta est: omnibus in ea habitantibus, præter dominũ, rectè recepta habitatio est. PAVLVS. imò si cui in ea insula, quam vendideris, gratis habitationem dederis, & sic receperis, HABITATORIBVS, AVT IN QVAM QVISQVE DIEM CONDVCTVM HABET: parum caueris. nominatim enim de his recipi oportuit. itaque eos habitatores emptor insulę habitatione impune prohibebit.

Venditor circa rem venditam tenetur de dolo & culpa. & ideo quando ante venditionem culpatur, post venditionem punitur. Bar.

LIIII. IDEM *lib.* II. πιθανῶν.

Si ser-

**quamuis Iustin. dicat militũ salariũ ex sola principis liberalitate consistere Con. No. 53. tamen hic de militia collegiorum & corporum intelligit siue aduocatorũ ꝙ à corporib. & ciuitatibus debebatur.*

SI seruus tuus, quem vendideras, iussu tuo aliquid fecit, & ex eo crus fregit: ita demum ea res tuo periculo non est, si id imperasti, quod solebat ante venditionem facere: & si id imperasti, quod etiam non vendito seruo imperaturus eras. PAVLVS. minimè. nam si periculosam rem ante venditionem facere solitus est: culpa tua id factum esse videbitur. puta enim cum fuisse seruum, qui per κατάδρομον γεράνου descendere, aut in cloacam demitti solitus esset. idem iuris erit, si eam rem imperare solitus fueris, quam prudens & diligens paterfamiliâs imperaturus ei seruo non fuerit. Quid si hoc exceptum fuerit? tamen potes * ei seruo nouam rem imperare, quam imperaturus non fuisses si venisset: veluti si ei imperasti, vt ad emptorem iret, qui peregre esset. nam certè ea ratione tuo periculo esse non debet. itaque tota ea res ad dolum malum dũtaxat, & culpam venditoris dirigenda est. Si dolia octaginta accedere fundo, quæ in fossa essent, dictum erit: & plura erunt, quàm ad eum numerum: dabit emptori ex omnibus, quæ vult, dummodo integra det. si sola octaginta sint: qualiacumque sunt, emptorem sequentur: nec pro non integris quidquam ei venditor præstabit. D E

* Codex Medi. habet Quod si hoc excep. fu. non potes.

Valet venditio serui qui est apud hostes: & differtur præstatio donec redeat. Bar.

LV. POMPONIVS *lib.* X. ἐπιστολῶν.

SI seruus, qui emeretur, vel promitteretur, in hostiũ potestate esset: Octauenus magis putabat, valere emptionem, & stipulationem: quia inter ementem & vendentem esset commercium. potius enim difficultatem in præstando eo inesse, quàm natura: etiam si officio iudicis sustinenda esset eius præstatio, donec præstari possit. F

LOCATI ET CONDVCTI.
Tit. II.

PAVLVS *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

LOcatio & conductio cùm naturalis sit, & omnium gentium: non verbis, sed consensu contrahitur, sicut emptio & venditio.

II. CAIVS

II. CAIVS *lib.* II. *rerum quotidianarum.*

A LOcatio & conductio proxima est emptioni & venditioni, iisdemque iuris regulis* constitit. nã vt emptio & venditio contrahitur, si de precio conuenerit: sic & locatio & conductio contrahi intelligitur, si conuenerit de mercede. Adeò autem familiaritatem aliquam habere videntur emptio & venditio, item locatio & conductio: vt in quibusdam quæri soleat, vtrum emptio & venditio sit, an locatio & conductio. vt ecce si cum aurifice conuenerit, vt ex auro suo annulos mihi faceret certi ponderis, certæque formæ: & is acceperit (verbi gratia) trecenta: vtrum emptio & venditio sit, an locatio & conductio? sed placet vnum esse negocium, & magis emptionem & ven-
B ditionem esse. quod si ego aurum dedero, mercede pro opera constituta: dubium non est, quin locatio & conductio sit.

*al. cõsistit.

III. POMPONIVS *lib.* IX. *ad Sabinum.*

CVm fundus locetur, & æstimatum instrumentum colonus accipiat: Proculus ait id agi, vt instrumentum emptum haberet colonus: sicuti fieret, cùm quid æstimatum in dotem daretur.

Voluntas morte finitur. Bart.

IIII. IDEM *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

LOcatio, precariiúe rogatio ita facta, quoad is, qui eam locasset, dedissétue, vellet: morte eius, qui locauit, aut
C dedit, tollitur.

Licet remittatur pensio ex postfacto, contractus tamen non resoluitur, licet ex eo agi potest ex vtraque parte. Paulus.

V. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

SI tibi habitationem locauero, mox pensionem remittã: ex locato & conducto agendum erit.

Conductor agit ad interesse contra locatorem, si ille qui ab eo cõduxit, vti prohibeatur, in quantum sibi obligatus est, deducta mercede primo locatori debita. Pau.

VI. CAIVS *lib.* X. *ad edictum prouinciale.*

IS qui rem conduxit, non cogitur restituere id, quod rei nomine furti actione consecutus est.

Si conductor re conducta vti prohibeatur, agit actione ex conducto ad interesse. Bar.

VII. PAVLVS *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

SI tibi alienam insulam locauero quinquaginta, tuq; eã- D
dem sexaginta Titio locaueris, & Titius à domino ꝓhibitus fuerit habitare: agẽte te ex cõducto, sexaginta cõsequi debere placet: quia ipse Titio teneris in sexaginta.

VIII. TRIPHONINVS. *lib.* VIII. *Disputationũ.*

NOs videamus, ne nõ sexaginta prę̃stãda, nec quinquaginta sint, sed quãti interest perfrui conductoré. tantum deniq; consequetur medius, quantũ præstare debebat ei, qui à se conduxerat: quoniam emolumentum conductionis ad comparationem vberioris mercedis computatum, efficit maiorem condemnationem. & tamen primus locator reputationem habebit pro quinquaginta, quæ ab illo perciperet, si dominus insulæ habitare nouissimum conductorem non vetuisset. quo iure vtimur. E

Si conductor non potest vti re conducta: potest agere vt sibi frui liceat. locator verò liberatur præstando interesse vel æquè commodã habitationem. Bartolus.

IX. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

SI quis domum bona fide emptam, vel fundum locauerit mihi, isq́ue sit euictus sine dolo malo culpáve eius: Pomponius ait, nihilominus eum teneri ex cõducto ei, qui conduxit: vt præstetur ei frui, quod conduxit, licere. planè si dominus non patiatur, & locator paratus sit aliam habitationem non minus commodam præstare: æquissimum esse ait, absolui locatorem.

Si conductor desinit posse vti re absque culpa locatoris, fit ei remissio mercedis. si verò culpa locatoris interuenit, ad totale interesse tenetur. Bartolus. F

Huic subiungi potest, quod Marcellus libro sexto Digestorũ scribit. si fructuarius locauerit fundũ in quinquénium, & decesserit: hęredé eius nõ teneri, vt frui pręstaret: nõ magis, quàm vt insula exusta teneretur locator conductori. sed an ex locato teneatur cõductor, vt pro rata tẽporis, quo fruitus est, pensionem præstet, Marcellus quærit: queádmodum præstaret, si fructuarij serui operas conduxisset, vel habitationé? & magis admittit teneri eum. & est æquissimum. Idem quærit. si sumptus fecit in fundum, quasi quinquénio fruiturus: an recipiat? & ait, nõ recepturũ: quia

quia hoc euenire posse, prospicere debuit. quid tamẽ, si nõ A quasi fructuarius ei locauit, sed quasi fundi dominus? videlicet tenebitur. decepit enim conductorẽ. & ita Imperator Antoninus cũ diuo Vero rescripsit. In exustis quoque ędibus eius tẽporis, quo ædificiũ stetit, mercedẽ præstãdam rescripserunt. Iulianus libro decimoquinto Digestorũ scripsit, si quis fundũ locauerit, vt etiã si quid vi maiore accidisset, hoc ei præstaretur: pacto standum esse.

Si colonis prædiorum lege locationis, vt innocentem ignem haberent, denunciatum sit: siquidem fortuitus casus incendij caussam intulerit: nõ præstabit periculum locator. si verò culpa locatoris, quam præstare necesse est, damnum fecerit: tenebitur.

B *Pro tempore quo conductor non potest vti re, fit remissio mercedis non solutæ, & soluta repetitur. Bartolus.*

Imperator Antoninus cũ patre, cùm grex esset abactus, quem quis cõduxerat, ita rescripsit. si capras latrones citra tuã fraudem abegisse probari potest: iudicio locati casum præstare nõ cogeris: atq; adeo temporis, quod insecutum est, mercedes vt indebitas recuperabis. Celsus etiã imperitiã culpæ adnumerandã libro octauo Digestorũ scripsit. puta si quis vitulos pascendos, vel sarciendũ quid, poliendúmve conducit: culpã eum præstare debere. & quod imperitia peccauit, culpã esse. quippe vt artifex (inquit) cõduxit. Si alienã domum mihi locaueris, eaq; mihi donaC ta, vel legata sit: nõ teneri me tibi ex locato ob pensionem. sed de tempore præterito videamus, si quid ante legati diẽ pensionis debeatur. & puto soluendum.

X. IVLIANVS *lib.* 11. *ad Vrseium Ferocem.*

ET ego ex cõducto rectè agã vel in hoc, vt me liberes.

Conductor tenetur locatori de aliis secum habitantibus, si in culpa fuerit malos homines inducendo in domum. Bartolus.

XI. VLPIANVS *lib.* XXXIII. *ad edictum.*

VIdeamus, an & seruorum culpã, & quoscunq; induxerit, præstare cõductor debeat: & quatenus præstet, vtrũ vt noxæ seruos dedat. an verò suo nomine teneatur. sed & aduersus eos, quos induxerit, vtrũ præstabit tantùm actiones: an quasi ob propriam culpã tenebitur? mihi itaque placet, vt culpã etiam eorũ, quos induxit, præstet suo nomine,

nomine,& si nihil conuenit: si tamen culpã in inducendis admisit,quod tales habuit,vel suos,vel hospites.& id Põponius libro sexagesimo tertio adprobat. Si hoc in locatione cõuenit, IGNEM NE HABETO, & habuit: tenebitur,etiã si fortuitus casus admisit incẽdium: quia nõ debuit ignem habere.aliud enim est ignẽ innocentem habere.permittit enim habere, sed innoxium ignem. Item prospicere debet cõductor, ne aliquod rei ius vel corpus deterius faciat, vel fieri patiatur. Qui vinũ de Campania trãsportandũ conduxit, deinde mota à quodã controuersia,signatũ suo & alterius sigillo in apotheca deposuit: ex locato tenetur, vt locatori possessionẽ vini sine cõtrouersia reddat: nisi culpa caret cõductor. Inter cõductorem & locatorem cõuenerat, ne in villa vrbana fœnũ poneretur.posuit.deinde seruus igne illato succendit.ait Labeo,teneri conductorem ex locato: quia ipse caussam prębuit inferendo fœnum contra conductionem. D E

XII. HERMOGENIANVS *lib. II. iuris* ἐπιτομῶν.

SEd & si quilibet extraneus ignem iniecerit, damni ratio locati iudicio habebitur.

XIII. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

ITem quæritur: si cisiarius, dum cæteros trãsire contẽdit,cisium euertit,& seruum quassauit,vel occidit.puto ex locato esse in eum actionẽ. temperare enim debuit. sed & vtilis Aquiliæ dabitur. Si nauicularius onus Minturnas vehendũ conduxerit,& cũ Minturnense flumen ea nauis subire nõ posset,in aliã nauẽ merces transtulerit, eaque nauis in hostio fluminis perierit: tenetur primus nauicularius. Labeo,si culpa caret,nõ teneri ait.cęterũ si vel inuito domino fecit,vel quo nõ debuit tẽpore, aut si minus idoneæ naui: tunc ex locato agendũ. Si magister nauis sine gubernatore in flumẽ nauem miserit, & tẽpestate orta tẽperare nõ potuit,& nauẽ perdiderit: vectores habebunt aduersus eum ex locato actionẽ. Si quis seruũ docendũ conduxerit,eumq; duxerit peregre, & aut ab hostibus captus sit,aut perierit: ex locato esse actionẽ placuit: si modò nõ sic conduxit,vt peregre duceret. Itẽ Iulian⁹ libro octogesimosexto Digestorũ scribit. si sutor puero parum bene facienti, forma calcei tam vehemẽter ceruicem percusserit, F

C.l.5. ad fi. ad leg. Aquil.

cusserit, vt ei oculus effunderetur: ex locato esse actionem
A patri eius. quãuis enim magistris leuis castigatio †concessa sit: tamẽ hunc modũ non tenuisse. sed & Aquiliæ, vt suprà diximus. iniuriarũ autem actionem cõpetere, Iulianus negat: quia nõ iniuriæ faciendæ caussa hoc fecerit, sed præcipiendi. Si gemma includenda, aut insculpenda data sit, eaq; fracta sit: siquidem vicio materiæ factũ sit: non erit ex locato actio. si imperitia facientis: erit. huic sententię addendum est, nisi periculũ quoq; in se artifex receperit. tũc enim, & si vicio materiæ id euenerit, erit ex locato actio. †Quę castigationis modũ seruare præceptores oportet, pulchrè Quintilian. lib. 1. Insti. orat.

Si fullo vestimẽta polienda acceperit, eaq; mures roserint: ex locato tenetur, quia debuit ab hac re cauere. & si pallium fullo permutauerit, & alij alterius dederit: ex locato actione tenebitur, etiam si ignarus fecerit. Exercitu
B veniente migrauit cõductor. deinde hospitio milites fenestras, & cætera sustulerũt. si domino nõ denunciauit, & migrauit: ex locato tenebitur. Labeo etiã, si resistere potuit, & non restitit, teneri ait. quæ sententia vera est. sed si denunciare nõ potuit: non puto eũ teneri. Si quis mẽsuras cõduxerit, easq; magistratus frangi iusserit: siquidem iniquæ fuerunt: Sabinus distinguit, vtrũ sciit conductor, an non. si sciit: esse ex locato actionẽ. si minus: nõ. quod si ęquę sunt: ita demũ eum teneri, si culpa eius id fecit ædilis. & ita Labeo & Mela scribunt. Duo rei locationis in solidũ esse possunt. Si in lege operis locandi cõprehensum esset, vt
C si ad diem effectum nõ esset, alij relocare id liceret: nõ aliâs prior cõductor ex locato tenebitur, quàm si eadem lege relocatum esset: nec antè relocari id potest, quàm dies efficiendi præterisset. Qui impleto tẽpore conductionis remansit in cõductione: non solũ reconduxisse videbitur, sed etiã pignora videntur durare obligato. sed hoc ita verum est, si nõ alius pro eo in priore cõductione res obligauerat. huius enim nouus consensus erit necessarius. eadẽ caussa erit, & si reipublicæ prædia locata fuerint. Quod autem diximus, taciturnitate vtriusq; partis colonum reconduxisse videri, ita accipiendũ est: vt in ipso anno, quo tacuerunt, videatur eandem locationẽ renouasse, nõ etiam in sequẽtibus annis, & si lustrũ fortè ab initio fuerat conductioni præstitutũ. sed si secundo quoq; anno post finitũ

lustrum

lustrum nihil fuerit contrariū actum: eandem videri locationem & in illo anno permansisse. hoc enim ipso, quod tacuerunt, consensisse videtur. & hoc deinceps in vnoquoq; anno obseruandū est. In vrbanis autē prędiis alio iure vtimur: vt prout quisq; habitauerit, ita obligetur: nisi in scriptis certū tempus conductionis comprehensum est. D

XIIII. IDEM *lib.* LXXI. *ad edictum.*

QVi ad certū tempus conducit, finito quoq; tempore colonus est. intelligitur enim dominus, cū patitur colonum in fundo esse, ex integro locare: & huiusmodi cōtractus, neque verba, neque scripturas vtique desiderant, sed nudo consensu cōualescunt. & ideo si interim dominus furere cœperit, vel decesserit: fieri nō posse Marcellus ait, vt locatio redintegretur. & hoc verum est. E

XV. IDEM *lib.* XXXII. *ad edictum.*

EX conducto actio conductori datur. competit autem ex his caussis ferè. vtputa si re, quā conduxerat, frui ei non liceat: fortè quia possessio ei aut totius agri, aut partis non præstatur, aut villa nō reficitur, vel stabulum, vel vbi greges eius stare oporteat. sed & quod in lege conductionis conuenit, si hoc non præstatur: ex conducto agetur.

Si vis tempestatis calamitosæ cōtigerit: an locator cōductori aliquid præstare debeat, videamus. Seruius omnē vim, cui resisti nō potest, dominum colono præstare debere ait: vtputa fluminis, graculorum, sturnorū, & si quid simile acciderit: aut si incursus hostium fiat. †si qua tamē vitia ex ipsa re oriātur, hæc damno coloni esse: veluti si vinum coacuerit, si raucis†, aut herbis segetes corruptæ sint. Sed & si labes facta sit, omnemq́ue fructū tulerit: damnum coloni non esse, ne supra damnum seminis mercedes agri præstare cogatur. sed & si vredo fructum oliuæ corruperit, aut solis feruore non assueto quid acciderit: damnum domini futurum esse. si verò nihil extra consuetudinem acciderit: damnum coloni esse. idemq́ue dicendum esse, si exercitus præteriens per lasciuiā aliquid abstulerit. sed si ager terræmotu ita corruerit, vt nusquā sit: dāno domini esse. oportere enim agrum præstari conductori, vt frui possit. Cūm quidā incendium fundi allegaret, & remissionē desideraret, ita ei rescriptū est. si prædiū coluisti: propter casum F

†*Plinius lib.18. na. hist. c.17.*
†*al. runcis*

casum incẽdij repẽtini, nõ immeritò subueniendũ tibi est.

A *Verba accipiuntur secundum naturam contractus, & sic verba debent intelligi secundum subiectam materiam. Bartolus.*

Papinianus lib. quarto Responsorũ ait. si vno anno remissionẽ quis colono dederit ob sterilitatẽ, deinde sequẽtib' annis cõtingat vbertas: nihil obesse domino remissionem: sed integrã pensionẽ etiã eius anni, quo remiserit, exigendã. hoc idem & in vectigalis agri dãno respondit. sed & si verbo donationis dominus ob sterilitatem anni remiserit: idem erit dicendum: quasi non sit donatio, sed transactio. quid tamen, si nouissimus erat annus sterilis, in quo ei remisit? verius dicetur, si superiores vberes fuerunt, & scit locator: non debere eum ad cõputationem vocari.

B *Licet sterilitas tribuat remissionem, secus tamen in exiguitate fructuum. Bartolus.*

Cùm quidam de fructuum exiguitate quereretur: non esse rationem eius habendam, rescripto diui Antonini cõtinetur. Item alio rescripto ita continetur. nouam rem desideras, vt propter vetustatem vinearũ remissio tibi detur.

Casus contingens ex parte locatoris, propter quem impeditur vsus conductoris, inducit repetitionem mercedis. Bartolus.

Item cùm quidã naue amissa vecturam, quã pro inuecto nauta acceperat, repeteret: rescriptũ est ab Antonino Augusto, nõ immerito procuratorem Cæsaris vecturã ab eo repetere, cũ munere vehendi functus nõ sit. quod in omnibus
C personis similiter seruandũ est. Vbicunq; tamen remissiõis ratio habetur ex caussis suprà relatis: nõ id, quod sua interest, conductor consequitur, sed mercedis exonerationem pro rata. denique supra damnum seminis ad colonum pertinere declaratur. planè si dominus fortè frui non patiatur: vel cùm ipse locasset, vel cùm alius alienum, vel quasi procurator, vel quasi suũ: quod interest præstabitur. & ita Proculus in procuratore respondit.

Pupillus restitutus vt adeat, agit vt à locatione defuncti liberetur, si res alii locata erat: sed contra tutorem habet regressum, si fuit in culpa abstinendi. Bartolus.

Interdum ad hoc ex locato agetur, vt quis locatione liberetur, quemadmodũ Iulianus libro decimoquinto Digestorum scripsit. vtputa fundum Titio locaui, isque pu-

pillo hærede inſtituto deceſſit. & cùm tutor conſtituiſſet abſtinere pupillum hæreditate, ego fundũ pluris locaui. deinde pupillus reſtitutus eſt in bona paterna. ex cõducto nihil amplius eum conſecuturum, quàm vt locatione liberetur. mihi enim iuſtam cauſſam fuiſſe locandi. D

XVI. IVLIANVS *lib.* XV. *Digeſtorum.*

CVm eo tẽpore in pupillũ actiones nullæ darentur.

XVII. VLPIANVS *lib.* XXXIII. *ad edictum.*

TVtelæ tamen cum tutore iudicio (inquit) agetur, ſi abſtinere eum non debuit.

XVIII. IVLIANVS *lib.* XV. *Digeſtorum.*

IN quo etiam hoc inerit, quod ex conductione fundi lucrum facere potuit.

XIX. VLPIANVS *lib.* XXXIII. *ad edictum.* E

SEd addes hoc Iuliani ſententię: vt ſi colluſi ego cũ tutore, ex conducto tenear in id, quod pupilli interfuit. | Si quis dolia vicioſa ignarus locauerit, deinde vinũ effluxerit: tenetur in id, quod intereſt: nec ignorantia eius erit excuſata, & ita Caſſius ſcripſit. aliter atque ſi ſaltũ paſcuũ locaſti, in quo herba mala naſcebatur. hic enim ſi pecora vel demortua ſint, vel deteriora facta: quod intereſt, præſtabitur, ſi ſciſti. ſi ignoraſti: penſionem nõ petes. & ita Seruio, Labeoni, Sabino placuit.

Locator fundi tenetur præſtare colono inſtrumẽta fructuũ liquidorum quærendorum cauſſa neceſſaria: niſi aliter actum ſit. Bar.

Illud nobis videndum: ſi quis fundũ locauerit, quæ ſoleat inſtrumenti nomine conductori præſtare: quæ ſi non præſtet, ex locato teneatur. & eſt in epiſtola Neratij ad Ariſtonem. dolia vtique colono præſtanda eſſe, & prælum, & trapeta inſtructa funibus. ſi minus: dominum inſtruere ea debere. ſed & prælum, & trapetum viciatum, dominum reficere debere. quòd ſi culpa coloni quid eorum corruptum ſit: ex locato eum teneri. fiſcos autẽ, quibus ad premẽdam oleam vtimur, colonum ſibi parare debere. † quòd ſi regulis olea prematur: & prælum, & ſuculam, & regulas, & tympanum, & trochleas, quibus releuetur prælum, dominum præſtare oportere. Item aënum, in quo oliua calida aqua lauaretur, & cætera vaſa olearia, dominum parare oportere: ſicuti dolia quoque vinaria ad præſentem vſum F

† In hũc locũ Plinius nat. hiſto. lib. 15. ca. 6. & 7.

colono

colono picare oportet. hęc autem omnia sic sunt, nisi quid aliud specialiter actum sit.

A *Potest solui vna quantitas pro alia, si hoc dictum sit & sub æstimatione eius quod dictum est. Bartolus.*

Si dominus exceperit in locatione, vt frumenti certum modum certo precio acciperet: & dominus nolit frumentum accipere, neque pecuniã ex mercede deducere: potest quidem totã summam ex locato petere. sed vtique consequens est existimare, officio iudicis hoc cóuenire: haberi rationem, quãto conductoris interesit, in fruméto potius, quàm in pecunia soluere pensionis exceptam portionem. simili modo & si ex conducto agatur, idem erit dicendum.

B Si inquilinus hostium, vel quædam alia ædificio adiecerit: quæ actio locum habet? & est verius, quod Labeo scripsit: cópetere actionem ex conducto, vt ei tollere liceat. sic tamen, vt dãni infecti caueat: nedum aufert, in aliquo deteriorem caussam ædium faciat. sed & vt pristinam faciem ædium reddat. Si inquilinus arcam æratam in ædes intulerit, & ædium dominus aditũ coangustauerit: verius est ex conducto eum teneri, & ad exhibendũ actione: siue scit, siue ignorauit. officio autem iudicis continetur, vt cogat eum aditum & facultatem inquilino præstare ad arcam tollendam, sumptibus scilicet locatoris. Si quis, cũ in annum habitationem conduxisset, pensionem totius anni dederit: deinde insula post sex menses corruerit, vel incendio consumpta sit: pensionem residui temporis rectissime Mela scripsit, ex conducto actione repetiturum, nec quasi indebitum condicturum. non enim per errorem dedit plus, sed vt sibi in caussa conductionis prospiceret. aliter atque si quis, cùm decem conduxisset, quindecim soluerit. hic enim si per erroré plus soluit, dum putat se quindecim conduxisse: actionem ex conducto non habebit, sed solam códictionem. nam inter eum, qui per errorem soluit, & eum, qui pensionem integrã prærogauit, multum interest. Si quis mulierem vehendam naue conduxisset, deinde in naue infans natus fuisset: probandum est, pro infante nihil deberi: cùm neque vectura eius magna sit, neque his omnibus vtatur, quæ ad nauigantium vsum parantur. Ex códucto actioné etiã ad hæredé trãsire, palã est.

C

Casus contingens in personam cõductoris eum non liberat à mercede, nisi locator alii suas operas locet. Bar. D

Cùm quidam exceptor operas suas locasset, deinde is, qui eas conduxerat, decessisset: Imperator Antoninus cum diuo Vero rescripsit ad libellũ exceptoris in hæc verba. cùm per te non stetisse proponas, quò minus locatas operas Antonio Aquilio solueres: si eodem anno mercedes ab alio non accepisti, fidem contractus impleri æquum est. Papinianus quoque libro tertio Responsorum scripsit, diem functo legato Cæsaris, salarium comitibus residui temporis præstandum: modò si non postea comites cum aliis eodem tempore fuerint.

Cap.4.de off. adsessorum.

Si venditor locat rem vẽditam emptori, quoad precium soluatur, solus conductor obligatur. Bartolus. E

XX. PAVLVS *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

SIcut emptio, ita & locatio sub conditione fieri potest: sed donationis caussa contrahi non potest. Interdũ locator non obligatur, cõductor obligatur: veluti cùm emptor fundum conducit, donec precium exsoluat.

XXI. IABOLENVS *lib.* XI. ἐπιστολῶν.

CVm venderem fundum, conuenit, vt donec pecunia omnis persolueretur, certa mercede emptor fundum conductum haberet. an soluta pecunia, merces acceptò fieri debeat? respondi. bona fides exigit, vt quod conuenit, fiat. sed non amplius præstat is venditori, quàm pro portione eius temporis, quo pecunia numerata non est. F

XXII. PAVLVS *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

ITem si precio non soluto inempta res facta sit: tunc ex locato erit actio. Quoties etiam faciendum aliquid datur, locatio est. Cùm insulam ædificandam loco, vt sua impensa conductor omnia faciat: proprietatem quidem eorum ad me transfert, & tamen locatio est. locat enim artifex operam suam, id est, faciendi necessitatem. Quemadmodum in emendo & vendendo naturaliter concessum est, quod pluris sit, minoris emere, quod minoris sit, pluris vendere, & inuicem se circumscribere: †ita & in locationibus quoque & cõductionibus idem iuris est.

†Ne quis tamen in negocio circũueniat fratrẽ, verũ Paul. 1. Thes. 4.

XXIII. HERMOGENIANVS *lib.* II. *iuris* ἐπιτομῶν.

Et ideo

A ET ideo prætextu minoris pensionis locatione facta, si nullus dolus aduersarij probari possit, rescindi locatio non potest.

Quod cōmittitur alterius arbitrio, intelligitur de arbitrio boni viri. Itē qui habet arbitriū super facto, nō intelligitur habere super termino facti. Item arbitriū dolose latum, nullius est momenti. Bar.

XXIIII. PAVLVS *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

SI in lege locationis comprehensum sit, vt arbitratu domini opus adprobetur: perinde habetur, ac si viri boni arbitrium comprehensum fuisset. idemque seruatur, si alterius cuiuslibet arbitrium comprehensum sit. nam fides bona exigit, vt arbitrium tale præstetur, quale viro bono conuenit. idque arbitrium ad qualitatem operis, non ad
B prorogandum tempus, quod lege finitum sit, pertinet: nisi idipsum lege comprehensum sit. quibus consequens est, vt irrita sit adprobatio dolo conductoris facta, & ex locato agi possit. Si colonus locauerit fundum, res posterioris conductoris domino non obligantur: sed fructus in caussa pignoris manent, quemadmodum & si primus colonus eos percepisset.

Quando obligatio committitur propter non factum ab initio, & certum est non posse fieri ex post facto: statim agitur ad totale interesse, vt in contractibus bonæ fidei. Bartolus.

Si domus vel fundus in quinquennium pensionibus locatus sit: potest dominus, si deseruerit habitationem vel
C fundi culturam colonus vel inquilinus, cum eis statim agere. sed & de his, quæ præsente die præstare debuerunt: veluti vt opus aliquod efficerent, vel propagationes facerent: agere similiter potest.

Quando obligatio committitur ad interesse propter maleficium, ab ipso initio potest agi ad totale interesse, si illud maleficium suum effectum porrigit ad totum tempus. Item mora potest purgari intra paucos dies. Bartolus.

Colonus, si ei frui non liceat, totius quinquennij nomine statim rectè aget: & si reliquis annis domin' fundi frui patiatur. nec enim semper liberatur dominus, eo quod secundo vel tertio anno patiatur fundo frui. nam & qui expulsus à conductione, in aliam se coloniam contulerit, non suffecturus duabus: neque ipse pēsionum nomine ob-

ligatus erit,& quantũ per singulos annos cōpendij facturus erat,consequetur. sera est enim patientia fruendi, quæ offertur eo tēpore,quo frui colonus,aliis rebus illigatus, nō potest.quod si paucis diebus prohibuit, deinde pœnitentiam egit,omniaq; colono in integro sunt:nihil ex obligatione paucorũ dierum mora minuet.item ex conducto vtiliter aget is,cui secundum conuentionem non præstantur,quæ conuenerant: siue prohibeatur frui à domino, siue ab extraneo, quē dominus prohibere potest. Qui in plures annos fundũ locauerat,testamento suo dãnauit hæredem,vt conductores liberaret. si nō patiatur hæres eum reliquo tempore frui:est ex conducto actio.quod si patiatur,nec mercedes remittat: ex testamento tenetur. D

Si committitur merces arbitrio incertæ personæ, non valet. idem si certæ quæ noluit arbitrari,vel non potuit. Bartolus. E

XXV. CAIVS *lib. x. ad edictum prouinciale.*

SI merces promissa sit generaliter alieno arbitrio: locatio & conductio contrahi non videtur. sin autem quanti Titius æstimauerit : sub hac conditione stare locationem,vt siquidem ipse,qui nominatus est, mercedem definierit: omnimodo secundum eius æstimationem, & mercedem persolui oporteat,& conductionem ad effectũ peruenire.sin autē ille vel noluerit,vel non potuerit mercedem definire:tunc pro nihilo esse conductionem, quasi nulla mercede statuta.

Si emptor repellit conductorem,venditor tenetur ei ad interesse. Bartolus. F

Qui fundum fruendũ,vel habitationē alicui locauit: si aliqua ex caussa fundum vel ædes vendat:curare debet, vt apud emptorem quoque eadem pactione & colono frui,& inquilino habitare liceat.alioquin is prohibitus, aget cum eo ex conducto.

Si habitatio incommodatur,licet inquilino recedere: & ad pensionem pro rata tenetur. Bartolus.

Si vicino ędificãte obscurētur lumina cœnaculi:teneri locatorē inqlino.certè qn liceat colono vel inqlino relinquere cōductionē,nulla dubitatio est.de mercedib⁹quoq;, si cũ eo agat̃,reputatiōis ratio habēda est.eadē ĩtelligem⁹, si hostia fenestrásve nimiũ corruptas locator nō restituat.

Conductor

Conductor fundi tenetur omnia facere, quæ secundum consuetudi
A *nem locorum requiruntur.* Bartolus.

Conductor omnia secundum legem conductionis facere debet, & ante omnia colonus curare debet, vt opera rustica suo quæque tempore faciat: ne intempestiua cultura deteriorem fundum faciat. præterea villarum curam agere debet, vt eas incorruptas habeat.

Damnum quod quis patitur ab inimicis propriis: sui culpa pati intelligitur. Bartolus.

Culpæ auté ipsius & illud adnumeratur, si propter inimicitias eius vicinus arbores exciderit. ipse quoq;, si exciderit, nó solũ ex locato tenetur, sed etiã lege Aquilia, & ex lege duodecim tabularũ arborum furtim cæsarũ, & inter-
B dicto quod vi aut clã. sed vtiq; iudicis, qui ex locato iudicat, officio cõtinetur: vt cæteras actiones locator omittat.

Pro damno intolerabili fit remißio mercedis conductori: secus si sit damnum modicum. quia tunc non fit remißio, sicut nec augetur pensio propter modicum augmentum: & hoc non habet locum in colono partiario. Bartolus.

Vis maior, q̃ Græci θεȣ̃ βίαν appellant, non debet cõductori damno esse: si plus, quàm tolerabile est, læsi fuerint fructus. alioquin modicũ damnũ æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur. adparet autem de eo nos colono dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit. alioquin partiarius colonus, quasi iure societa-
C tis, & damnum, & lucrum cum domino fundi partitur.

Qui locat operas suas tanquam artifex, tenetur de damno contingente ex culpa leuißima illius, vel illorum quorum opera vtitur. Paulus de castro.

Qui colũnã transportandã cõduxit: si ea, dũ tollitur aut portatur, aut reponitur, fracta sit: ita id periculũ præstat, si qua ipsius, eorũve, quorũ opera vtitur, culpa acciderit. culpa auté abest, si omnia facta sunt, quę diligẽtissimus quisq; obseruaturus fuisset. Idé sanè intelligemus, & si dolia, vel tignũ transportandũ aliquis conduxerit. idémq; etiã ad cęteras res trãsferri potest. Si fullo aut sarcinator vestimenta perdiderit, eóque nomine domino satisfecerit: necesse est domino, vindicationé eorum, & condictionem cedere.

XXVI. VLPIANVS *lib.* II. *Disputationum.*

 In ope-

IN operis duobus simul locatis, conuenit priori conductori antè satis fieri. D

Modica incommoditas conductoris non inducit veram remissionem mercedis. Bartolus.

XXVII. ALFENUS *li. II. Digestorũ à Paulo epitomatorũ.*

HAbitatores non statim, si paulò minus commodè aliqua parte cœnaculi vterentur, deductionem ex mercede facere oportere. ea enim conditione habitatorem esse, vt si quid aduersarium incidisset, quamobrẽ dominum aliquid demoliri oporteret: aliquam partem incommodi paruulam sustineret. non ita tamen, vt eam partem cœnaculi dominus aperiat, in quam habitator magnam partem vsus haberet.

Iustus timor facit vt fiat mercedis remissio, licet non sit secutũ periculum: secus in timore iniusto, vel si inde non recesserit. Bartolus. E

Iterum interrogatus, si quis timoris caussa emigrasset, an deberet mercedem, nécne? respõdit. si caussa fuisset, cur periculum timeret: quamuis periculum verè non fuisset, tamen non debere mercedem. sed si caussa timoris iusta non fuisset: nihilominus debere.

XXVIII. IABOLENUS *li. III. ex posteriorib' Labeonis.*

QVòd si domus habitatione cõductor æquè vsus fuisset: præstaturum eius etiam domus mercedem, quæ vicium fecisset, putat. Idem iuris esse, si potestatem conducẽdi habebat, vt preciũ conductionis præstaret dominus. Sed & si locator conductori potestatẽ conducendæ domus nõ fecisset: & is, in qua habitaret, conduxisset: tantũ ei præstandũ putat, quantũ sine dolo malo præstitisset. Cæterùm si gratuitam habitationẽ habuisset: pro portione temporis ex locatione domus deducendum esse. F

Verbum ne, siue néue, important ne quis faciat: & quod curet, ne per alium fiat.

XXIX. ALFENUS *lib. VII. Digestorum.*

IN lege locationis scriptum erat: REDEMPTOR SYLVAM NE CAEDITO, NÉVE CINGITO, NÉVE DEVRITO, NÉVE QVEM CINGERE, CAEDERE, VRERE SINITO. quærebatur, vtrum redemptor, si quem quid earum rerũ facere vidisset, etiam prohibere deberet: an etiam ita syluam custodire, ne quis id fa-

id facere possit? respondi. verbum SINERE vtraque habere
A significationem. sed locatorem potius id videri voluisse: vt redemptor non solùm, si quem casu vidisset syluam cædere, prohiberet: sed vti curaret & daret operam, ne quis etiam cæderet.

Refectio necessaria, quæ impedit habitationem conductoris, inducit remißionem mercedis pro rata: nō necessaria obligat locatorem ad interesse. Bartolus.

XXX. IDEM *lib.* III. *Digestorum à Paulo epitomatorum.*

Qui insulam triginta conduxerat, singula cœnacula ita locauit, vt quadraginta ex omnibus colligerentur, dominus insulæ, quia ædificia vicium facere diceret, demolierat eam. quæsitum est, quāti lis æstimari de-
B beret, si is, qui totam conduxerat, ex conducto ageret? respondit. si viciatum ædificium necessariò demolitus esset: pro portione, quāti dominus prædiorum locasset, quod eius temporis habitatores habitare non potuissent, rationem duci, & tanti litem æstimari. sin autem non fuisset necesse demoliri, sed quia melius ędificare vellet, id fecisset: quanti conductoris interesset, habitatores ne migrarent, tanti condemnari oportere.

Cōductori fit remißio mercedis pro rata temporis, quo re frui non potest, etiam si alteri gratis concesßit. Bartolus.

Aedilis in municipio balnea conduxerat, vt eo anno municipes gratis lauarēt. post tres menses incēdio facto com
C busta sunt. respondit. posse agi cum balneatore ex conducto, vt pro portione temporis, quo lauationem non præstitisset, pecuniæ contributio fieret. Qui mulas ad certum pondus oneris locarat: cùm maiore onere conductor eas rupisset, consulebat de actione. respōdit, vel lege Aquilia, vel ex locato rectè eum agere. sed lege Aquilia tantū cum eo agi posse, qui tum mulas egisset: ex locato, etiam si alius eas rupisset, cum conductore rectè agi.

Pensio quæ præstatur ad mensuram, tantùm pro rata operis facti peti potest. Bartolus.

Qui ædem faciendam locauerat, in lege dixerat: QVOD AD OPVS LAPIDIS ERIT, PRO LAPIDE ET MANVS PRECIO DOMINVS REDEMPTORI IN PEDES SINGVLOS SEPTENA DABIT.

quæsitum

quæſitum eſt, vtrum factum opus, an etiam imperfectum metiri oporteret? reſpondit. & imperfectum. D

Exceptio violentiæ intelligitur de ea, quæ infertur ab extraneo: non de ea, quæ à ſe vel à ſuis infertur. Bartolus.

Colonus villam hac lege acceperat, vt incorruptã redderet, præter vim & vetuſtaté. coloni ſeruus villam incendit non fortuito caſu. non videri eã vim exceptã reſpõdit: nec id pactum eſſe, vt ſi aliquis domeſticus eas incẽdiſſet, ne præſtaret: ſed extrariã vim vtroſq; excipere voluiſſe.

Actio oneris auerſi nõ habet locũ in re quæ remanet locatoris: & cum actione alia non concurrit. Item debitor quãtitatis reſpectu certæ ſpeciei liberatur ſi illa ſpecies caſu interiit. Bartolus.

XXXI. IDEM. *lib. V. Digeſtorum à Paulo epitomatorũ.*

IN naue Saupheij complures frumentum confuderant. E Saupheius vni ex his frumentum reddiderat de communi, eáq; nauis perierat. quæſitum eſt, an cæteri pro ſua parte frumenti cum nauta agere poſſent, oneris auerſi actione? Reſpondit. rerum locatarum duo genera eſſe: vt aut idem redderetur, ſicuti cùm veſtimenta fulloni curanda locarentur: aut eiuſdem generis, veluti cùm argentum puſtulatum fabro daretur, vt vaſa fierent: aut aurum, vt annuli. ex ſuperiore caſu rem domini manere, ex poſteriore in creditum iri. idem iuris eſſe in depoſito. nam ſi quis pecuniam numeratam ita depoſuiſſet, vt neque clauſam, neque obſignatam traderet, ſed adnumeraret: nihil aliud eum debere, apud quem depoſita eſſet, niſi vt tantundem pecuniæ ſolueret. F Secundum quæ videri triticum factum Saupheij, & rectè datum. Quòd ſi ſeparatum tabulis, aut centonibus, aut in alia cupa clauſum vniuſcuiuſque triticum fuiſſet, ita vt internoſci poſſet, quod cuiuſq; eſſet: non potuiſſe nos permutationem facere: ſed tunc poſſe eum, cuius fuiſſet triticum, quod nauta ſoluiſſet, vindicare. & ideo ſe improbare actiones oneris auerſi: quia ſiue eius generis eſſent merces, vt ſi nautæ traderentur, continuò eius fierent, & mercator in creditum iret: non videretur onus eſſe auerſum, quippe quod nautæ fuiſſet. ſiue eadem res, quæ tradita eſſet, reddi deberet: furti eſſe actionem locatori. & ideo ſuperuacuum eſſe oneris auerſi iudicium. Sed ſi ita datum eſſet, vt in ſimili re ſolui poſſet: conductorem culpam dumtaxat præſtare

ſtare debere. nam in re quæ vtriuſque cauſſa cōtraheretur,
A culpam deberi. neque omnimodo culpam eſſe, quod vni
reddidiſſet ex frumento: quoniam alicui primùm reddere
eum neceſſe fuiſſet, tametſi meliorem eius conditionem fa
ceret, quàm cæterorum.

Succeſſor ſingularis non tenetur ſtare colono, nec colonus ei. Bar.

XXXII. IVLIANVS *lib.* II. *ex Minicio.*

QVi fundum colendum in plures annos locauerat, deceſſit, & eum fundum legauit. Caſſius negauit poſſe cogi colonum, vt eum fundum coleret: quia nihil hæredis intereſſet. quod ſi colonus vellet colere, & ab eo, cui legatus eſſet fundus, prohiberetur: cum hærede actionem habere colonum, & hoc detrimentum ad hæredem pertinere: ſicuti ſi quis rem, quam vēdidiſſet, nec dum tradidiſſet, alij legaſſet: hæres eius emptori & legatario eſſet obligatus.

B (margin)

Si cōductor frui nō poteſt re abſq; culpa locatoris, fit remiſſio mercedis prata. ſi locatoris culpa interueniat, ad totale intereſſe tenetur. B.

XXXIII. AFRICANVS *lib.* VIII. *Quæſtionum.*

SI fundus, quem mihi locaueris, publicatus ſit: teneri te ex conducto actione, vt mihi frui liceat: quamuis per te non ſtet, quò minus id præſtes, quemadmodum (inquit) & ſi inſulam ædificandam locaſſes, & ſolum corruiſſet: nihilominus teneberis. nam & ſi vēdideris mihi fundum, iſque prius, quàm vacuus traderetur, publicatus fuerit: teneris ex empto. quod hactenus erit verum, vt precium reſtituas: non vt etiam præſtes, ſi quid pluris mea interſit, eum vacuum mihi tradi. ſimiliter igitur & circa conductionem ſeruādum puto: vt mercedem, quam præſtiterim, reſtituas: eius ſcilicet temporis, quo fruitus non fuerim: nec vltrà actione ex conducto præſtare cogeris. nā & ſi colonus tuus fundo frui à te, aut ab eo prohibeatur, quem tu prohibere, ne id faciat, poſſis: tantum ei præſtabis, quanti eius interfuerit frui. in quo etiam lucrum eius continebitur. ſin verò ab eo interpellabitur, quem tu prohibere propter vim maiorem, aut potentiam eius non poteris: nihil amplius ei, quàm mercedem remittere, aut reddere debebis.

C (margin)

XXXIIII. CAIVS *lib.* X. *ad edictum prouinciale.*

PErinde ac latronum incurſu id acciderit.

XXXV. AFRICANVS *lib.* VIII. *Quæstionum.*

ET hęc distinctio cōuenit illi, quę à Seruio introducta, & ab omnibus ferè probata est: vt si auersione insulam locatā dominus reficiendo, ne ea cōductor frui possit, effecerit: animaduertatur necessariò, nec ne, id opus demolitus sit. quid enim interest, vtrū locator insulæ propter vetustatē cogatur eam reficere, an locator fundi cogatur ferre iniuriā eius, quem prohibere non possit? intelligendum est autē nos hac distinctione vti de eo, qui & suum prędiū fruendū locauerit, & bona fide negociū cōtraxerit: nō de eo, qui alienū prædium per fraudem locauerit, nec resistere domino possit, quò minus is colonum frui prohibeat. D

Inter socios eiusdem rei si sit locatio alternis annis, habet locum actio ex locato, & etiam actio ex conducto: & illa quæ ex communione descendit. Bar. E

Fundū communem habuimus: & inter nos conuenit, vt alternis annis certo precio eū conductū haberemus. tu cū annus tuus exiturus esset, consultò fructum sequentis anni corrupisti. agā tecū duabus actionibus: vna ex conducto, altera ex locato. locati enim iudicio mea pars propria, cōducti autē actione tua dūtaxat propria in iudicium veniet. deinde ita notat. nōne quod ad meā partē attinebit, cōmuni diuidūdo iudicio pręstabitur à te mihi dānū? rectè quidē. sed tamen etiā Seruij sententiā verā esse puto: in eo scilicet, vt cū alterutra actione rē seruauerim, altera perimaт. quod ipsum simplicius quæremus ita: si proponatur inter duos, qui singulos proprios fundos haberent, conuenisse: vt alter alterius ita conductum haberet, vt fructus mercedis nomine pensarentur. F

XXXVI. FLORENTINVS *lib.* VII. *Institutionū.*

OPus, quod auersione locatum est, donec adprobetur, conductoris *periculo est. Quod verò ita conductū sit, vt in pedes mensurasúe præstetur: eatenus cōductoris periculo est, quatenus admensum nō sit: & in vtraq; caussa nociturū locatori, si per eum steterit, quò minus opus adprobetur, vel admetiatur. si tamē vi maiore opus prius interciderit, q̄ adprobaretur: locatoris periculo est, nisi si aliud actum sit. non enim amplius præstari locatori oporteat, quàm quod sua cura atque opera consecutus esset.

*al. periculum.

XXXVII.

XXXVII. IABOLENVS *lib.* VIII. *ex Cassio.*

A SI prius, quàm locatori probaretur, opus vi aliqua consumptum est: detrimentum ad locatorem ita pertinet, si tale opus fuit, vt probari deberet.

XXXVIII. PAVLVS *lib. Singulari Regularum.*

QVi operas suas locauit, totius temporis mercedē accipere debet: si per eum non steterit, quò minus operas præstaret. Aduocati quoq;, si per eos nō steterit, quò min⁹ caussā agāt, honoraria reddere nō debēt.

XXXIX. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

NOn solet locatio dominium mutare.

XL. CAIVS *lib.* X. *ad edictum prouinciale.*

QVi mercedem accepit pro custodia alicuius rei: is eius periculum pro custodia præstat.

B

XLI. VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

SEd de dāno ab alio dato, agi cū eo non posse, Iulianus ait. qua enim custodia consequi potuit, ne damnum iniuria ab alio *dari possit? sed Marcellus interdum agi posse ait: siue custodiri potuit, ne damnū daretur: siue ipse cū stos damnum dedit. quæ sententia Marcelli probanda est.

XLII. PAVLVS *lib.* XXXIII. *ad edictum.*

SI locatum tibi seruum subripias: vtrūque iudiciū aduersus te est exercendum, locati, & furti.

XLIII. IDEM *lib.* XXII. *ad edictum.*

C SI vulneraueris seruum tibi locatum: eiusdem vulneris nomine legis Aquiliç, & ex locato actio est. sed altetutra contentus actor esse debet: idque officio iudicis continetur, apud quem ex locato agetur.

** Vnde nō esse de altero temere affirmādū monet Cic. I. epistola ad Brutum.*

XLIIII. VLPIANVS *lib.* XVII. *ad edictum.*

LOcare seruitutem nemo potest.

XLV. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

SI tibi domum locauero, & serui mei tibi damnum dederint, vel furtum fecerint: non teneor tibi ex conducto, sed noxali actione.

Damnum datum ab homine locato non venit in hac actione, sed locatori nil potest imputari. Bar.

Si hominē tibi locauero, vt habeas in taberna, & is furtum fecerit: dubitari potest, vtrum ex conducto actio sufficiat, quasi longè sit à bona fide, vt quid patiaris detrimēti per

ti per eam rem, quam conduxisti: an adhuc dicendum sit, extra caussam conductionis esse furti crimé, & in propriã persecutionem cadere hoc delictum. quod magis est. D

XLVI. VLPIANVS *lib. LXX. ad edictum.*

SI quis conduxerit numo vno, cõductio nulla est: quia & hoc donationis instar inducit.

Ex hoc contractu possunt constitui duo rei, nec habebunt beneficium diuisionis secundum ista tempora, sed beneficium cessionis sic.

XLVII. MARCELLVS *lib. VII. Digestorum.*

CVm adparebit emptorem conductoremúe pluribus vendentem vel locantem, singulorum in solidum intuitum personam: ita demum ad præstationem partis singuli sunt compellendi, si constabit omnes esse soluendo. quãquã fortasse iustius sit, (etiã si soluendo omnes erunt) electioné conueniendi, quem velit, non auferendã actori: si actiones suas aduersus cæteros præstare non recuset. E

Potest quis locare quod conduxerat: & in hac actione contra non restituentem iuratur in litem. Bar.

XLVIII. IDEM *lib. VIII. Digestorum.*

SI cui locauero faciendum, quod ego conduxeram: cõstabit habere me ex locato actionem. Qui seruũ cõductum, vel aliam rem non immobilem nõ restituit: quãti in litem iuratum fuerit, damnabitur.

XLIX. MODESTINVS *lib. VI. Excusationum.*

ΟἹ ἐπίτροποι γενόμενοι ἢ κουράτορες, πρὶν ἐκτίσαι τὸ τῆς κηδεμονίας, μισθωταὶ τῶν τοῦ Καίσαρος χωρίων γενέσθαι κωλύονται. Κἂν τις ἀποκρυψάμενος τοῦτο, προσέλθῃ τῇ μισθώσει τῶν τοῦ Καίσαρος χωρίων: ὡς παραποιήσας κολάζεται, τοῦτο ἐκέλευσεν ὁ αὐτοκράτωρ Σεβῆρος. κατὰ ταῦτα δὲ καὶ οἱ ἐγχειρίζοντες ἐπιτροπὰς ἢ κουρατορίας, εἰσὶν κεκωλυμένοι μισθοῦσθαι καὶ παρὰ ταμείου χωρία. F

L. IDEM *lib. X. πανδεκτῶν.*

SI ignorans quis militi quasi pagano locauerit: exigere illum posse, probandum est. non enim cõtemnit disciplinam, * qui ignorauit militem.

** Huius dicti rationẽ pulchrè explicat Arist. li. 3. Ethi. ca. 1.*

LI. IABOLENVS *lib. XI. ἐπιστολῶν.*

EA lege fundum locaui, vt si non ea lege coleretur, relocare eum mihi liceret: & quo minoris locassem, hoc mihi præstaretur: & cũ nemo fundum colebat, pluris tamẽ locaui.

locaui. quæro, an hoc ipsum præstare debeam? respondi. in
A huiusmodi obligationibus id maximè spectare debemus, quod inter vtraq; partē cōuenit. videtur autē in hac specie id silentio conuenisse, ne quid præstaretur, si ampliore pecunia fundus esset locatus: id est, vt hæc conuentio pro locatore tantummodo interponeretur.

Qui locauit operas suas vt certum opus faceret, tenetur de operis vitio, siue vna pensio, siue in singulos dies præstita fuerit. qui autem operas suas singulis diebus locat, nec ad certum tempus se adstringit: de vitio operis non tenetur. Bar.

Locaui opus faciendū, ita vt pro opere redemptori certā mercedem in dies singulos darem. opus vitiosum factū est. an ex locato agere possim? respondi. si ita opus locasti,
B vt bonitas eius tibi à conductore adprobetur: tametsi cōuenit, vt in singulas operas certa pecunia daretur: præstari tamē tibi à cōductore debet, si id opus vitiosum factū est. nō enim quidquā interest, vtrū vno precio opus, an in singulas operas collocatur: si modò vniuersitas consummatiōis ad cōductorē pertinuit. poterit itaq; ex locato cū eo agi, qui vitiosum opus fecerit: nisi ideo in operas singulas merces cōstituta erit, vt arbitrio domini opus perficeretur. tunc enim nihil cōductor præstare domino de bonitate operis videtur.

Si in quantitate mercedis erretur, statur voluntati eius qui mercedem recipere debet. Bar.

C LII. POMPONIVS *lib.* XXXI. *ad Qu. Mutium.*

SI decem tibi fundum locauero, tu autē existimes quinque te cōducere: nihil agitur. sed & si ego minoris me locare sensero, tu pluris te conducere: vtique non pluris erit conductio, quàm ego putaui.

LIII. PAVLVS *lib.* XI. *Responsorum.*

QVi fideiussor existit apud mancipē pro colono publicorum prædiorum, quę manceps ei colono locauit: reipublicæ non tenetur, sed fructus in eadē caussa pignoris manent.

Qui fideiubet in omnē caussam, tenetur de vsuris, & omni quātitate Bar. LIIII. IDEM *lib.* V. *Responsorum.*

QVæro, an fideiussor conductionis etiam in vsuras nō illatarū pensionum nomine teneatur: nec prosint ei constitu-

conſtitutiones,quibus cauetur eos,qui pro aliis pecuniam exſoluerint,ſortis ſolúmodo dãnum agnoſcere oportere? D Paulus reſpõdit.ſi in omné cauſſam cõductionis etiã fideiuſſor ſe obligauit:eũ quoq;, exẽplo coloni, tardius illatarũ per morã coloni penſionũ præſtare vſuras debere.vſuræ enim in bonæ fidei iudiciis,& ſi nõ tã ex obligatione proficiſcãtur,q̃ ex officio iudicis adplicentur : tamen cũ fideiuſſor in omné cauſſam ſe obligauit, æquũ videtur,ipſum quoque agnoſcere onus vſurarũ, ac ſi ita fideiuſſiſſet, IN QVANTVM ILLVM CONDEMNARI EX BONA FIDE OPORTEBIT, TANTVM FIDE TVA ESSE IVBES? vel ita. INDEMNEM ME PRAESTABIS? Inter locatoré fundi & conductoré cõuenit,ne intra tẽpora locationis eius cõductor de E fundo inuitus repelleretur:& ſi pulſus eſſet, pœnã decem præſtaret Titius locator Seio conductori: vel Seius conductor Titio, ſi intra tẽpora locationis diſcedere vellet, æquè decé Titio locatori præſtaret . quod inuicem de ſe ſtipulati ſunt.quæro.cũ Seius conductor biennij continui penſionem nõ ſolueret, an ſine metu pœnæ expelli poſſit? Paulus reſpondit.quãuis nihil expreſſum ſit in ſtipulatione pœnali de ſolutione penſionũ:tamen veriſimile eſſe,ita cõueniſſe de nõ expellendo colono intra tẽpora præfinita,ſi penſionibus paruerit,& vt oportet,coluerit.& ideo ſi cœperit petere pœnam is,qui penſionibus ſatis non fecit: profuturam locatori doli exceptionem. Paulus reſpondit. ſeruus,qui æſtimatus colonæ adſcriptus eſt , ad periculum colonæ pertinebit.& ideo æſtimationem huius defuncti ab hærede colonæ præſtari oportebit. F

LV. IDEM *lib.II.Sententiarum.*

DOminus horreorũ effractis & expilatis horreis non tenetur,niſi cuſtodiam eorum receperit. ſerui tamen eius, cũ quo contractum eſt, propter ædificiorum noticiã in quæſtionem peti poſſunt.

Quod inquilinus expendit in meliorando domum:poteſt à domino repetere.Bar.

In cõducto fundo ſi cõductor ſua opera aliquid neceſſariò vel vtiliter auxerit, vel ædificauerit, vel inſtituerit, cũ id non conueniſſet:ad recipienda ea, quæ impendit, ex condu-

conducto cũ domino fundi experiri potest. Qui contra legem cõductionis fundum ante tempus sine iusta ac probabili caussa deseruerit: ad soluendas totius temporis pensiones ex conducto conueniri potest: quatenus locatori in id, quod eius interest, indemnitas seruetur.

A

Si conductores non adparent, nec soluitur pensio per biennium: possunt domus, & horrea aperiri, & quæ ibi sunt, corã publicis personis describi. Bar.

LVI. IDEM *lib. Singulari de officio præfecti vigilum.*

CVm domini horreorum insularumq́ue desiderãt (diu non adparentibus, nec eius temporis pensionẽ exsoluentibus cõductoribus) aperiri horrea, & ea, quæ ibi sunt, describi à publicis personis, quorũ interest: audiẽdi sunt. tempus autem in huiusmodi re biennij debet obseruari.

B

Damnum contingens ex humore præstito parieti per terram adpositam, per actionem ex locato purgatur. Bar.

LVII. IABOLENVS *lib. III. ex posterioribus Labeonis.*

QVi domum habebat, areã iniunctam ei domui vicino proximo locauerat. is vicinus cũ ædificaret in suo: terram in eam aream amplius, quàm fundamẽta cæmenticia locatoris erant, cõgessit: & ea terra assiduis pluuiis inundata, parieti eius, qui locauerat, humore præstito, ædificia corruerunt. Labeo ex locato tantũmodo actionem esse ait: quia non ipsa congestio, sed humor ex ea congestione postea damno fuerit. damni autem iniuriæ actio ob ea ipsa fit, per quę nõ extrinsecus alia caussa oblata, damno quis adfectus est. hoc probo.

C

Pactum quod pensiones debeantur emptori, intelligitur de debitis venditori. Bar.

LVIII. LABEO *lib. IIII. posteriorũ à Iaboleno epitomat.*

INsulam vno precio totam locasti, & eam vendidisti, ita vt emptori mercedes inquilinorum accederent. quãuis eam conductor maiore precio locauerit: tamen id emptori accedet, quod tibi conductor debet.

Breuitas termini non vitiat contractum bonæ fidei. Bar.

In operis locatione erat dictum, ante quem diem effici deberet. deinde si ita factũ non esset, quanti locatoris interfuisset, tantam pecuniam conductor promiserat. eatenus eam obligationem contrahi puto, quatenus vir bonus de

ſpacio temporis æſtimaſſet: quia id actum adparet eſſe, vt eo ſpacio abſolueretur, ſine quo fieri non poſſet. D

Si conductori promittitur pecunia ad opus: poteſt illam primo petere ſi ſatisdet de expendendo illam in opere. Bar.

Quidam in municipio balineum præſtãdum annuis viginti numis cõduxerat: & ad refectionem fornacis, fiſtularum, ſimiliumque rerũ centũ numi vt ei præſtarentur, cõuenerat. cõductor centũ numos petebat. ita ei deberi dico, ſi in earũ rerũ refectionẽ eam pecuniã impendi ſatiſdaret.

Caſus contingens in parte operis facta, cedit ad periculum locatoris, niſi culpa conductoris interceſſerit. Bar.

LIX. IABOLENVS *lib. V ex poſterioribus* Labeonis.

MArtius domum faciendam à Flacco conduxerat. deinde operis parte effecta, terræ motu concuſſum erat ædificium. Maſurius Sabinus ait. ſi naturali vi, veluti terræ motu, hoc acciderit: Flacci eſſe periculum. E

Si domus non poteſt habitari, vel ad habitandum locari: debet fieri remiſſio mercedis, niſi alia æque commoda præſtetur. Bar.

LX. LABEO *lib. VI. Poſteriorũ à Iaboleno epitomatorum.*

CVm in plures annos domus locata eſt: præſtare locator debet, vt non ſolùm habitare conductor ex kalẽdis Iuliis cuiuſque anni, ſed etiam locare & habitare cum aliis (ſi velit) ſuo tempore poſſit. itaque ſi ea domus ex kalendis Iuliis fracta, vſque in kalẽdas Iunias permanſiſſet, ita vt nec habitare quiſquam, nec oſtendi alicui poſſet: nihil locatori conductorem præſtaturum. adeo, vt nec cogi quidem poſſit, ex kalendis Iuniis refecta domo habitare: niſi paratus fuiſſet locator, commodam ei domum ad habitandum dare. Hæredem coloni, quamuis colonus non eſt, nihilominus domino poſſidere exiſtimo. F

Quando vnus conuenitur ex facto alterius principaliter delinquentis poteſt petere, vt primo principalis conueniatur, vel contra ipſum actiones ſibi cedantur: quod in arbitrio iudicis erit. Bar.

Veſtimẽta tua ſi fullo perdidit, & habes, vnde petas, nec petere vis: ages nihilominus ex locato cũ fullone: ſed iudicẽ putat æſtimaturũ, an poſſis aduerſus furẽ magis agere, & ab eo tuas res cõſequi, fullonis videlicet ſumptibus. ſed ſi hoc tibi impoſſibile eſſe ꝓſpexerit: tũc fullonẽ tibi quidẽ cõdẽnabit, tuas aũt actiones te ei pręſtare cõpellet.

Permu-

Permutatio operis facta locatore volente, petitionem mercedis nō impedit Bar.

A Lege dicta, domus facienda locata erat, ita vt probatio aut improbatio locatoris aut hæredis eius esset. redéptor ex voluntate locatoris quædam in opere permutauerat. respondit. opus quidem ex lege dicta nō videri factum: sed quoniam ex voluntate locatoris quædā permutata essent, redemptorem absolui debere.

Si dolus aduersarii dedit caussam contractui, potest contrahens pœnitere, & quod dedit repetere. Bar.

Mādaui tibi, vt excuteres, quāti villā ædificare velles. renunciasti mihi, ducentorū impēsam excutere. certa mercede opus tibi locaui. postea cōperi, non posse minoris, ꝙ
B trecentis eam villam constare. data autem tibi erāt centū, ex quibus cū partē impēdisses, vetui te opus facere. dixi, si opus facere perseueraueris: ex locato me tecum agere, vt partem mihi reliquam restituas.

Colonus non potest condictione furtiua agere, sed potest agere cōtra dominum vt agat Bar.

Messem inspiciente colono, cū alienam esse non ignorares, sustulisti. cōdicere tibi frumentum dominum posse, ait: & vt id faciat, colonum ex conducto cū domino actum. Locator horrei propositum habuit, se aurum, argētum, margarita non recipere suo periculo. deinde cū sciret has res inferri, passus est. perinde eum futurum tibi obli-
C gatum dixi, ac si propositum fuerit remissum.

Ex contractu serui tenetur dominus de peculio, & de in rem verso: ex contractu autem proprio tenetur secundum qualitatem culpæ commissæ per eum. Bar.

Seruum meum mulionē conduxisti. negligētia eius mulus tuus periit. si ipse se locasset: ex peculio dūtaxat, & in rem versum damnum tibi dominum præstaturum. sin autē ego ipse eum locassem: non vltra me tibi præstaturū, quàm dolū malum & culpā abesse. quod si sine definitione personæ mulionem à me cōduxisti, & ego eum tibi dedi, cuius negligentia iumentum perierit: illam quoque culpā me tibi præstaturum aio: quod eum * elegissem, qui eiusmodi damno te afficeret. Vehiculum conduxisti, vt onus tuū portaret, & secum iter faceres: & cū pontem transiret, re-

* Eorum quos elegimus facta oīa p̄standa nobis esse pulchre docet Cic. 1. epi. ad Quintū fratrē.

 demptor

demptor eius pontis portorium ab eo exigebat. quærebatur, an etiam pro ipsa rhæda portorium daturus fuerat? puto, si portorium mulio non ignorauit, & se eã transiturum, cũ vehiculum locaret: mulionem præstare debere. Rerum custodiam, quam horrearius conductoribus præstare deberet, locatorem totorum horreorum horreario præstare non debere puto: nisi in locando aliter conuenerit. D

Etiam qui eiicitur propter pensionem non solutam, repetit expensas vtiliter factas. Bar.

LXI. SCAEVOLA *lib.* VII. *Digestorum.*

Colonus, cũ lege locationis non esset compreheñsum, vt vineas poneret: nihilominus vineas instituit, vt propter earum fructus denis amplius aureis annuis is ager locari cœperit. quæsitum est. si dominus istum colonum fundo eiectum, pensionum debitarum nomine conueniat: an sumptus vtiliter factos in vineis instituendis repetere possit, opposita doli mali exceptione? respondi, vel expẽsas consecuturum, vel nihil amplius præstaturum. E

Quando casus occurrit in re locata culpa conductoris, merces integra debetur. Bar.

Nauem conduxi, vt de prouincia Cyrenensi Aquilegiam nauigarem, olei metretis tribus milibus impositis, & frumenti modiis octo milibus, certa mercede. sed euenit, vt onerata nauis in ipsa prouincia nouem mensibus retineretur, & onus impositum commisso tolleretur. quæsitum est, an vecturas, in quas conuenit, à conductore secundum locationem nauis exigere possit? respondi, secundum ea, quæ proponerentur, posse. F

Ante adprobationem operis periculum est domini, nisi vitio operis casus euenerit. Bar.

LXII. LABEO *lib.* I. πιθανῶν.

Si riuum, quem faciendum conduxeras, & feceras, antẽ quàm eum probares, labes corrupit: tuum periculum est. PAVLVS. imò si soli vicio id accidit, locatoris erit periculum: si operis vicio id accidit, tuũ erit detrimentũ.

DE AESTIMATORIA.

Tit. III.

Quando res æstimata vendenda traditur, actione præscriptis verbis æsti-

bis æstimatoria agitur, quæ est bonæ fidei. Bar.

A VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

Actio de æstimato proponitur tollendæ dubitationis caussa. fuit enim ingens dubitatio, cũ res æstimata vendenda datur: vtrum ex vendito sit actio propter æstimationem: an ex locato, quasi rem vendendam locasse videar: an ex conducto, quasi operas conduxerim: an mandati. melius itaque visum est, hanc actionem proponi: vt quoties de nomine contractus alicuius ambigeretur, conueniret tamen aliquam actionem dari: daretur æstimatoria præscriptis verbis actio. esse enim negocium ciuile gestum, & bona fide. quarè omnia hic locum habent, quæ in bonæ fidei iudiciis diximus.

B Aestimatio autem periculum facit eius, qui suscepit. aut igitur ipsam rem debebit incorruptã reddere: aut æstimationem, de qua conuenit.

II. PAVLVS *lib.* XXX *ad edictum.*

Haec actio vtilis est, & si merces interuenit.

DE RERVM PERMVTAtione. Tit. IIII.

Permutatio est contractus innominatus, & ideo producit actionẽ præscriptis verbis, & solo consensu non contrahitur, nisi res interuẽtu vestiatur. & si datur res aliena, non vestitur, & in ea est locus condictioni ob caussam. Bar.

* *In hunc titulũ Cælius Rhodiginus Lectionũ antiquarum lib.* 12. *ca.* 49.

C PAVLVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

Sicut aliud est vendere, aliud emere, alius emptor, alius venditor: ita aliud precium, aliud merx. at in permutatione discerni non potest, vter emptor, vel vter venditor sit: multumq; differunt eorum præstationes. emptor enim, nisi fecerit numos accipientis, tenetur ex vendito: venditori sufficit ob euictionem se obligare, possessionemque tradere, & purgari de dolo malo. itaque si res euicta non sit, nihil debet. In permutatione verò, si vtrumque preciũ est, vtriusque rem fieri oportet: si merx, neutrius. sed cũ debeat & res & precium esse: non potest discerni, quid eorum sit precium, & quid veneat: nec ratio patitur, vt vna eademque res & veneat, & precium sit emptionis. vnde si

ea res, quam acceperim vel dederim, poſtea euincatur: in factum dandam actionem reſpondetur. item emptio ac vẽditio nuda conſentientium voluntate contrahitur: permutatio autem ex re tradita initium obligationi præbet. alioquin ſi res nondum tradita ſit, nudo conſenſu conſtitui obligationem dicemus. quod in his dumtaxat receptum eſt, quæ nomen ſuum habent: vt in emptione, venditione, cõductione, mandato. ideo Pædius ait, alienam rem dantem, nullam contrahere permutationem. igitur ex altera parte traditione facta, ſi alter rem nolit tradere: non in hoc agemus vtique, quod intereſt noſtra, illam rem accepiſſe, de qua conuenit: ſed vt res noſtra contrà nobis reddatur, cõdictioni locus eſt, quaſi re non ſecuta. D

Qui permutat, debet cauere de vitiis & morbis ſicut vẽdẽs. Bar. E

II. IDEM *lib.* V. *ad Plautium.*

ARiſto ait, quoniam permutatio vicina eſt emptioni: ſore ſanum, furtis quoque noxiiſque ſolutum, & non eſſe fugitiuum ſeruum præſtandum, qui ex ea cauſſa daretur.

DE PRAESCRIPTIS VERBIS, & in factum actione. Tit. V.

Vbi incertum eſt in quam ſpeciem contractus cadat, ad actionem præſcriptis verbis ſeu in factum recurritur. Bar.

PAPINIANVS *lib.* VIII. *Quæſtionum.*

NOnnunquam euenit, vt ceſſantibus iudiciis proditis & vulgaribus actionibus, cùm proprium nomen inuenire non poſſumus: facilè deſcendamus ad eas, quæ in factum appellantur. ſed ne res exẽplis egeat, paucis agam. Domino mercium in magiſtrum nauis: ſi ſit incertum, vtrum nauem conduxerit, an merces vehendas locauerit: ciuilem actionem in factum eſſe dandam, Labeo ſcripſit. Item ſi quis precij explorandi gratia rem tradat: neque depoſitũ, neque commodatum erit: ſed non exhibita fide, ciuilis in factum actio ſubiicitur. F

II. CELSVS *lib.* IX. *Digeſtorum.*

NAm cùm deficiunt vulgaria atque vſitata actionũ nomina, præſcriptis verbis agendum eſt.

III. IVLIANVS *lib.* XIIII. *Digeſtorum.*

Ad quam

A AD quam neceſſe eſt cōfugere,quoties contractus exiſtunt,quorum appellationes nullæ iure ciuili proditæ ſunt.

IIII. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

NAturaf† enim rerum inductum eſt,vt plura ſint negocia,quàm vocabula.

V. PAVLVS *lib.* XV. *Quæſtionum.*

NAturalis meus filius ſeruit tibi,& tuus filius mihi.cōuenit inter nos, vt & tu meum manumitteres, & ego item tuum.ego manumiſi: tu non manumiſiſti.qua actione mihi tenearis, quæſitum eſt. In hac quæſtione totius ob rem dati tractatus inſpici poteſt, qui in his competit ſpeciebus. Aut enim do tibi, vt des: aut do, vt facias: aut fa-
B cio,vt des:aut facio,vt facias.in quibus quæritur,quæ obligatio naſcatur? Et ſi quidem pecuniam dem,vt rem accipiam:emptio & venditio eſt.ſi autem rem do,vt rem accipiam: quia non placet permutationem rerum emptionem eſſe, dubium non eſt, naſci ciuilem obligationem.in qua actione id venit,non vt reddas,quod accepiſti: ſed vt damneris mihi, quanti intereſt mea,illud, de quo conuenit, accipere: vel ſi meum recipere velim, repetam quod datum eſt, quaſi ob rem datum, re non ſecuta. Sed ſi ſcyphos tibi dedi,vt Stichum mihi dares: periculo meo Stichus erit,ac tu dumtaxat culpam præſtare debes. At cū do,vt facias: ſi tale ſit factum,quod locari ſolet: (puta vt
C tabulam pingas) pecunia data, locatio erit, ſicut in ſuperiore caſu emptio.ſi res:non erit locatio, ſed naſcetur vel ciuilis actio in hoc,quod mea intereſt,vel ad repetendum condictio.Quod ſi tale eſt factum, quod locari non poſſit (puta vt ſeruum manumittas) ſiue certum tempus adiectum eſt, intra quod manumittatur, idque cùm potuiſſet manumitti,viuo ſeruo tranſierit: ſiue finitum non fuerit,& tantum temporis cōſumptum ſit,vt potuerit, debueritque manumitti: condici ei poteſt, vel præſcriptis verbis agi. quod his, quæ diximus,cōuenit. Sed ſi dedi tibi ſeruū, vt ſeruū tuū manumitteres,& manumiſiſti: & is quē dedi, euictus eſt:ſi ſciens dedi:de dolo in me dādam actionem, Iulianus ſcribit. ſi ignorans: in factum ciuilem. Quod ſi faciam, vt des; & poſtea, quàm feci, ceſſes dare: nulla

†*Huc pertinet quæ de fingēdis nouis vocabulis p̄clare explicat Cic. lib.3. de fini.bon. & malo circa principium.*

erit ciuilis actio. & ideo de dolo dabitur.

Ex contractu facio vt facias, oritur actio præscriptis verbis, quæ habet similitudinem cum actione mandati. Bartolus. D

Sed si facio, vt facias: hæc species tractatus plures recipit. nam si pacti sumus, vt tu à meo debitore Carthagini exigas, ego à tuo Romæ: vel vt tu in meo, ego in tuo solo ædificem: & ego ædificaui, tu cessas: in priore specie mādatum quodammodo interuenisse videtur, sine quo exigi pecunia alieno nomine non potest. quamuis enim & impendia sequantur, tamen mutuum officium præstamus: & potest mandatum ex pacto etiam naturam suam excedere. possum enim tibi mādare, vt & custodiam mihi præstes, vt non plus impendas in exigēdo, quàm decem. & si eandem quantitatem impenderimus: nulla dubitatio est. sin autem E alter fecerit, vt & hic mandatū interuenisse videatur: quasi refundemus inuicem impensas. neque enim de re tua tibi mando. sed tutius erit, & in insulis fabricandis, & in debitoribus exigendis, præscriptis verbis dari actionem: quæ actio similis erit mandati actioni, quemadmodum in superioribus casibus locationi & emptioni. Si ergo hæc sunt, vbi de faciendo ab vtroque conuenit: & in proposita quęstione idem dici potest: & necessariò consequitur, vt eius fiat condemnatio, quanti interest mea seruum habere, quē manumisi. an deducendum erit, quod libertum habeo? sed hoc non potest æstimari. F

Error in nomine contractus, non vitiat contractum. Bartolus.

VI. NERATIVS *lib. I. Responsorum.*

INsulam hoc modo, vt aliam insulam reficeres, vendidi. respondit. nullam esse venditionem, sed ciuili intentione incerti agendum.

Vbi cessat interesse fieri quod conuenit, recurrimus ad condictionem ob caussam. Bartolus.

VII. PAPINIANVS *lib. II. Quæstionum.*

SI decem tibi dedero, vt Stichum manumittas, & cessaueris: confestim agam præscriptis verbis, vt soluas, quanti mea interest: aut si nihil interest, condicam tibi, vt decem reddas.

Vbi est do vt facias & des: oritur actio præscriptis verbis, vt fiat quod conuenit. Bartolus.

VIII.

VIII. IDEM *lib.* XXVII. *Quæstionum.*

A SI dominus seruum, cùm furti argueretur, quęstionis habendæ caussa æstimatum dedisset, neque de eo compertum fuisset, & is non redderetur: eo nomine ciuiliter agi posse, licet aliquo casu seruum retenturus esset, qui traditum accepisset. potest enim retinere seruum: siue dominus pro eo pecuniam elegisset, siue in admisso deprehensus fuisset. tunc enim datam æstimationem reddi à domino oportere. sed quæsitum est, qua actione pecunia, si eam dominus elegisset, peti posset? dixi. tametsi, quod inter eos ageretur, verbis quoque stipulationis conclusum non fuisset: si tamen lex contractus non lateret, præscriptis verbis incerti & hic agi posse: nec videri nudum pactum interuenisse, quoties certà lege dari probaretur.

B *Liberatus ob caussam: conuenitur hac actione vt faciat quod cõuenit. Bartolus.*

IX. IDEM *lib.* XI. *Responsorum.*

OB eam caussam quis acceptò liberatus, vt nomen Titij debitoris delegaret, si fidem contractus non impleat: incerti actione tenebitur. itaque iudicis officio non vetus obligatio restaurabitur, sed promissa præstabuntur, aut condemnatio sequetur.

Cautio omissa repetitur per actionem incerti, & actionem in factum. Bartolus.

X. IABOLENVS *lib.* XIII. ἐπιστολῶν.

C PArtis tertiæ vsumfructum vxori legauit. hæredis bona ab eius creditoribus distracta sunt: & pecuniam, quæ ex æstimatione partis tertiæ fiebat, mulier accepit fruendi caussa: & per ignorantiam stipulatio prætermissa est. quæro, an ab hærede mulieris pecunia, quæ fruendi caussa data est, repeti possit, & qua actione? respondi, in factum actionem dari debere.

Vbi deficit lex Aquilia: suppletur actione in factum. Bartolus.

XI. POMPONIVS *lib.* XXVIII. *ad Qu. Mutiũ.*

QVia actionum non plenus numerus est, ideo plerunq; actiones in factũ desiderãtur. sed & eas actiones, quę

gi Aquiliæ.idque vtilitas eius legis exigit.

Actio præscriptis verbis datur, vt fiat quod conuenit in pacto incontinenti adposito. Bartolus. D

XII. PROCVLVS *lib.* VI. ἐπιστολῶν.

SI vir vxori suæ fundos vẽdiderit,& in venditione cõprehẽsum est,cõuenisse inter eos:si ea nupta ei esse desisset,vt eos fundos,si ipse vellet, eodẽ precio mulier viro transcriberet: in factum existimo iudicium esse reddẽdum.idque & in aliis personis obseruandum est.

Si res vendenda tradatur certo precio,vt superfluum lucretur vẽditor: hac actione agetur. Bartolus.

XIII. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

SI tibi rem vendendam certo precio dedissem, vt quo pluris vendidisses,tibi haberes : placet neq; mandati, neque pro socio actionem esse,sed in factum, quasi alieno negocio gesto: quia & mandata gratuita esse debent,& societas non videtur contracta in eo,quod te nõ admisit socium distractionis,sed sibi precium certum excepit. E

Vbi res ad meliorandum traditur, vt quod melioratur diuidatur: si dominium transfertur in totum, erit actio præscriptis verbis: aliàs si dominium non transfertur in totum,sed in partem, tunc erit societas. Bartolus.

Iulianus ait.si tibi areæ meæ dominium dedero ea lege, vt insula ędificata,mihi partem reddas:neque emptionem esse,quia precij loco partem rei meæ recipio: neque mandatum,quia non est gratuitum: neque societatem,quia nemo societatem contrahendo rei suæ dominus esse desinit. F Sed si puerum docẽdum, vel pecus pascendum tibi dedero, vel puerum nutriendum, ita vt si post certos annos venisset,precium inter nos communicaretur: abhorrere hoc ab area,eo quod hic dominus esse non desinit, qui prius fuit.cõpetit igitur pro socio actio . sed si fortè puerũ dominij tui fecero:idem se,quod in area,dicturum: quia dominium desinit ad primum dominum pertinere.quid ergo est? in factum putat actionem Iulianus dandam.Igitur & si quis areæ dominium non transtulerit, sed passus sit te ibi ædificare,vt cõmunicaretur vel ipsa,vel precium: erit societas. idemque & si partis areæ dominium transtulerit, partis non:& eadem lege ædificare passus sit.

XIIII.

XIIII. IDEM *lib.* XLI. *ad Sabinum.*

A QVi ſeruandarum merciũ cauſſa alienas merces in mare proiecit, nulla tenetur actione: ſi ſine cauſſa id fecit, in factum: ſi dolo, de dolo. Sed & ſi ſeruum quis alienũ ſpoliauerit, isq́ue frigore mortuus ſit: de veſtimentis quidem furti agi poterit, de ſeruo verò in factum, criminali ſcilicet pœna aduerſus eum ſeruata. Sed & ſi calicem argẽteum quis alienũ in profundũ abiecerit, idq́; dãni dandi cauſſa, non lucri faciendi: Pomponius libro decimo ſexto ad Sabinum ſcribit, neque furti, neque damni iniuriæ actionem eſſe: in factum tamen eſſe agendum. Si glans ex arbore tua in meum fundum cadet, eãque ego immiſſo pecore depaſcam: Ariſto ſcribit, non ſi-
B bi occurrere legitimam actionem, qua experiri poſſit. nam neque ex lege duodecim tabularum du paſtu pecoris, quia non in tuo paſcitur: neque de pauperie, neque damni iniuriæ agi poſſe. in factum itaque erit agendum.

Precium conuentum pro indicando furem: poteſt peti actione præſcriptis verbis: niſi dolus indicantis interuenerit. Bartolus.

XV. IDEM *lib.* XLII. *ad Sabinum.*

SOlent, qui nouerũt ſeruos fugitiuos alicubi cælari, indicare eos dominis, vbi cælentur. quæ res non facit eos fures. ſolent & mercedem huius rei accipere, & ſic indicare: nec videtur illicitũ eſſe hoc, quod datur. quare qui accepit: quia ob cauſſam accepit, nec improbam cauſſam: nõ
C timet cõdictionem. quod ſi ſolutum quidem nihil eſt, ſed pactio interceſſit ob indicium: hoc eſt, vt ſi indicaſſet, adprehenſusq́ue eſſet fugitiuus, certi aliquid daretur: videamus, an poſſit agere. & quidem cõuentio iſta non eſt nuda, vt quis dicat ex pacto actionem non oriri: ſed habet in ſe negocium aliquod. ergo ciuilis actio poteſt oriri, id eſt, præſcriptis verbis: niſi ſi quis & in hac ſpecie de dolo actionem competere dicat, vbi dolus aliquis arguatur.

Ex contractu facio vt des, & do vt facias: oritur actio præſcriptis verbis: niſi datum fuerit propter pecuniam. Et ſic actio ex empto daretur. Bartolus.

quæsitũ est, quam habeas actionem? sed certum est, ciuilem actionem incerti cõpetere. sin autem vendidisti cretam: ex vendito ages. quòd si post exemptionem cretæ fossam repleuero, nec patiaris me cretam tollere: tunc agam ad exhibendum: quia mea facta est, cum volũtate tua exempta sit. D

Permisisti mihi, vt sererem in fundo tuo, & fructus tollerem. si nõ patiare me fructus tollere: nullam iuris ciuilis actionem esse, Aristo ait. an autẽ in factum dari debeat, deliberari posse. sed de dolo erit.

Quãdo nõ constat quis cõtractus fuerit celebratus, constat tamen quòd aliquis fuit celebrat⁹, datur actio præscriptis verbis. Pau. de ca.

XVII. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad edictum.*

SI gratuitam tibi habitationem dedero, an commodati agere possim? & Viuianus ait, posse. sed est tutius, præscriptis verbis agere. E

Aut res datur vendenda gratia venditoris, & susceptor tenetur de dolo & lata culpa. aut datur gratia susceptoris: & tenetur etiam de leuissima, aut gratia vtriusque, & de leui tenetur: & eius gratia dicitur contractus celebratus, qui rogauit. Bartolus.

Si margarita tibi æstimata dedero, vt aut eadẽ mihi adferas, aut precium eorũ: deinde ea perierint ante venditionem: cuius periculum sit? & ait Labeo (quod & Põponius scribit) siquidẽ ego venditorem rogaui: meum esse periculum. si tu me: tuum. si neuter neutrum, sed dũtaxat consensimus: teneri te hactenus, vt dolũ & culpam mihi præstes. actio autem ex hac caussa vtique erit præscriptis verbis. F

Papinianus quoq; lib. octauo quæstionũ scripsit. Si rem tibi inspiciendã dedi, & dicas te perdidisse: ita demũ mihi præscriptis verbis actio competit, si ignorem, vbi sit. nam si mihi liqueat apud te esse: furti agere possum, vel condicere, vel ad exhibendum agere. secundum hoc si cui inspiciendum dedi, siue ipsius caussa, siue vtriusque: & dolũ & culpam mihi præstandam esse dico propter vtilitatem, periculum nõ. si verò mei dumtaxat caussa datum est: dolum solum: quia prope depositum hoc accedit.

Si commodo vt commodes, agitur præscriptis verbis: quia commodatum non est gratuitum. Bartolus.

Si cùm vnũ bouem haberẽ, & vicinus vnum, placuerit inter nos, vt per denos dies ego ei, & ille mihi bouẽ commodaremus,

modaremus, vt opus faceret: & apud alterũ bos perierit: A cõmodati actio non cõpetit, quia non fuit gratuitum commodatum: verùm præſcriptis verbis agendũ eſt. Si cùm mihi veſtimenta venderes, rogauero, vt ea apud me relinquas, vt peritiorib⁹ oſtenderé: mox hęc perierint vi ignis, aut alia vi maiore: me minimè periculum præſtaturum, ex quo apparet vtique cuſtodiam ad me pertinere. Si quis ſponſionis† cauſſa annulum accepit, nec reddidit victori: præſcriptis verbis actio in eũ cõpetit. nec enim recipienda eſt Sabini opinio, qui cõdici, & furti agi ex hac cauſſa putat. quéadmodum enim rei nomine, cuius neq; poſſeſſioné, neq; dominium victor habuit, aget furti? planè ſi inhoneſta cauſſa ſponſionis fuit: ſui annuli dumtaxat repetitio erit.

†Hui⁹ ſpõſiõis eſt memorabile exemplum apud Plinium, nat. hiſto. lib. 9 cap. 35.

B XVIII. IDEM *lib.* XXX. *ad edictum.*

SI apud te pecuniam depoſuerim, vt dares Titio, ſi fugitiuum meum reduxiſſet: nec dederis, quia non reduxit: ſi pecuniam mihi nõ reddas, melius eſt præſcriptis verbis agere. non enim ambo pecuniam ego & fugitiuarius depoſuimus, vt quaſi apud ſequeſtrem ſit depoſitum.

Si res vendẽda datur vt precium in mutuũ conuertatur: ſi nõ venditur, vel preciũ non recipitur: actione præſcriptis verbis agitur. B.

XIX. IDEM. *lib.* XXXII. *ad edictum.*

ROgaſti me, vt numos tibi mutuos daré. ego cùm non haberé, dedi tibi rem vendendã, vt precio vtereris. ſi non vendidiſti, aut vendidiſti quidé, pecuniam autem non C accepiſti mutuam: vtilius eſt ita agere (vt Labeo ait) præſcriptis verbis, quaſi negocio quodam inter nos geſto proprij cõtractus. Si prædiũ pro te obligauero, deinde placuit inter nos, vt mihi fideiuſſorem præſtares, nec facias: melius eſſe dico præſcriptis verbis agi: niſi merces interueniat. Nam ſi interuenit: ex locato eſſe actionem.

Qui rem experiendam recipit, quicquid ex re interim lucratur, domino reddere debet. Bartolus.

XX. IDEM *lib.* XXXII. *ad edictum.*

APud Labeoné quæritur. ſi tibi equos venales experiun

perimentum gratuitum acciperes, non vt etiam certares.

Si res datur experienda emptione perfecta, datur ex vendito: alias præscriptis verbis. Bartolus. D

Itē apud Melā queritur. si mulas tibi dedero, vt experiaris, & si placuissent, emeres: si displicuissent, vt in dies singulos aliquid præstares: deinde mulæ à grassatoribus fuerint ablatæ intra dies experimenti: quid esset præstādum? vtrum precium & merces, an merces tantū? & ait Mela interesse, vtrum emptio iam erat contracta, an futura: vt si facta, precium petatur: si futura, merces. sed non exprimit de actionibus. puto autem, siquidē perfecta fuit emptio, competere ex vendito actionem. si verò nōdum perfecta esset: talem, qualem aduersus desultorem dari.

Is cui res inspicienda datur, non tenetur de casu contingente cùm res deportatur: sed de dolo & culpa hac actione tenetur. Bartolus. E

Si cùm emere argentum velles, vascularius ad te detulerit, & reliquerit: & cùm displicuisset tibi, seruo tuo referēdum dedisti, & sine dolo malo & culpa tua perierit: vascularij esse detrimentum, quia eius quoque caussa sit missum. certè culpam eorum, quibus custodiendum perferendúmve dederis, te præstare oportere, Labeo ait. & puto præscriptis verbis actionem in hoc competere.

XXI. IDEM *lib. II. Disputationum.*

Quoties deficit actio vel exceptio, vtilis actio vel exceptio danda est.

Si suscipitur opus faciendum gratis, est mandatū: si propter mercedem in pecunia, est locatio. aliàs est contractus innominatus. Bart. F

XXII. CAIVS *lib. X. ad edictum prouinciale.*

SI tibi polienda sarciendáve vestimenta dederim, siquidem gratis hanc operam te suspiciente: mādati est obligatio. si verò mercede data, aut constituta: locationis conductionísve negociū gerit. quod si neque gratis hanc operam susceperis, neque protinus aut data, aut constituta sit merces, sed eo animo negocium gestum fuit, vt postea tantum mercedis nomine daretur, quantum inter nos statutum sit: placet quasi de nouo negocio in factum dandum iudicium esse, id est, præscriptis verbis.

Perdens rem alienā sua culpa, tenetur actione in factum, si alia actio non superest. Paulus de castro.

XXIII.

XXIII. ALFENVS *lib.* III. *Digeſtorum à Paulo epitomatorum.*

A DVo ſecundum Tyberim cùm ambularent, alter eorũ, qui ſecum ambulabat, rogatus annulum oſtendit, vt reſpiceret. excidit illi annulus, & in Tyberim deuolutus eſt. reſpondit, poſſe agi cum eo in factum actione.

Si pecunia datur, vt ex eius vſuris tributa dantis ſoluantur, contractus innominatus eſt: ideo actione præſcriptis verbis agitur: & periculum pecuniæ ad repetentem non pertinet. Bartolus.

XXIIII. AFRICANVS *lib.* VIII. *Quæſtionum.*

TItius Sépronio triginta dedit: pactiq́, ſunt, vt ex reditu eius pecuniæ tributum, quod Titius pẽdere deberet, Sépronius præſtaret, computatis vſuris ſemiſſibus: quantóq; minus tributorum nomine præſtitũ foret, quàm
B carũ vſurarũ quantitas eſſet, vt id Titio reſtitueret: q̃d amplius præſtitum eſſet, id ex ſorte decederet: aut ſi & ſorté & vſuras ſumma tributorũ exceſſiſſet, id quod amplius eſſet, Titius Sépronio prçſtaret: neq; de ea re vlla ſtipulatio interpoſita eſt. Titius cõſulebat: id, quod amplius ex vſuris Sépronius redegiſſet, quàm tributorum nomine præſtitiſſet: qua actione ab eo conſequi poſſet? reſpõdi. pecuniæ quidẽ creditæ vſuras non in ſtipulatione deductas non deberi: verùm in propoſito videndum, ne non tam fœnerata pecunia intelligi debeat, quàm quaſi mãdatũ inter eos contractũ: niſi quid vltra ſemiſſem conſecuturus eſſet. ſed ne
C ipſius quidẽ ſortis petitionẽ pecuniç creditæ fuiſſe: quando ſi Sempronius eam pecuniam ſine dolo malo vel amiſiſſet, vel vacuam habuiſſet: dicendum, nihil eum hoc nomine præſtare debuiſſe, tutiúſque eſſe, præſcriptis verbis in factum actionem dari: præſertim cùm illud quoque conueniſſet, vt quod amplius præſtitum eſſet, quàm ex vſuris redigeretur, ſorti decederet: quod ipſum ius & cauſſam pecuniæ creditæ excedat.

Si opera pro operis dantur, hac actione agitur. Bartolus.

XXV. MARTIANVS *lib.* IIII. *Regularum.*

ſæ repeti non poſſunt. nam aliud dando, vt aliud reddatur, obligari iuregẽtium poſſumus. Quod autem indebitum datur: aut ipſum repeti debet, aut tantundem ex eodem genere: quorum neutro modo operæ repeti poſſunt. D

Si ti ado tibi rem vtendam, vt eandem reſtituas, dicitur contractus commodati. Si verò vt reſtituas tantundem pondere, vel eandẽ, aut tantundem, dicitur contractus nominatus. Bartolus.

XXVI. POMPONIVS *lib.* XXII. *ad Sabinum.*

SI tibi ſcyphos dedi, vt eoſdem mihi redderes: commodati actio eſt. ſi, vt põdus argenti redderes, quantum in illis eſſet: tantidem põderis petitio eſt per actionem præſcriptis verbis, & tam boni argenti, quàm illi ſcyphi fuerunt. ſed & ſi vt vel hos ſcyphos, vel eiuſdem ponderis argentum dares, conuenit: idem dicendum eſt. E

Finit tertia Digeſtorum pars.

SEQVITVR QVARTA, QVAE CONTINET libros ſingulares octo.